INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

Hujusce libri auctor ac editor jus retinent illum transferendi, vel curandi ut ille transferatur quodlibet in idioma. Legibus, edictis, conditionibusque pactis inter gentes freti, quamcumque aldulterationem interpretationemve, nulla sui juris habita ratione confectam, persequentur.

Id opus ad normam a legibus præscriptam, in fidem publicam, depositum fuit Parisiis, per mensem octobrem anni reparatæ salutis millesimi octengentesimi quinquagesimi quinti; omnesque sancitæ formulæ in diversis imperiis, quibus cum litterarias pactiones Gallia inivit, fuerunt expletæ.

VENIT :

ROMÆ.	apud	MERLE.
—		BONIFAZIO.
MEDIOLANI		DUMOLARD.
—		BONARDI POGLIANI.
TAURINI		Hyac. MARIETTI.
FLORENTIÆ		P. DUCCI.
GENUÆ.		BETTOLO ANTONIO.
NEAPOLI		G. GURA.
CAMBERII.		PUTHOD.
GENEVÆ		BERTHIER GUERS.
—		Marcum MEHLING.
GRIBURGI.		P. MEYLL.
MADRITI		Carolum MONNIER.
LONDINI		BURNS et LAMBERT.
BRUXELLIS		DEWAGENEER.
TORNACI		J. CASTERMAN et filios.
SILVÆ DUCIS.		VANHOEVEN.
WURTZBURGI		STAHEL.
COLONIÆ		HEBERLE.
LIPSIÆ.		Alph. DURR.
CRACOVIÆ		Val. WIELOGLOWSKI.
PETROPOLI		ISAKOFF.

Atrebati ex typis ROUSSEAU-LEROY.

TRACTATUS

DE

CURIA ROMANA

SEU

DE CARDINALIBUS, ROMANIS CONGREGATIONIBUS, LEGATIS, NUNTIIS, VICARIIS ET PROTONOTARIIS APOSTOLICIS,

AUCTORE

D. BOUIX,

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

ALMA COLLEGE
262.209
LIBRARY
B663
Alma, California

PARISIIS,

APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29.

1859

5023

AUTORISATION

DE MONSEIGNEUR L'ÉVÊQUE D'ARRAS, DE BOULOGNE ET DE SAINT-OMER.

M. l'abbé D. Bouix Nous ayant demandé l'autorisation de faire imprimer dans notre ville épiscopale un traité intitulé : *De Curia Romana*, Nous avons fait examiner cet écrit, et, sur le rapport qui Nous a été fait, Nous en avons permis l'impression.

Donné à Arras, le 4 août 1859.

† P.-L. PARISIS,

Évêque d'Arras, de Boulogne et de Saint-Omer.

TRACTATUS

DE

CURIA ROMANA

TOTIUS TRACTATUS DISTRIBUTIO.

I. Notior res est, quam ut probatione indigeat, diversas a Romano Pontifice personas geri ; prout sic inter alios multos tradit Cardinalis de Luca :

« *Primo* est *Summus Pontifex Romanus,* id est, vicarius « Christi, caput Episcopusque et supremus gubernator totius « Ecclesiæ catholicæ, cujus totus mundus territorium est et « diœcesis... Ex hac porro persona exurgit, et per totum « constat Romana Curia : quamvis enim Curiæ Romanæ de- « nominatio recte etiam desumatur ex aliis effectibus et « jurisdictionis speciebus, isti curiæ competentibus ratione « aliarum personarum, quas Papa gerit, tamen cum ejusmodi « effectus accessorii sint et subordinati, non nisi improprie « prædictam denominationem fundant.

« *Secundo,* gerit Papa *Patriarchæ Occidentis* personam ; « quæ tamen in statu præsenti orbis, cum priori confunditur ; « ita scilicet ut in praxi ad eam nullatenus attendatur, nisi « in paucis quibusdam materiam jurisdictionalem respicien- « tibus...

« *Tertio,* gerit insuper Papa personam, eamque pariter « ecclesiasticam et spiritualem, *Episcopi urbis Romanæ* ipsius- « que districtus...

« *Quarto* personam gerit *principis temporalis* quoad terras

« Ecclesiæ, quæ vocantur status Pontificius... » (Il dottore volgare, lib. 15, cap. 2, n. 1 et seq., facta ex italico idiomate in latinum translatione.)

II. *Curiæ* (1) vocabulo designari solent personæ, quæ cum principe et sub principe regunt atque administrant. Hinc sub *Romanæ Curiæ* denominatione intelligenda potissimum venit tota illa consiliariorum, dicasteriorum et officialium collectio, quibus in regenda universali Ecclesia Summus Pontifex utitur. Insuper ad eamdem Romanam Curiam ii etiam pertinere censentur, etsi *accessorie* dumtaxat, qui sive in regenda temporali status Pontificii ditione, sive in administranda Romana diœcesi, Summi Pontificis vices agunt auctoritatem que exercent.

III. In præsenti autem tractatu, non agemus de illa Romanæ Curiæ accessoria ac secundaria parte, quæ status Pontificii aut diœcesis Romanæ administrationem respicit; sed dumtaxat de *præcipua* ac magis proprie dicta *Romana Curia;* quæ scilicet Romano Pontifici instrumento est in regenda universali Ecclesia, ipsiusque vices agit quatenus supremi totius Ecclesiæ catholicæ Pastoris, non quatenus Pontificii status temporalis principis, aut proprii urbis Romæ Episcopi. Hinc, verbi gratia, non agemus de tribunali Consultæ, quod nonnisi in temporalibus status Pontificii negotiis versetur; at disseremus de tribunali Rotæ, utpote quod aliquatenus universalis Ecclesiæ interesse tangit. Item dicemus de Auditore Cameræ Apostolicæ, ob jurisdictionem quam in nonnullis materiis universaliter habet in omnes orbis catholici diœceses; silebimus autem de Cardinali vicario, de gubernatore Urbis Romæ, et aliis similibus, quia horum actio status Pontificii fines non prætergreditur.

Constat vero *Romana Curia*, prædicto modo intellecta, Sacro Cardinalium collegio, pluribus eorumdem Cardinalium congregationibus, nonnullisque aliis tribunalibus ecclesiasticis, ac

(1) De hoc vocabulo, vide quæ diximus in tractatu *de Judiciis*, tomo 1, p, 343.

tandem iis Legatis, vicariis, administratoribus, et præfectis qui dicuntur *Apostolici,* idest, a Sede Apostolica deputati, atque ejusdem auctoritate seu jurisdictione muniti.

Ex his omnibus simul sumptis coalescit veluti quidam *generalis vicariatus* Sedis Apostolicæ, per quem Summus Pontifex *attingit a fine usque ad finem fortiter, et omnia disponit suaviter.*

De hoc ergo *generali vicariatu* Summi Pontificis disceptationem in præsenti tractatu instituimus; eas scilicet juris sacri dispositiones exposituri, quæ varias Romanæ Curiæ, seu præfati generalis pontificii vicariatus, personas officiaque ac tribunalia respiciunt.

IV. Totam autem tractationem in quatuor partes distribuimus : *Parte prima*, disseremus de Cardinalibus seu de sacro collegio : *Parte secunda*, notionem trademus de sacris Romanis congregationibus et tribunalibus : *Parte tertia*, expendemus quænam sit earumdem Sacrarum Congregationum auctoritas, seu quam vim obligandi habeant ipsarum decreta; dumque id præstabimus quoad Sacram Congregationem indicis, totum jus circa librorum impressionem et prohibitionem exponemus : et demum *parte quarta*, agemus de Legatis a latere, Nuntiis, vicariis Apostolicis, aliisque nonnullis Sedis Apostolicæ ministris seu officialibus.

PARS I

DE

CARDINALIBUS SEU DE SACRO COLLEGIO.

Visa est tota de Eminentissimis Cardinalibus disceptatio ad sequentia duodecim capita commode referri posse : 1° de ipso *Cardinalis* vocabulo : 2° de triplici Cardinalium ordine ; necnon de eorum numero, ac de Cardinalitiis titulis : 3° quam antiquum Cardinalium collegium, et num divinæ institutionis sit, an vero dumtaxat Apostolicæ : 4° Cardinalatus essentia ac definitio : 5° de superioritate Cardinalitiæ dignitatis præ omnibus Ecclesiæ prælatis, solo excepto Romano Pontifice : 6° quomodo sese habeant adinvicem Papa et sacrum collegium, quoad universalis Ecclesiæ regimen; seu an Papa teneatur cum Cardinalium consilio consensuve et ministerio procedere : 7° de Cardinalium creatione : 8° quatenus Cardinales residere teneantur, et quænam sit eorum in titulis suis jurisdictio : 9° de variis Cardinalium prærogativis : 10° de officio et potestate Cardinalium Sede Romana vacante, et de conclavi : 11° de sacri collegii Decano : 12° de officialibus sacri collegii, qui *clerici italici, clerici nationalis* et *computistæ* nominibus designari solent.

CAPUT I.

DE VOCE CARDINALIS,

Otiosa non est investigatio de vero hujusce vocabuli in priscis monumentis sensu. Presbyterianismi siquidem et Jansenismi fautores nihil non moverunt, ut persuaderent hanc denominationem fuisse ab antiquo parochis propriam ; Cardinales proinde nil aliud primitus fuisse quam parochos. Unde et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præeminentiam super Episcopos, et super ipsosmet Patriarchas, tanquam novitatem ex ambitione Romanorum curialium introductam, et antiquæ disciplinæ subversivam, perpetuis declamationibus carpunt atque insectantur. Quorum mendacia ut facilius pateant, totum argumentum in distinctos quosdam paragraphos distribuere visum est, ut sequitur :

§ I.

Quænam sit vocabuli *Cardinalis* grammatica significatio et antiquitas.

I. « Celebriores lexicographi, quos vidi, vocabulum *cardi-*
« *nalis* explicant, quod ad *cardinem spectat*... et hæc vera, pro-
« pria, et ut ita dicam grammatica est hujus vocis significa-
« tio. Metaphorice tamen *cardinalis* pro *præcipuo, principali*,
« *primario,* ab antiquis usurpatum fuisse censuerunt Vossius,
« Salmasius, Pitiscus, aliique ; hancque explicationem secta-
« tus est Ducangius. Thomassinus vero, Muratorius et qui-
« dam alii vocabulum istud interpretati sunt *fixum*, *stabile*,
« *irremovibile ;* et cum forsan ad ea quæ volebant, parochos
« scilicet eo titulo decorare, hæc interpretatio non satis apta
« ipsis videretur, alteram adjecerunt, quod *titulare* et *pro-*
« *prium* significaret. Verumtamen nullum revera apud latinos
« scriptores extat indicium, quod ad hæc denotanda, ne tro-

« pologice quidem et improprie, usurpatum unquam fuerit. « Quare probe sane doctissimus Gothofredus (in notis ad le- « gem 7, codicis Theodosiani, lib. 2, tit. 6.) scite prœmonuit: « *Cardinale quid sit (non magis quam cardinales presbyteri, dia- « coni), ad hanc diem nescitur.* Dum vero illud explicat, di- « serte ait significare non simpliciter fixum, sed affixum in « cardine suo, eidemque adhærens... Quare concludit : *Ut « Cardinale sit, quod annexum, insertum, compactum.* » (Marius Lupus, *de Parochiis,* dissertatione 3, capite 7.)

II. Ad antiquitatem vocis quod attinet, monumenta quæ illam continent chronologice recensendo, primo loco occurreret epistola, quam Gratianus (canone *Sacrosancta*, dist. 22), tribuit Anacleto Pontifici ; quæ proinde ad annum circiter 84 referenda foret : in ea enim *cardinis* nomine designata occurrit Romana Ecclesia. At vero illa Epistola ab eruditis pro authentica non admittitur; unde non est cur ei hæreamus.

Idem dicendum de Romano Concilio anni 324 (de quo Bellarminus, l. 1, *de Clericis,* cap. 16.) Nam illud concilium, quod *secundum Romanum sub Sylvestro Papa* inscribi solet, omnino apocryphum esse pro explorato habent eruditi ; ut videre est apud Labbe (tom. 1, p. 1575, edit. Venet. 1728, ad calcem paginæ.)

Primum ergo monumentum (ex iis quæ ut authentica allegantur) in quo vocem *Cardinalis* adhibitam reperio, est vetus carta, de qua Tamagna (*Origini de' Cardinali*, t. 1, p. 88.) sic meminit :

« Volterranus scriptor, cujus magna apud eruditos auctori- « tas, refert (1) a seipso visam fuisse scripturam, qua Zeno- « bius senator Romanus donationem quamdam Ecclesiæ Are- « tinæ facit, sub Damaso I, qui anno 366, Papa creatus est. « Quæ carta, in Aretina Ecclesia asservata, hanc subscrip- « tionem habet : *Ego Joannes S. R. E. diaconus Cardinalis, « ex parte Damasi Pontificis laudo et confirmo.* »

(1) *In Antropol.*, l. 22, *in Vit. Innoc. IV*, pag. 255.

Sub Gelasio Papa, id est, jam ab anno 492, usurpatum reperiri *cardinalis* nomen, affirmant Ciacconius et Panvinius; pro quo et antiquissimas citant pergamenas cartas Sanctæ Mariæ trans Tiberim.

Apud S. Leonem Papam frequenter memorantur ii presbyteri et diaconi quos vocat *cardinis nostri*. Cæterum jam quinto sæculo in usu omnino fuisse Cardinalis vocabulum, pro explorato habent omnes eruditi. Hæc de etymologia et antiquitate vocabuli : nunc de sensu quo antiquitus usurpatum fuerit agendum.

§ II.

Quemnam sensum vox cardinalis habeat in scriptis S. Gregorii Magni.

PROPOSITIO I^a. — *Apud dictum Pontificem, nunquam vox cardinalis adhibetur in sensu* PRINCIPALIS *cujusdam inter alios ejusdem ecclesiæ ejusdemque ordinis clericos.* — Probatur 1° ex eo quod Sanctus Gregorius pluries memoret *Cardinales Episcopos;* qui certe supponi non possunt plures uni eidemque ecclesiæ præfuisse, ita ut unus inde *Cardinalis* dici potuerit, quod inter alios ejusdem ecclesiæ Episcopos *principalis* extiterit : *Quoniam ecclesia Tunatem, in qua dudum fuerat honore sacerdotali fraternitas tua decorata, ita est hostili feritate diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit; in ecclesia Saonensi, quæ jamdiu Pontificis auxilio destituta est, cardinalem te, secundum petitionis tuæ modum, hac authoritate nostra constituimus sine dubio Sacerdotem* (lib. 1, epist. 79.) De eodem Martino, ecclesiæ Tunatensis prius Episcopo, et Saonensi diœcesi in *cardinalem Sacerdotem* dato, iterum sequenti epistola sermo recurrit : *Necessarium duximus Martinum fratrem et coepiscopum nostrum ibidem cardinalem constituere Sacerdotem.* Nec mentem subeat suspicio, forte loqui S. Gregorium de præcipuis alicujus regionis vel regni præsulibus, quos ideo *Cardinales* vocaverit, quod sedes principales, patriarchicam, verbi gratia, prima-

tialem, metropolitanamve occuparent; nam qui sub hac denominatione memorati passim in ipsius scriptis occurrunt, fuerunt e contra exiguarum civitatum Episcopi.

Probatur 2°. Ex adhibita *cardinalis* voce quoad presbyteros et diaconos, quos constat nequaquam *principales* in suo gradu constitutos voluisse Gregorium. In epistola ad Syracusanum Episcopum (lib. 13, epist. 23, edit. Benedict.) agitur de Cosma, qui primum subdiaconus in ecclesia Syracusana ordinatus, postea vero ruri in pago quodam presbyter factus et constitutus, tanta tristitia ex hujus loci incommodis correptus est, ut fugam cogitaret. Cui benigne subveniens sanctus Gregorius, mandat Syracusano Antistiti, ut eum in sua Syracusana ecclesia recipiat tanquam *presbyterum cardinalem*. Ex toto autem contextu patet, non petere S. Gregorium, ut is clericus constituatur primus aut *principalis* inter ecclesiæ cathedralis presbyteros, sed tantum ut inter ipsos recipiatur. Quod præterea patet ex Joanne diacono (lib. 3, cap. 11): is enim illud ipsum factum adducit ab probandum quod antea de S. Gregorio affirmaverat, nempe : *Cardinales violenter in parochiis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem Gregorius revocabat*. Unde in stylo hujus temporis, constituere aliquem presbyterum cardinalem, non erat cum cæteris ejusdem ecclesiæ præficere *principalem*, sed dumtaxat eum incardinare, seu huic ecclesiæ addicere.

Item libro 4, epistola 14 (edit. Benedict.) mandat S. Gregorius dictæ Syracusanæ ecclesiæ *incardinari* quemdam Felicem diaconum, e sua ecclesia, in qua ordinatus fuerat, expulsum. Rationem autem cur velit clericum illum constitui Syracusis diaconum cardinalem, sic exponit : *Imbecillitati ejus atque necessitatibus, maximeque substentationi ejus, pietatis intuitu, providentes, in tua ecclesia eum prævidimus incardinandum*. Et nedum intendat eum constituere inter alios illius ecclesiæ diaconos *principalem*, ne petit quidem ut ad explendum diaconi officium admittatur, sed dumtaxat ut hujus officii emolumenta recipiat : *Sive ut officium diaconatus expleat*,

seu certe ut sola ejusdem officii pro sustentandâ paupertate sua commoda consequatur.

Item libro 1, epistola 83 (edit. Benedict.) agitur de quodam Liberato diacono, qui de præcedentia contendebat cum diaconibus a Januario Calaritano Episcopo ordinatis. Is autem Liberatus in ecclesia Calaritana ordinatus non fuerat, sed jam diaconus eo venerat. Regula autem ecclesiastica jam tum plenissime vigens, præcedentiæ ordinem ex antiquitate determinari præcipiebat. Hinc Liberato debebatur præcedentia, si jam Calaritanæ ecclesiæ addictus seu incardinatus fuerat, antequam cum ipso contendentes diaconi a Januario ordinarentur : secus, immerito eam sibi arrogabat. Et in hunc sensum sententiam protulit S. Gregorius hoc modo : *Si a decessore tuo non factus est cardinalis, ordinatis a se diaconibus nulla debet ratione præponi; ne eos quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia ab intentus sui pravitate compesce, et ultimum inter diaconos stare constitue; ne dum se illicite præferri contendit, immeritus loco in quo nunc situs est judicetur. Cujus tamen si obedientia fueris invitatus, et eum post hæc cardinalem facere volueris, nisi Pontificis sui cessionem solemni more meruerit, abstinendum ab omni incardinatione memineris.* Quis non videat ibi cardinalem fieri, idem esse ac *incardinari?* Cum præterea jus præcedendi diaconis a Januario ordinatis denegetur Liberato, non tantum si cardinalis seu incardinatus nondum sit, sed etiam nisi cardinalis factus sit a prædecessore Januarii, ac proinde competitores antiquitate vincat, quis non videat pro synonima *principalis* nequaquam haberi posse vocem *cardinalis?*

Probatur 3°. Ex omissa *cardinalis* voce, dum expresse loquitur de presbyteris qui primas in aliqua ecclesia obtinebant. Epistola namque 81 libri 1, cujusdam ecclesiæ clerum populumque certiorem facit, se illius curam honorato presbytero integre commisisse : *Quousque ecclesiæ ipsi Sacerdos fuerit*

ordinatus, omnem supradicto presbytero sollicitudinis ejus curam commisimus. Is certe Honoratus *principalis* in eo clero erat, et tamen cardinalis nequaquam vocatur. Item libri 4, epistola 11 : *Convenientibus hierarchicis, cunctisque cleri primoribus;* ubi pariter vox *cardinalis* desideratur, licet expresse de cleri *primoribus* mentio fiat. Item libri 6, epistola 12 : *Manumissionis paginam... propria manu, una cum tribus presbyteris prioribus et tribus diaconis, pro plenimissa firmitate subscripsimus;* ubi iterum sponte sua occurrisset vox *cardinalis*, si ea *priores* designari hac tempestate fuisset solitum. Quam tamen tertiam probationem, utpote *negativam* tantum, non ponimus tanquam quæ per se solam rigorose thesim probet; sed dumtaxat ut alias probationes consonantia sua confirmet.

Propositio II_a. — *Apud S. Gregorium magnum, vox cardinalis non significat gregis pastorem, id est, ecclesiæ rectorem seu parochum.* — Toti fuere Jansenismi et presbyterianismi patroni, ut persuaderent, nil aliud originarie cardinalem fuisse quam parochum, id est, ipsummet cujuslibet ecclesiæ rectorem. Quæ hypothesis per deducta sub præcedenti propositione omnino corruit. Si enim per vocem *cardinalis* S. Gregorius intellexisset cujusque ecclesiæ rectorem seu parochum, intellexisset hoc ipso in qualibet ecclesia *principalem;* atqui, ex probatis, alienus ab ipsius mente fuit clerici *principalis* sensus; ergo et rectoris seu parochi. Et cæteroquin si vel minima attentione perpendantur tum citati, tum modo citandi textus, apertissime constabit eum sensum dicti Pontificis stylo prorsus repugnare.

Præterea dici nequit rectores ecclesiarum seu parochos fuisse diaconos et subdiaconos. Porro S. Gregorius non minus vocem *cardinalis* quoad istos adhibet, quam quoad presbyteros et Episcopos. Quis, verbi gratia, somniet rectorem ecclesiæ seu parochum fuisse Felicem illum, de quo supra, qui ideo dumtaxat in cathedrali Syracusana constituitur diaconus cardinalis, ut habeat unde vitam sustentet, et pro quo etiam non postulat S. Gregorius ut officium diaconi explere permittatur?

PROPOSITIO III[a]. — *Apud S. Gregorium, vox cardinalis non designat exclusive clericum alicui ecclesiæ perpetuo et irrevocabiliter addictum; sed dicitur etiam de clerico a sua ecclesia depulso, et alteri addicto donec ad suam reverti possit.* — Id omnino evincit libri 2, epistola 25; in qua videmus Joanem Episcopum, qui in sua diœcesi propter hostium occupationem remanere non poterat, a S. Gregorio constitui in Squillacina ecclesia *cardinalem Sacerdotem*. Ea vero ecclesia non ipsi in perpetuum et irrevocabiliter regenda committitur, sed solummodo quousque possit ad suam remeare : *Te Joannem, ab hostibus captivatæ Lissitanæ civitatis Episcopum, in Squillacina ecclesia cardinalem necesse diximus constituere Sacerdotem; et licet a tua sis hoste imminente depulsus, aliam quæ pastore vacat ecclesiam debes gubernare; ita tamen ut si civitatem illam ab hostibus liberam effici, et domino protegente ad priorem statum contigerit revocari, in eam in qua ordinatus es ecclesiam revertaris : sin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac in qua incardinatus es debeas ecclesia permanere.*

Cæterum cum morem ita Episcopum alteri ecclesiæ incardinandi, ut deberet ad suam propriam, remoto obstaculo, redire, secuti sunt alii post S. Gregorium Pontifices. Inter quos adduci potest Joannes VIII, in cujus epistola 13, sic occurrit : *Ut Frotario Burdigalensi Episcopo, cui tamdiu Bituricensem ecclesiam committit, quamdiu pagani Burdigalensem ecclesiam obtineant, omnes obediant*. Quo præmisso titulo, sic prosequitur epistola : *Didicimus totam provinciam, Burdigalensi metropoli pertinentem....., ita esse paganorum persecutionibus desolatam.... Quapropter ejusdem S. Bituricensis ecclesiæ, cui subestis, ei pastoralem curam Apostolica auctorite committimus, et in ipsa eum incardinandum necessario esse censemus... Porro sciatis, quia sic ista, non modica interveniente necessitate barbara, modo concedimus, ut tali necessitate remota, removeatur etiam quod necessitas imperat* (Apud Marium Lupi, diss. 3, cap. 7).

Confirmari thesis potest ex titulo, qui in corpore juris capiti 42, quæstionis 1, causæ 7, præfigitur : *Qui metu hostili-*

tatis ad alium locum transierit, postea ad suam ecclesiam redire oportet (cap. 42, quæst. 1, causæ 7). Nam constat hoc caput citata S. Gregorii epistola (25, libri 2), qua Joannem constituit in ecclesia Squillacina *cardinalem sacerdotem ;* sed ad tempus dumtaxat; id est, donec possit ad priorem suam, in qua Episcopus ordinatus est, ecclesiam remeare. Ergo qui titulum capitis conscripsit, ejusmodi cardinales intellexit de clericis *ad tempus* (et non irrevocabiliter), alteri quam suæ ecclesiæ affixis.

Confirmatur iterum thesis auctoritate doctorum, qui adhibitam a S. Gregorio Magno *cardinalis* vocem eodem modo intellexerunt : « Censet Altaserra, id genus cardinalium non « fuisse in perpetuum tempus ; erant enim Episcopi suis se- « dibus pulsi ob barbaricam feritatem, qui vacantibus eccle- « siis a Romano Pontifice solatii et alimoniæ causa dabantur. « Si ergo civitas eorum postliminio reciperetur ab hostibus, « ad eam redibant. » (Adnotatores ad epistolam 79, libri 1, S. Gregorii Magni, edit. Benedict.). Quam Altaserræ sententiam a pluribus aliis doctoribus pro certa habitam fuisse sic testatur Marius Lupus (*de Parochiis*, dissert. 3, cap. 7) : « Sed « et alii complures præstantiores juris canonici professores, « *primo* quidem relatas formulas epistolarum Magni Gregorii « indubitanter de translatione ab una et affixione ad aliam « ecclesiam intellexerunt : easdem enim, aut canones decreti « Gratiani ex ipsis depromptos, citant, ubi de Episcoporum « translatione agunt (præsertim in commentariis ad titulum 7, « libri 1 decretalium). *Deinde* eisdem inhærentes docent, quod « cessante, aut invasione hostium, aut alia necessitatis causa, « translati Episcopi ad ecclesiam in qua ordinati erant redire « tenebantur. Ita præ cæteris Gonzales, Reiffenstuel, ad die- « tum titulum decretalium, et Lancellotus in præclaris Insti- « tutionibus juris canonici (titulo 18), et ipsemet Fleury « pariter in institutionibus. Adeo autem certum est, quod « qui a Gregorio cardinales constituebantur aut incardina- « bantur, ad tempus solummodo iis ecclesiis addicebantur,

« ut alter doctissimus juris canonici consultus, Franciscus « Florens (in tractatu ad librum 1 decretalium, *de Transla-* « *tione Episcoporum,* pagina 228), presse loquendo et ad nor- « mam posteriorum sæculorum, ne translationes quidem vo- « candas contendit hujusmodi a B. Gregorio commemoratas « incardicationes, sed commendas dumtaxat ; nam ait : *Trans-* « *latione absolvuntur omnino a vinculo quo adstricti erant priori* « *ecclesiæ, et cum secunda in quam transferebantur novum ma-* « *trimonium dispensative contrahebant. Incardinatione vero, pri-* « *mæ ecclesiæ vinculum et matrimonium durabat ; secundæ autem* « *administratio et ministerium concedebatur lautum ad tempus...* « *Finito tempore, vel hostili metu et periculo evidente, redire* « *compellebantur ad priorem ecclesiam, quam jure quodam post-* « *liminii recipiebant.* »

Ex dictis autem patet, vehementer hallucinatum fuisse Thomassinum, Muratorium, Vanespenium, et alios quotquot illam a S. Gregorio usurpatam *cardinalis* vocem, interpretati sunt exclusive de clerico, ita alicui ecclesiæ addicto, ut esset in ea ecclesia *proprius, titularis, fixus, stabilis,* nec ab ea recedere posset. « Idque ea solum de causa (ait loco citato Ma- « rius Lupus), ut Cardinales parochos fuisse comminisce- « rentur. »

Propositio IV^a^. — *Apud S. Gregorium Magnum, cardinales frequentissime vocantur, qui ex ecclesia in qua ordinati fuerant ad aliam migrantes, huic addicebantur seu incardinabantur.* — Prioribus propositionibus falsas quasdam rejecimus vocis *cardinalis*, apud S. Gregorium occurrentis, interpretationes. Diximus scilicet quid Magnus Gregorius hoc vocabulo non intellexerit. Nunc quonam sensu illud adhibuerit, directe est pandendum. Probare scilicet intendimus, *cardinates* seu *de cardine*, juxta dicti pontificis stylum, fuisse clericos omnes alicui ecclesiæ addictos, sive per ipsammet ordinationem in hac ecclesia, sive quia ex alia translati, huic ad tempus saltem affixi erant. In præsenti autem propositione quarta, agimus dumtaxat de posterioribus ; id est, de translatis ab ecclesia

in qua ordinati fuerant, et alteri ecclesiæ, ad tempus saltem, affixis seu incardinatis.

Hos sub nomine cardinalium a Magno Gregorio comprehendi, certo certius est. Nam in supra citata libri 1 epistola 79, videmus in vacante Saonensi ecclesia *cardinalem Sacerdotem* constitui Martinum, qui in sua Tanatensi Ecclesia, cujus Episcopus erat, commorari, propter hostium infestationem, nequibat. Item supra citata libri 2 epistola 25, Joannes Lissitanæ civitatis Episcopus, ab ea sede exulare coactus, Squillacinæ ecclesiæ constituitur *cardinalis Sacerdos.*

Item, Agnellum, in civitate de Fundis Episcopum, et ibi commorari non valentem, præfecit S. Gregorius ecclesiæ Tarracinæ. Quem, libri 3 epistola 13, sic alloquitur : *Agnello Episcopo de Fundis, qui nunc in civitate incardinatus est Tarracinensi... Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in civitate nec in ecclesia tua est cuique habitandi licentia, ideo te auctoritate nostra Tarracinensis ecclesiæ cardinalem constituimus Sacerdotem.* Et in Epistola ad Tarracinenses : *Quia Agnellum cardinalem vobis constitui deprecamini Sacerdotem.*

Item, libri 13 epistola 23 (edit. Bened.) : *Gregorius Johanni Episcopo Syracusano. Quorumdam ad nos relatione pervenit, Cosmam, qui a decessore vestro venerandæ memoriæ Maximiano in ecclesia Syracusana factus subdiaconus, atque a vobis postea in possessione, quæ Juliana vocatur, presbyter dicitur ordinatus, ita nimia tristitia et loci qualitate vehementer afflictum, ut vitam sibi pœnam existimet... Et ideo quia tales erga subjectos nostros debemus existere, quales nobis, si subjecti essemus, nostros volueramus esse præpositos, magnæ benignitatis est, si eum in ecclesia ubi subdiaconi est functus officio, sanctitas vestra reducere, atque illic presbyterum voluerit constituere cardinalem.* Ibi agitur de presbytero, ab ecclesia in qua presbyter ordinatus fuerat, ad aliam transferendo : relative autem ad Ecclesiam ad quam transfertur vocatur *presbyter* hujus Ecclesiæ *cardinalis :* eodem nempe prorsus modo, quo vidimus pro Episcopis in simili casu usurpari.

Item, cum diaconus Felix ad schisma Istricorum declinasset, postea vero correcto errore ad S. Gregorium recurrisset, ab eo Pontifice ad Episcopum Syracusanum directus est, huic Ecclesiæ incardinandus, id est, cardinalis diaconus in ea constituendus : « Imbecillitati ejus, atque necessitatibus, maximeque substentationi ejus, pietatis intuitu, providentes, in tua ecclesia eum providimus incardinandum « sive ut officium diaconatus expleat, seu certe ut sola ejusdem officii pro sustentanda paupertate sua commoda consequatur. » (Libri 4, epistola 14, edit. Benedict.)

Item (libri 6, epist. 11) : « Fraternitatem tuam a nobis petiisse recolimus, ut Gratianum, ecclesiæ Venafranæ diaconum, tuæ crederemus ecclesiæ cardinandum : et quoniam « nec Episcopum cui obsecundare, nec propriam habet ecclesiam (hoste scilicet prohibente) qua suum debet ministerium exhibere, petitionem tuam non prævidimus differendam. Idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessario « duximus concedendum, habituro licentiam diaconum illum « (nostra interveniente auctoritate) ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere cardinalem. »

Item sub propositione prima, textum (ex epistola 83 libri 1) adduximus, in quo idem *diaconi cardinalis* vocabulum intelligendum est relative ad ecclesiam ad quam ex alia diaconus ille venerat.

Inferioribus etiam sæculis in eodem sensu recurrunt illæ a S. Gregorio Magno usurpatæ, *incardinandi* et *cardinalem* constituendi formulæ. In opere qui *liber diurnus* inscribitur (editionis Garnerianæ, ab Hofmanno recusæ, tom. 2, p. 110) datur formula ad exequendam ejusmodi incardinationem : *Synodale ut Episcopus alterius civitatis in alia ecclesia possit incardinari. Et temporis necessitas nos perurget, et imminutio exigit personarum, ut destitutæ ecclesiæ vestræ salubri debeamus deliberatione succurrere : et ideo secundum desiderium vestrum, fratrem et coepiscopum..., cujus ecclesia est ab hostibus occupata, cardinalem vestræ ecclesiæ, sicut petistis, constituimus Sacerdotem.*

Item Hadrianus secundus in septima sua ad Episcopos synodi Suessionensis epistola : *Sed quia idem reverendus Antistes, ut vestra relatio manifestat, a propria Ecclesia diutino jam tempore paganorum persecutione pulsus hac illac peregre proficiscitur... ; qua de re secuti prædecessorum patrum instituta, et Apostolicæ Sedis exempla pontificum, præcipue Beati Patris Gregorii, qui circa hujusmodi, quæ nunc nos erga præfatum Antistitem Deo favente statuimus, sæpe statuisse dignoscitur, decernimus hunc sanctissimum crebro jam dictum fratrem nostrum et coepiscopum Actardum, ecclesiæ quæ forte suo sit viduata pastore, penitus incardinari, quatenus in ea incardinatus*, etc. (Apud Marium Lupi, *de Parochiis*, diss. 3, capite 7, pag. 368, edit. Bergomi 1788).

Quibus attentis documentis (ut cætera brevitatis ergo prætermittamus), omnino concludendum est cum Romanis Gratianæi decreti correctoribus : « Cardinare vero, seu cardi-
« nalem constituere, ita videtur B. Gregorius accepisse, ut
« canonicam translationem significet. Nam cum tempore
« S. Gregorii canon sextus Concilii Chalcedonensis accurate
« observaretur, ut nullomodo daretur alicui locus in ecclesia
« (qui nunc titulus vocatur), nisi simul ad eum locum ordi-
« naretur, cum aliquis jam ordinatus, necessitate aliqua in
« aliam ecclesiam transferebatur, ut in illa in eodem gradu,
« quo in prima ordinatus erat, deserviret, in secunda dice-
« batur incardinari... De hac re Joannes Diaconus libro 3,
« capite 8, 11 et 16. Gregorium vero Joannes VIII et facto
« ipso, et vocabulo in eadem notione accepto, est imitatus,
« quod ex aliquot manuscriptis ipsius epistolis constat. »
(Nota ad canonem *Fraternitatem* 5, distinctionis 71.)

Propositio V^a. — *Juxta S. Gregorii stylum, cardinales alicujus ecclesiæ erant, non tantum qui alibi ordinati ad eam ecclesiam transferebantur eique incardinabantur, sed et ii qui ad illam ecclesiam seu ad illum cardinem ordinati fuerant.* — In superiori propositione toti fuimus ut ostenderemus, cardinales a S. Gregorio vocari solitos fuisse eos clericos, qui ex ecclesia

in qua ordinati fuerant aliqua necessitate depulsi, alteri saltem ad tempus (id est, donec ad priorem remeandi facultas fieret) addicebantur. Nunc quæstio est, utrum ad tales exclusive *cardinalis* denominationem dictus Pontifex restrinxerit; ita scilicet ut cardinales simul habiti et dicti adeo non fuerint clerici eidem ecclesiæ per ordinationem addicti? Affirmative respondet Marius Lupus (*de Parochiis*, dissert. 3, cap. 7): « Advertere interest, inquit, quod nulli profecto sive Epi« scopi, sive presbyteri diaconive magis stabiles, permanen« tes, immobiles, quin etiam proprii et titulares fuerunt, « quam illi qui primo in unaquaque ecclesia ordinabantur ac « consecrabantur, eidemque ut proprio titulo (quemadmo« dum hodie dicitur) sua ordinatione addicebantur. Tot enim « et toties repetitis sacris canonibus statutum erat, ut singuli « singulis ecclesiis ipsa ordinatione affigerentur, ut nunquam « ab una ad aliam nisi necessitate aliqua urgente transirent. « Hi autem cum nullibi a Beato Gregorio cardinales consti« tuti dicantur, ea majori quæ in his rebus haberi potest « evidentia patet, sanctum doctorem nihil prorsus eorum si« gnificasse ea formula, qua de iis loquitur qui de una ad « aliam transferebantur ecclesiam, et ita transferebantur, ut « cessante impedimento, ad priorem remigrare deberent. « Idque etiam hoc omisso ineptum prorsus fuisset; nam eo« dem pacto atque ratione omnes omnino clerici *cardinales* « constituti dici potuissent : nam omnes alicui ecclesiæ ita « addicti erant, ut in iisdem proprii essent et titulares, fixi, « stabiles, ab eaque recedere nequirent. Gregorius vero « quosdam dumtaxat ea formula designat. »

Nulli forsan magis quam mihi eruditionis et doctrinæ gravitate præclarus Marius Lupus. Ad eum tamen in hac re deserendum compelli me fateor. Corruit enim tota ejus argumentatio, si falsum sit quod adeo fidenter affirmat, *nullibi a Beato Gregorio cardinales* dici eos, qui ordinatione tantum, non vero translatione, alicui ecclesiæ addicebantur. Atqui falsam omnino ejusmodi affirmationem probat sancti Gregorii epistola

15, libri 1; in qua expresse agitur de constituendo *per ordinationem*, non autem per translationem, cardinali presbytero: *Pervenit ad nos, quod Populonensis ecclesia ita sit sacerdotis officio destituta, ut nec pœnitentia decedentibus ibidem, nec baptisma possit præstari infantibus... Jubemus dilectioni tuæ, ut hujus præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ ecclesiæ visitator accedas, ut unum cardinalem illic presbyterum, et duos debeas diacones ordinare. In parochiis vero præfatæ ecclesiæ tres similiter presbyteros.* Ibi certe agitur de constituendo in Populonensi cathedrali ecclesia, non per translationem, sed per ordinationem, uno *cardinali* presbytero.

Sed et idem plene constat ex Joanne diacono, qui dicti Pontificis vitam conscripsit : « Episcopos undecumque me-
« liores invenire potuit, studiosissime ordinavit. Et si quando
« necessitas ordinandi Sacerdotis obrepsit, neque cardinales
« Ecclesiæ suæ,neque monachos monasterii sui penitus excu-
« savit, quominus illis ecclesiam regendam committeret, qui
« exemplis et verbis pariter illam ædificare melius potuis-
« sent. Nam ut pauca de multis contingam, ex presbyteris
« cardinalibus Ecclesiæ suæ consecravit Episcopos, Bonifa-
« cium Rhegii, Habentium Perusii, et Donum Messanæ Sici-
« liæ. Ex subdiaconibus vero, Gloriosum Istriæ..., Petrum
« Trecas...Solis diaconibus Apostolicæ Sedis super hac quod-
« ammodo parte parcebat (*ibi enumerantur tres tantum ad epi-
« scopatum evecti).*

« Cumque Gregorius, percepta occasione, suæ Ecclesiæ
« cardinales (si tamen consentirent) satis voluntarie prove-
« heret, neminem prorsus quantacumque necessitate coactus,
« violenter promovere certabat; ne sub hujusmodi occasione
« quemquam eliminando deponere videretur » (libro 3, cap. 7 et 8). Ibi autem narrat Joannes diaconus, quomodo Florentium, Sedis Apostolicæ cardinalem subdiaconum, sibi in Episcopum consecrari postulaverint Neapolitani; recusante autem Florentio, quomodo vim illi facere noluerit S. Gregorius. Ex qua Joannis diaconi narratione, satis patet cardinales dici

solitos fuisse tum presbyteros, tum diaconos, tum subdiaconos etiam, Sedi Apostolicæ, seu Romano Episcopo addictos. Ex iis autem multi saltem fuerant in Romana Ecclesia ordinati; nec omnes supponi possunt aliunde jam ordinatos venisse, et Sedi Apostolicæ incardinatos fuisse.

Quod cæteroquin magis adhuc palam fit in subsequentibus citati historici verbis : « Aliarum parochiarum clericos sibi « et aliis discretissimus Pontifex discretissime incardinare « curabat » (lib. 3, cap. 19). Quod ut probet, narrat Joannes diaconus quomodo S. Gregorius in diaconum Romanæ Ecclesiæ ordinaverit, Epiphanium quemdam, sibi ex Isauria missum, eumdemque remittere noluerit; pro quo ipsa adducit S. Pontificis verba, nempe : *Filium vestrum Epiphanium mandastis, ut ad sacrum ordinem provehere deberemus, vobisque retransmittere : sed in uno vos audivimus, in altero vero audire minime potuimus. Diaconus quidem factus est : sed quisquis semel in hac Ecclesia sacrum ordinem acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet.* Illum profecto diaconum Romanæ Ecclesiæ incardinatum, seu cardinalem factum existimavit citatus historicus; et tamen non per translationem, sed per ordinationem.

Adverterat quidem Marius Lupus (pagina 379, *de Parochiis*, diss. 3, cap. 7) sibi contrarium esse Joannis diaconi loquendi modum. Sed respondet auctorem illum nonnisi sæculo nono scripsisse, quo tempore jam alio sensu vox *cardinalis* usurpari cæperat. Quæ responsio admitti quidem forsan potuisset, si aliunde verum foret, *nunquam in universis Magni Gregorii operibus cardinales dictos conspici* clericos alicui ecclesiæ per ordinationem addictos, ut affirmat Bergonensis canonicus (citato opere pag. 378). At cum supra citata Magni Gregorii epistola contrarium prorsus evincat, consonare cum Gregorianis Joannis diaconi locutiones potius censendæ sunt; præsertim cum nullibi moneat de usurpato a se in diverso sensu *cardinalis* vocabulo.

Item valida non videtur Marii Lupi objectio, quosdam

nempe dumtaxat a Magno Gregorio cardinales vocitari; omnes tamen clericos eo nomine fuisse decorandos, si cardinales fuissent quilibet alicui ecclesiæ per ordinationem addicti. Nam 1° cardinales Gregorius vocat etiam eos qui per ordinationem alicui ecclesiæ erant affixi, ut ex citata epistola constat. 2° Verum quidem est, eam vocem quoad affixos per translationem multo crebrius a sancto doctore usurpatam reperiri: ast id mirum non est; qui enim alicui ecclesiæ per ordinationem addicti fuerant, jam ab omnibus satis intelligebantur, quin hoc exprimeretur, esse de ejus ecclesiæ cardine, seu illius ecclesiæ cardinales : atvero qui aliunde venientes his adjungebantur, nisi expresse declararentur affixi, seu addicti, seu incardinati, nequaquam intelligi poterant huic ecclesiæ alligati; sed relative ad eam in advenarum et extraneorum conditione remanebant. Hinc 3° asseri nequit *quosdam tantum* a S. Gregorio *cardinales dictos fuisse*, eo sensu quod a cardinalatus conditione illos excluserit, quos sub hoc nomine non designat, clericos nempe ex sola sua ordinatione alicui ecclesiæ addictos : licet enim eos cardinales non vocet, utpote qui tales satis per se intelligebantur, non sequitur quod pro cardinalibus non habuerit. Deserendus ergo in hac re videtur Marius Lupus et Nardi; et eum secutus Tamagna (*Origini de' Cardinali,* parte 1, c. 3); et concludendum S. Gregorii Magni tempore cardinales dictos fuisse clericos, tum per ordinationem, tum per translationem alicui ecclesiæ, ad tempus saltem, addictos. Sed nullam hac voce expressam fuisse inter cæteros ejusdem ordinis in eadem ecclesia præeminantiam, nullam principalitatem, nullam specialem muneris perpetuitatem, nullum denique parochi vestigium, certo certius contra recentiorum parochistarum commenta demonstravit Marius Lupus, præclarissimo suo opere cui titulus, *de Parochiis ante annum* 1000, *dissertationes tres.*

Scholium. — *Utrum S. Gregorius Magnus cardinales intellexerit clericos cathedrali dumtaxat Ecclesiæ affixos.* — Expendendo quo sensu *Cardinalis* vocabulum in scriptis Magni Gre-

gorii usurpatum occurrat, plura determinavimus : 1° nempe designatos eo nomine non fuisse *parochos* : 2° nec *principales* quosdam inter ejusdem ecclesiæ ejusdemque ordinis clericos : 3° nec præcise et exclusive clericos *irrevocabiliter* alicui Ecclesiæ addictos : 4° designatos autem hoc vocabulo frequentissime fuisse clericos e sua, in qua ordinati fuerant, ecclesia depulsos, et alteri, etiam ad tempus et non inperpetuum, affixos : 5° eos præterea qui ex ipsa sua ordinatione alicui ecclesiæ addicebantur. Nunc inquirendum remanet utrum dictus Pontifex ejusmodi formulis designare voluerit cathedralis dumtaxat ecclesiæ clericos, an vero etiam clericos aliis civitatis episcopalis diœceseosve ecclesiis addictos. Et certe magni momenti esset hujus difficultatis solutio. Si enim, quod sequiora tempora demonstrant, cardinales nempe nihil aliud fuisse quam cathedralis proprium clerum, idest, Episcopi presbyterium seu capitulum, jam a S. Gregorii Magni tempore usurpatum panderetur, non parvo hinc lumine cardinalitii ordinis origo illustraretur.

Atvero inter varios laudati Pontificis textus, mihi nondum licuit ipsius hac de re mentem clare perspicere.

I. Nam fatendum quidem est, *cardinalis* et *incardinare* vocabula plerumque in scriptis ejus occurrere relative ad aliquam cathedralem ecclesiam usurpata. Immo in libri 1 epistola 15, satis aperte innuitur reservari cathedralibus clericis *cardinalis* denominationem. Nam dum jubet Gregorius a quodam visitatore Episcopo ordinari in diœcesi Populonensi, (pastore tunc et presbyteris vacua), sex clericos, hac formula utitur : *Ut unum cardinalem illic* (in Populonensi ecclesia) *presbyterum, et duos debeas diacones ordinare : in parochiis vero præfatæ ecclesiæ tres similiter presbyteros.* Vox *parochia* antiquitus designavit reliquum, præter civitatem episcopalem, diœcesis tractum. Unde tres presbyteri in parochiis ordinandi intelligendi sunt de presbyteris qui plebes extra civitatem positas curare debebant. Quoad hos autem S. Gregorius vocem *cardinales* non addit. E contra loquens de presbytero in ipsa cathedrali

Populonensi ordinando, *cardinalem* eum vocat ; quia nempe is *cardini* addicendus erat, idest, *cathedrali ecclesiæ*, ut ex innumeris monumentis sequentium temporum probari potest. Ea tamen probatio rem non evincit ; objici enim potest vox *similiter*, quasi indicet *in parochiis* tres etiam *cardinales* presbyteros esse ordinandos. Et quamvis ea dictio *similiter* potius videatur referenda ad vocem *ordinare*, vel etiam ad numerum clericorum pro civitate præscriptum, omnis tamen ambiguitas non tollitur.

II. Aliunde in contrarium faciunt duo oratoria, in quorum altero prohibet, in altero vero concedit Gregorius *cardinalem* constitui presbyterum. Textus ipsos in medium adducamus : sic legere est in epistola 2 libri 10, ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum : « Fraternitati vestræ esse non putamus « incognitum, quia Romanus clarissimæ memoriæ vir, per « ultimæ suæ voluntatis arbitrium, in domo juris sui eccle- « siam, quæ in civitate vestra sita est, ædificari deputavit. « Et quia, Deo miserante, defuncti noscitur voluntas impleta, « sanctitas vestra illic ingravanter accedat : et locum ipsum « in honorem Sanctorum.. solemniter studeat absque missis « publicis cum veneratione debita consecrare : ita ut in « eodem loco baptisterium nunquam construatur, nec pres- « byterum constituas cardinalem. Sed quoties missas ibi « degentes illic monachi fieri voluerint, a dilectione vestra « presbyterum noverint postulandum. » Libri autem 12 « epistola 11, sic habet : « Prædictum oratorium solemniter « consecrabis. Presbyterum quoque te illic constituere volu- « mus cardinalem, ut quoties præfatus conditor fieri sibi « missas fortasse voluerit, vel fidelium concursus exegerit, « nihil sit quod ad missarum sacra exhibenda solemnia valeat « impedire. »

Ibi certe clare agitur de *cardinali constituendo* extra cathedralem Ecclesiam, in oratorio scilicet. Ergo cardinales, quales Gregorius eos intelligebat, poterant esse alii, quam cathedralibus ecclesiis affixi clerici.

Hinc, salvo doctiorum judicio, non parum impellerer ad concludendum, S. Gregorii tempore nondum cardinalis denominationem ad clerum cathedralibus ecclesiis addictum fuisse restrictam; sed cardinales a dicto Pontifice indiscriminatim vocatos fuisse clericos alicui ecclesiæ, (quæcumque illa foret, et etiamsi oratorium sòlummodo esset) vel per ordinationem, vel per translationem affixos; ita nempe ut, relative ad talem ecclesiam *incardinati,* seu de *cardine,* seu *cardinales* vocarentur.

Sequentibus vero temporibus, idest, ab octavo jam sæculo, *cardinis* nomen evasisse cathedrali ecclesiæ (ob ipsius in tota diœcesi principalitatem) exclusive proprium; consequenter autem tunc cardinales exclusive vocitari cœpisse clericos dumtaxat cathedralium ecclesiarum; eos nempe qui presbyterium Episcopi seu capitulum constituebant. Et tandem recentioribus temporibus, ob Cathedræ Apostolicæ super cæteras eminentiam, clericis presbyterium seu capitulum Papæ conflantibus, remansisse (honoris causa) proprium illud nomen; cæteris paulatim in reliquo orbe cathedralium canonicis, ejusmodi titulum exuentibus, et etiam postea exuere omnino jussis.

§ III.

Medio Œvo, cardo dicta, tum Sedes Apostolica, tum quælibet cathedralis ecclesia: Cardinales vero nuncupati majores clerici, qui vel Summo Pontifici, vel singulis Episcopis vicinius adhærentes, quoddam cum eo tanquam capite corpus constituebant.

Propositio I^a^. — *Romæ ab octavo saltem sæculo, certi clerici dicebantur presbyteri et diaconi Cardinales seu cardinis.* — Id invicte probat altera Romana Synodus sub Stephano IV celebrata, anno 769, in qua habetur : *Ne ullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine, (nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter Cardinalis factus fuerit) ad sacrum*

pontificatus honorem promoveri. Et rursus : *In apostolatus culmen unus de Cardinalibus presbyteris vel diaconibus consecretur*. Quem textum citans præclarissimæ vir eruditionis Marius Lupus, addit, hoc primum esse sincerum monumentum in quo viderit presbyteros diaconosque Romanæ Ecclesiæ *Cardinales* nuncupatos (*de Parochiis*, dissert. 3, cap. 8, pag. 388) ; usurpata scilicet voce, non jam in eo sensu qui in anterioribus monumentis occurrit, sed quatenus specialem dignitatem et principalitatem exprimente.

Leo Papa IV, in Synodo Romana anni 853, Anastasium presbyterum hoc modo memorat : *Anastasius presbyter Cardinis nostri, quem nos titulo B. Marcelli martyris atque pontificis ordinavimus* (apud Marium Lupum, pag. 381, *de Parochiis*, diss. 3, cap. 8).

Adrianus secundus, epistola 23 et 24, quemdam vocat, *religiosum presbyterum cardinis nostri* (apud Marium Lupum, loco citato).

Joannes VIII, epistola 83 ad Angelbergam Augustam : *Latorem quoque præsentium Petrum cardinis nostri presbyterum* (apud Marium Lupum, ibid).

In capitularibus regum Francorum, libro 1, capite 139 : *Diaconus in cardine constitutus urbis Romæ* (apud Marium Lupum, loco citato).

Propositio II[a]. — *In locutionibus sub præcedenti propositione memoratis, vox cardo designabat ipsammet Sedem Apostolicam.* — Satis patet ex eo quod Summi Pontifices, loquendo de presbyteris diaconisve *cardinis*, addere soleant, *nostri*. Quid enim esset ille *cardo* quem *suum* vocant Romani Antistites, et qui etiam dicitur *cardo urbis Romæ*, nisi ipsamet cathedralis ecclesia Papæ, seu ipsa pontificia auctoritas, qua veluti cardine tota ecclesia regitur ? Nam ut mox videbimus, in reliquis etiam diœcesibus *cardo* vocabatur cathedralis ecclesia ; ergo et idem sonabit *cardo urbis Romæ*. *Cardo* autem dicta cathedralis, non propter materialem cathedram, sed propter sedentis in ea Antistitis auctoritatem.

PROPOSITIO III[a]. — *Medio ævo, in singulis diœcesibus quidam pariter vocabantur presbyteri et diaconi cardinis.* — « Sicuti « enim Romanæ ecclesiæ majores clerici aliquando *ipsius* « *cardinis* dicti fuerunt.., ita etiam in antiquis monumentis « recensiti conspiciuntur aliarum ecclesiarum item majores « clerici... In charta Lucensi anni 904, edita a Muratorio « (tom. 6, col. 407, antiquit. medii ævi), post Episcopum « subscribit Vincentius Archipresbyter *cardinis* et Vicedo- « minus; deinde sex aut septem qui se *cardinales* appellant. « In præclaro decreto ejusdem anni 904, electionis Placen- « tini Episcopi, edito a Petro Maria Campi in historia Pla- « centinæ ecclesiæ (in appendice, pag. 430), legitur : *An- « dream ejusdem ecclesiæ nostræ cardinis diaconum scribere « jussimus.* Ita autem se suscribit : *Ego Andreas diaconus car- « dinis S. Placentinæ ecclesiæ.* Chartæ editæ in Auctario Epi- « scoporum Laudensium (pag. 110), anni circiter 962, sub- « scribit : *Rutbertus presbyter de cardine S. Laudensis ecclesiæ;* « in textu autem habetur, *quo tantummodo cardinales sacerdo- « tes, presbyteri scilicet, diaconi ac subdiaconi ad comedendum « conveniant.* In duabus supra relatis diœcesanis synodis Pa- « tavinis, ab Ughello et Muratorio vulgatis, habetur : *Convo- « cata sacerdotum, levitarum, reliquorumque caterva, tam ex « cardine urbis ejusdem...* Deinde, *tam ex cardine ejusdem « ecclesiæ...* Item in duobus diplomatibus, uno Lotharii II, « altero Othonis III (apud Ughellum, tom. 5, *de Episcopis « Novocomensibus)* legitur : *Gregi S. Cumanæ ecclesiæ, tam de « cardine quamque omnibus sacerdotibus.* In Charta autographa « anni millesimi existente in archivo nostræ Bergomatis ca- « thedralis, qua de ipsamet cathedrali et ejus canonicis agi- « tur, recensetur, *Abel, eidem ecclesiæ cardinis presbyter.* » (Marius Lupus, *de Parochiis*, dissert. 3, cap. 8, p. 382).

PROPOSITIO IV[a]. — *In locutionibus sub præcedenti propositione memoratis, vox cardo significabat cathedralem ecclesiam.* — Nam eis qui dicuntur *cardinis* constat fuisse cathedralis ecclesiæ presbyteros vel diaconos; ut probant ipsa documenta

in quibus memorantur esse *de cardine*. « Inquirendum super-
« est quidnam esset, quod in ecclesiastica significatione tunc
« cardo dicebatur. Id autem ex productis constat documen-
« tis. Quod ad Romanam ecclesiam attinet, ipsemet designa-
« tur Pontifex, cui qui vicinius arctiusque adhærebant pres-
« byteri diaconive, eapropter cardinales dicti sunt. In aliis
« vero civitatibus, episcopalem sedem, scilicet cathedralem
« ecclesiam cardinem appellatam indubium est, uti si citata
« diplomata consulentur, cuique patebit. Etenim in charta
« quæ continet electionem Episcopi apud Campum (in his-
« toria Placentiæ), conventus ad eligendum Episcopum initio
« decreti dicitur habitus *infra sinum ejusdem majoris ecclesiæ :*
« Andreas vero qui decretum scripsit, appellatur *ejusdem*
« *cardinis diaconus*. In charta Laudensi, de nummo exhibendo
« *Matri ecclesiæ* (ut ibidem dicitur, cathedrali scilicet) *et pasto*
« *præparando* ejusdem *cardinalibus sacerdotibus*, agitur. In
« synodis vero Patavinis, qui ex *cardine urbis* appellantur,
« iidem dicuntur *clerus ipsius sedis*, quo nomine nemo nescit
« pariter cathedrales significatas; ac deinde singillatim di-
« cuntur *ex cardine ipsius ecclesiæ ;* initio autem diplomatis
« memoratur cathedralis Patavii hoc pacto : *In domo S. Matris*
« *ecclesiæ*, a qua prima voce ortum habuit italicum vocabu-
« lum *duomo* ad cathedrales denotandas. Id ipsum satis aperte
« elucet in diplomatibus Novocomensis ecclesiæ, quibus con-
« firmatur quædam possessio tam cathedralis clero, quam
« cæteris sacerdotibus. In charta tandem nostra Bergamati
« evidentissimum est, tum ex universo contextu, tum quia ita
« exorditur : *dum in S. Vincentii Matris ecclesiæ choro ;* quæ
« sane nostra erat cathedralis : *Abel* autem dicitur *ejusdem*
« *ecclesiæ cardinalis* presbyter ; subscribitur autem ab archi-
« diacono, archipresbytero et pluribus ipsius cathedralis ca-
« nonicis. Palam igitur est *cardinis* vocabulo cathedrales si
« gnificatas fuisse ecclesias. » (Marius Lupus, *de Parochiis*, pag. 383).

Propositio V^a. — *Qui, sive Romæ, sive in aliis diœcesibus,*

dicebantur CARDINIS, *iidem cardinales nuncupati sunt : et quidem ex speciali eorum cum cardine, id est, cum Papa vel Episcopo, cohærentia.* — 1° Quod simul vocati fuerint cardinales, patet ex eo quod in chartis ejusdem ævi, modo una modo altera locutio occurrat in eodem prorsus sensu. « Quin immo (ait « Marius Lupus, *de Parochiis,* p. 382, edit. Bergomi 1788), « in uno eodemque documento, tum *cardinis* seu *de cardine,* « tum *cardinalis* dicti. » In supra citata Lucensi charta, verbi gratia, unus subscribit *archipresbyter cardinis*, et sex alii subscribunt cum voce *cardinalis.*

2° Cardinales autem eos dictos fuisse a cardine patet ex eo quod hoc nomine nuncupati fuerint dumtaxat cathedralium ecclesiarum certi clerici ; cathedralis autem ecclesia cardinis sibi proprium nomen habuerit. Cardinales ergo dicti, quia de cathedrali ecclesia seu cardine. Ipsa autem cathedralis ideo *cardo* dicta, quia ibi Episcopus ; ergo ex speciali cum Episcopo relatione seu cohærentia *cardinales* dicti.

Confirmatur ex generali veterum auctorum persuasione. Nam Leo papa nonus, qui undecimo sæculo vixit, loquendo de Romano Pontifice, sic habet : *Unde clerici ejus cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes* (epist. 1, cap. 23). Citat Ducangius (in suo glossario ad vocem *Cardinalis*) vetus carmen, quo pariter a *cardine* dictos Cardinales perhibetur:

Dic age, quid faciunt quibus est a cardine nomen ?..
Non ratione caret, quod habent à cardine nomen :
Deservire solent nomina rebus in his.
Porta suos postes sine cardine claudere nescit ;
Nec bene præter eos Pastor ovile regit.

Eugenio Papæ III°, ut narrat Otto Frisingensis (de gestis Frederici, cap. 57), ipsimet cardinales ita dixerunt : *Per nos tanquam per cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis.* Et Concilium Basileense (sess. 23) de Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus statuit, ut *sicut nomine, ita et re ipsa Cardinales sint, super quos ostia universalis versentur et sustententur ecclesiæ.*

Propositio VI^a^. — *Cardinales in qualibet diœcesi, medio ævo, nihil aliud erant quam canonici, cathedrale nempe capitulum, seu antiquum presbyterium.* — Hanc thesim invictissima documentorum supellectili demonstravit Marius Lupus (*de parochiis*, dissert. 3, cap. 8), et post ipsum Nardi (*de' parochi*). Qui auctores omnino profligarunt Thomassini Muratoriique et horum sequacium systema, quo propugnatum est, cardinales dictos fuisse, vel ipsos parochos, vel saltem eos solos ex canonicis, qui simul canonici essent cathedralis, et alterius ecclesiæ rectores seu parochi. Extra scopum nostrum ageremur, si ipsam ingrederemur discutiendam documentorum sylvam : satis sit conclusionem Marii Lupi, qui in hanc rem strenue desudavit, adducere : « Palam igitur est, inquit, *cardinis* vocabulo « cathedrales significatas fuisse ecclesias. Cum autem a car- « dine, ut demonstravi, *Cardinalis* nomen derivatum sit, palam « est intimam significasse eorum qui ita appellati fuerunt, ad « cathedrales adhæsionem, ita ut ad eas omnino pertinerent « atque spectarent ; majores nempe fuisse earundem clericos, « canonicos tunc etiam dictos.. Pro longa complurium anno- « rum in pervolvendis scrutandisque medii œvi documentis « assidna exercitatione , plerasque arbitror me vidisse editas « Italiæ chartas, in quibus clerici variarum urbium extra « Romam, aut singillatim, aut universim cardinales nuncu « pantur : in iis omnibus *solos majores cathedralium clericos « eo titulo donatos evidenter perspexi ;* ac ne unum quidem « documentum deprehendi, in quo vel minimum appareat « indicium, quod de alio quocumque clerico agatur, eoque « minus de parochis. Pauca vero, quæ ab eruditis viris ad hoc « suadendum (*cardinales nempe alios dictos prœter cathedra- « lium canonicos*) proferuntur, aut nihil ad rem faciunt, aut « revera nullo pacto assertum istud probant, ut identidem « demonstrabitur. » (*De Parochiis*, dissert. 3, c. 8). Addit citatus auctor, omnes indiscriminatim majores cathedralium clericos cardinales fuisse vocatos, *non aliquos solum*. Unde quoad Italiam sic concludit : « Ab hac itaque, ampla sane et

« totius christiani orbis nobilissima provincia, jam elimina-
« tum censendum est commentum illud, tanta confidentia
« jactatum, quod cardinalium nomine parochi designati
« fuerint.» Idem autem quoad alias provincias postea demons-
trat.

Subjicit idem præclarissimus auctor : « Interea haud
« supervacuum erit cathedrales recensere, in quibus ma-
« jores clerici seu canonici, in antiquo aliquo edito docu-
« mento *cardinales* dicti reperiuntur, ut constet late per uni-
« versam Italiam diffusam hanc nomenclationem ad easdem
« semper indicandas personas. Harum autem eruditissimus
« Muratorius (tom. 5, col. 163, antiq. medii ævi) nonnullas
« commemorat : Aquileiensem scilicet, Beneventanam, Pisa-
« nam, Astensem, Bergomatem, Senensem, Vercellensem,
« Capuanam, Salernitanam. Supra vero documenta produxe-
« rat aut citarat, Mediolanensis, Ravennatis, Lucensis, Pla-
« centinæ, Veronensis, Neapolitanæ, atque Florentinæ. His
« adjiciendæ sunt Laudensis atque Firmana. Ipsarum aliquas
« recenset etiam Ducangius (in glossario, ad vocem *canonici*
« *cardinales*) ; paucas vero aliarum provinciarum : Nivernen-
« sem scilicet, Visuntinam, Magdeburgensem, Compostella-
« nam. Quibus Muratorius adjicit Aurelianensem, atque
« Constantinopolitanam. Cujus quidem magnæ ecclesiæ
« *(nempe Constantinopolitanæ)* presbyteros diaconosque Joan-
« nes VIII Papa cardinales appellat : at suspicor quod sic ab
« eo nuncupantur, quia tunc in Italia passim ita nominarentur
« cathedralium clerici, non vero quod apud græcos nomen
« istud receptum fuerit. Cæterum non desunt antiquiora
« documenta, e quibus liquet, saltem in Galliis generatim car-
« dinales dictos fuisse cathedralium clericos. » *(De Parochiis*,
diss. 3, cap. 8, pag. 384.)

§ IV.

Circa varios variis temporibus vocabuli *cardinalis* sensus, capitis conclusio.

I. Ex discussis sub paragrapho secundo, satis constat in scriptis magni Gregorii, sexto scilicet sæculo, *incardinare* seu *cardinalem constituere* idem sonasse ac clericum alicui ecclesiæ, ad tempus saltem, affigere seu addicere; ita ut in ea officium sui ordinis proprium expleret, atque inde commoda ad sustentandam vitam traheret. An autem dicto Pontifici *cardines* eo sensu fuerint etiam quælibet aliæ præter cathedralem, ecclesiæ, atque ipsa adeo oratoria, mihi non satis liquet. Novum autem et a superiorum sæculorum usu alienum stylum fuisse a Magno Gregorio inductum, vix crediderim. Et potius idem quod ipse per voces *incardinare* et *cardinalem constituere* intellexit, etiam antea intellectum fuisse autumandum videtur; cum et adeo traditionum tenax vir fuerit, et ne vel minimo quidem indicio significet, novas a se locutiones usurpari. Id autem extra omnem ambiguitatem habeat necesse est, qui vel cursim ipsius opera pervolverit, nequaquam ab ipso *cardinales* incardinatosve vocari *parochos*, aut *principales* quosdam, superioresve inter ejusdem ordinis ejusdemque ecclesiæ clericos. Ex quo solo totum corruit parochistarum commentum, quo somniarunt ideo primitus quosdam Cardinalium nomine fuisse insignitos, quod aliqua ipsis regenda ecclesia in titulum collata fuisset, seu quod parochi constituti fuissent.

Certum est, medio ævo, id est, ab octavo saltem sæculo, cardinales dictos fuisse, tum cæterarum cathedralium, tum Sedis præsertim Apostolicæ majores clericos; eos nempe, quibus coalescebat collegium illud, olim presbyterii, postea vero capituli nomine designatum, speciale quoddam corpus cum Episcopo tanquam capite conflans, et cujus membra canonici etiam passim vocari cœperant. Statim autem ac car-

dinalium vocabulo majores illi cathedralium et Sedis Apostolicæ clerici *exclusive* designari cœperunt, idem sonare debuit *cardinalis* ac *principalis* ; cum revera dicti cathedralium clerici *principales* essent, relative ad reliquum diœceseos clerum, tum ob specialem suam cum Episcopo cohærentiam, tum quod eidem auxiliarentur in ecclesiæ regimine, atque etiam sede vacante supplerent.

3° Quomodo autem a generaliori supra memorata significatione, quæ ad tempus usque magni Gregorii obtinuisse videtur, vox *cardinalis* ad specialem illam medii ævi transierit, mihi compertum non est, atque eruditis enucleatius excutiendum relinquo.

4° Cardinales Romanos eo nomine dictos nequaquam primitus fuisse, eo quod regendis parochiis præficerentur, seu eo quod parochi constituerentur, jam extra omnem controversiam fecerunt Marius Lupus aliique eruditi; et patet præcipue, tum quia in una eademque parochia, seu titulari ecclesia urbis Romæ, constat plures simul extitisse cardinales ; tum quia cardinalis vox remansit aliis, qui ejusmodi parochiis non addicebantur, communis ; tum quia æque ac alii cardinales fuerunt, non tantum diaconi, sed etiam aliquo ævo ipsimet subdiaconi, qui profecto parochi fuisse perperam existimarentur.

5° S. Pius V, constitutione sua diei 15 februarii, anni 1568, referente Cardinali Petra (ad Const. 15, Eugenii IV, n. 5), omne sustulit privilegium, quo aliis præter Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus illud nomen permittebatur. Sed eam constitutionem non reperiri objiciunt Cohellius et Tria(Vide Tamagna, tomo I, pag. 123).

5° Jam a multo tempore Cardinalis titulum majoribus Ecclesiæ Romanæ clericis reservatum fuisse, ita ut paucissimarum cathedralium canonici nomen illud retinere permissi sint, omnibus notum est.

Hæc de nomine cardinalium præmitti libuit ; nunc ad rem ipsam gradum faciamus.

CAPUT II.

IN TRIPLICEM ECCLESIÆ ROMANÆ CARDINALIUM ORDINEM, ATQUE IN EORUM NUMERUM ET TITULOS, DISQUISITIO HISTORICA.

Agemus : 1° De presbyteris Cardinalibus atque eorum titulis : 2° De diaconis Cardinalibus atque eorum diaconiis : 3° De Cardinalibus Episcopis, atque eorum cardinibus.

§ I.

De presbyteris cardinalibus atque eorum titulis.

I. *Quo tempore cœperit urbs Roma in varias parochias et titulos distingui.*— A Sancto Cleto, qui tertius post sanctum Petrum ad summum Pontificatum anno 75 evectus est, divisam in varias ecclesias Urbem, et unicuique suum affixum fuisse presbyterum, testatur *Pontificalis* liber, addens id ex ipsiusmet sancti Petri præcepto inductum. De quo sic eruditus Franciscus Pagius : « Ex præcepto S. Petri vigenti quinque « presbyteros ordinasse in urbe Roma dicitur in libro *Ponti-* « *ficali*, id est, Urbem in totidem parochias distinxisse. » (In vita S. Cleti). Eam quidem titulorum institutionem et in parochias distinctionem ab ipsis Ecclesiæ exordiis esse repetendam concorditer admittunt eruditi : Atvero ad præfatum numerum 25 quod attinet, an pariter certus omnino sit, in quæstionem vocat Antonelli : « Numerus titulorum an viginti « quinque, an minor esset, merito dubitatur ; nullus enim « apud Anastasium numerus exprimitur ; et hominis inconsulti « esset, in re obscura atque ambigua aliquid certi definire. » (Dissert. *de Titul. cardin.*, pag. 4.) Quidquid sit de titulolorum primitivo numero, divisionem prædictam urbis Romæ in ecclesias seu titulos confirmavit sanctus Evaristus, qui anno 95 in Summum Pontificem electus, anno 108 vita fun-

ctus est (vide Tamagna, *Origine de' Cardinali*, parte 1, cap. 4, art. 1, n. 64). Prædictos titulos jam a tempora sancti Higini Papæ, qui sedit anno 137, *cardinalitios* vocatos fuisse, existimat Tamagna (loco citato). Quid autem ea tempestate *cardinis* et *cardinalis* vocabulo significatum fuerit, est quæstio difficilis, de qua jam superiori capite egimus.

II. *Unde ortum tituli nomen.* — Quadruplex distingui potest eruditorum hac de re sententia: *Prima* est eorum qui putant, *titulum* dici solitam fuisse quamlibet domum, in sacram ædem conversam, et pro habendis christianorum cœtibus donatam. Et revera hoc nomine dictas fuisse ædes a profanis in sacros usus conversas, probat quædam S. Gregorii Magni epistola (63, parte 1, lib. 1), in qua jubetur restitui ejusmodi domus, quæ injuste in ecclesiam mutata fuerat : « Ut omni (ait Ponti-« fex), excusatione et dilatione omissa, deposito titulo, eam-« dem domum præsentium latrici Theodoræ relictæ antedi-« cti Petronii sine mora restituas, ne, quod absit, viduis « inde præjudicium oriatur, unde consolationis debent inve-« nire solatium. » Ea tamen prima sententia nullatenus satisfacit ; quia quod in quæstione est, cur nempe *titulorum* vocabulo præfatæ ædes dictæ sint, non indicat. *Secunda* opinio est Baronii, qui adductis pluribus sanctorum Ambrosii, Augustini, Gregorii que testimoniis, necnon juris romani textibus, demonstrat ædibus ad regium fiscum pertinentibus præfigi solitum fuisse vexillum, imperatoris imagine ornatum. Ex cujus vexilli appositione, domus jam intitulabatur seu dicebatur fisci regii. Similiter porro domibus in sacras ædes conversis præfixam fuisse crucis imaginem, atque inde *intitulatas* seu *titulos* dictas. Et revera Theodosius imperator quædam paganorum templa in ecclesias christianas converti jubens, vult id fieri *collocato in eis venerandæ christianæ religionis signo* (codex Theodosianus, lib. 2, tit. 14, lege 1). Quæ secunda opinio parum probabilis videbitur, si notetur jam a tempore Higini Papæ, id est, flagrante in christianos persecutione, viguisse morem titulos vocandi sacras ædes. « Nemo

« facile adducetur, ait Thomassinus, ut credat eo venisse se-
« cundo sæculo fideles, ut erecta supra domos cruce exaspe-
« rarent persecutorum iras et in se provocarent... Quamquam
« posset et illud dici, ecclesiis quidem signa religionis quæ-
« dam esse appensa, sed quæ, tametsi notissima essent fide-
« libus, infidelibus tamen nullam rei suspicionem moverent.
« Nam et grammaticos constat, et artium liberalium profes-
« sores, ejusque modi homines alios, habuisse pro foribus ti-
« tulos et signa aliqua, quæ eorum et sedem et artem indica-
« rent » (tom. 1, part. 1, lib. 2, n. 11). *Tertia* opinio, quam pariter proponit Baronius, magis Thomassino arrisit : « Ita-
« que, ait, pluris facienda esset illa altera Baronii ratio, ec-
« clesias propterea *titulos* dici, quod presbyteri, penes quos
« earum cura erat, titulum inde ducerent et nomen. » (Thomassinus, loco citato). *Quarta* sententia, quæ est Tamagnæ (*Origini de' cardinali,* tom. 1, pag. 130, edit. Romæ 1790), titulorum denominationem deducit ex usu, apud veteris testamenti patres frequentissimo, *titulos* vocandi lapides et aras, in honorem et cultum Dei erectas. Sæpe enim recurrit illud sacri eloquii, *erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper* (vide Genesis, c. 28 et 35. — Exodi, c. 24-2. — Regum, 18. Isaiæ, c. 19. — Ezechielis, c. 19). Immo et apud idololatras gentes ubique occurrebant ejusmodi lapides, sacro ritu dicati et in honorem numinis erecti; quod inter alia multa documenta testantur hi Propertii versus :

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis ubique lapis (1-4).

Cum ergo christiani domos suas in sacras converterent ædes, quid verisimilius quam ab ipsis usurpatum fuisse sacræ scripturæ stylum, et inde *titulos* eas ædes fuisse dictas, quod eo jam nomine vocari solitæ fuissent aræ in honorem Dei erectæ? Quod tamen vocabulum nunc non omnibus sacris ædibus commune est, sed iis dumtaxat quæ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus assignantur.

III. *Quot extiterint variis temporibus et nunc extent tituli Car-*

dinalitii presbyterales. — Sub Dionysio Papa, qui sedit anno 259, 25 extitisse titulos existimat Platina (in vita Dionysii Papæ). Qui numerus sub Marcello Papa, (anno 308, ad supremam cathedram evecto) idem permansit, juxta Honuphrium Panvinium (de 7 ecclesiis, c. 2) ; ad 28 excrevit, juxta Cohellium (notit. Cardinal. cap. 6). Varias postea vices eum numerum subiisse, vide indicatum apud Tamagna (*origine de' Cardinali*, tom. 1, pag. 133, edit. Romæ 1790). Anno vero 1410, quo Ecclesiæ gubernaculum tenere cœpit Joannes XXII, quot fuerint tituli presbyterales, seu Cardinales presbyteri, desumi potest ex manuscripto pergameno a Francisco Pagio edito, et apud Tamagna relato (loco cit. pag. 134). Ibi nempe dicitur, quinque Romæ extare ecclesias Patriarchales : sancti Joannis in Laterano, S. Petri, S. Mariæ Majoris, S. Pauli, et S. Laurentii extra muros. Primæ addictos esse Episcopos septem, qui Romano Pontifici assistant. Cæteris quatuor, assignatos 31 Cardinales presbyteros; quorum tituli hoc modo enumerantur :

S. Crucis in Jerusalem.
SS. IV Coronatorum.
SS. Marcellini et Petri.
SS. Joannis et Pauli.
S. Anastasiæ.
S. Sabinæ.
S. Stephani in monte Celio.
S. Clementis.
SS. Nerei et Achillei.
S. Susannæ.
S. Petri in Vinculis.
S. Martini ad Montes.
S. Sixti.
S. Balbinæ.
S. Eusebii.
S. Priscæ.
S. Praxedis.
S. Vitalis.
S. Pudentianæ.
S. Cyriaci in Viminis.
S. Marci.
S. Marcelli.
S. Laurentii in Lucina.
S. Laurentii in Damaso.
S. Mariæ transtiberim.
S. Cæciliæ.
S. Crysogoni.
SS. XII Apostolorum.
S. Equinatii.
S. Primatii.
S. Eudoxiæ.

Sed neque fixus postea permansit titulorum numerus. In Concilio Constantiensi, anno 1414, statutum est Cardinalium numerum ad 24 esse restringendum. In Basileensi pariter, anno 1429, ita decretum, *Cardinales numerum viginti quatuor non excedant.* Paulus IV bullam edidit qua prohibebatur ne in posterum numerus 40 posset præteriri. Quo non obstante, tum idem Pontifex anno 1555, tum Pius IV anno 1559, tum Gregorius XIII anno 1572, numerum illum usque ad 76 protraxerunt. Sixtus Papa V limitem fixit numerum 70, qui etiamnum perseverat. Presbyteris autem Cardinalibus assignavit 50 titulos, abolitis quibusdam antea existentibus et creatis vicissim quibusdam novis. Et tandem « ultimum sta- « tum Ecclesiarum presbyteralium determinavit Clemens VIII « anno 1602, confirmavitque Paulus V anno 1618. Est autem « hujusmodi :

S. Laurentii in Lucina.
S. Mariæ trans Tiberim.
S. Mariæ Angelorum.
S. Praxedis.
S. Petri in Vinculis.
S. Anastasiæ.
S. Petri in Montorio.
S. Onuphrii.
S. Sylvestri in Campo Martio.
S. Mariæ in Via.
S. Marcelli.
SS. Marcellini et Petri.
SS. XII Apostolorum.
S. Balbinæ.
S. Cæsarii.
S. Agnetis in Platea Navona.
S. Marci.
S. Sthephani in monte Celio.
S. Mariæ in transpontina.
S. Eusebii.
S. Chrisogoni.
SS. Quatuor Coronatorum.
SS. Quirici et Julittæ.
S. Callixti.
S. Bartholomæi in Insula.
S. Augustini.
S. Cæciliæ.
SS. Joannis et Pauli.
S. Martini ad Montes.
S. Alexii.
S. Clementis.
S. Mariæ ad populum.
SS. Nerei et Achillæi.
S. Mariæ de Pace.
S. Mariæ in Ara cæli.
S. Salvatoris in Lauro.
S. Crucis in Jerusalem.
S. Laurentii in Pane et perna.

S. Joannis ad portam latinam.
S. Pudentianæ.
S. Priscæ.
S. Pancratii.
S. Sabinæ.
S. Mariæ supra Minervam.
S. Caroli.
S. Thomæ in Parione.
S. Hieronimi Slavorum.
S. Susannæ.
S. Sixti.
S. Matthæi in Merula.
S. Trinitatis ad montem Pincium.

« Quibus addidit Urbanus VIII titulum S. Caii. » (Tamagna, *Origini de' Cardinali,* tom. 1, pag. 140, edit. Romæ 1790.)

§ II.

De Cardinalibus diaconis et eorum diaconiis, et quomodo aliqui etiam extiterint Cardinales subdiaconi.

Ab Apostolis ordinati fuerant diaconi septem (actuum Apost. cap. 6). Eumdem porro numerum Romæ, et ab evangelicæ prædicationis exordiis extitisse, et per plura sæcula perseverasse constat. Eorum officio adjunxit S. Fabianus Papa (qui anno 136 sedere cœpit), ut viduarum, pupillorum, et infirmorum, per quatuordecim urbis Romæ regiones dispersorum, curam gererent. Cum autem essent dumtaxat septem numero, duas unicuique ex 14 regionibus assignavit. Unde et *regionarii* vocari cœperunt. Sub Simmacho Papa, qui anno 498 ad Summum Pontificatum evectus est, jam reperiuntur diaconi cum regionis sibi assignatæ indicatione subscripti : *Cyprianus diaconus S. R. E. septimæ regionis, subscripsi et consensi : Anastasius, diaconus regionis primæ, subscripsi : Citonatus, diaconus regionis secundæ, subscripsi : Tertullus, diaconus regionis quartæ, subscripsi* (apud Tamagna *Origine de' Cardinali*, tom. 1, pag. 144). Crescente magis ac magis christiano populo duplicari necesse fuit diaconorum numerum, et singulos singulis 14 regionibus præfici. Cum autem perpetuo Ecclesiæ supervenirent novæ prædiorum atque ædium donationes, quorum

administratio penes diaconos erat, paulatim inductum est ut nomen seu titulum suum, non jam a regione, sed a præcipuis quibusdam ejusmodi donationibus aut etiam donatoribus sibi traherent diaconi. Et inde origo titulorum Equisii, Vestinæ, Pammachii, Lucinæ, et aliorum hujusmodi.

Dictis vero 14 diaconis a Gregorio III, qui ad Petri cathedram anno 731 sublimatus est, quatuor alii additi sunt, qui S. Joannis in Laterano basilicæ addicerentur, et celebranti Summo Pontifici assisterent. Hinc iis inditum *Cardinalium Palatinorum* nomen. (Tamagna, tom. 1, pag. 145).

Anno 1410 decem et novem Cardinales diaconos extitisse testatur manuscriptum superiori paragrapho citatum : diaconiarum vero titulos fuisse hujusmodi :

S. Luciæ ad 7 colles (qui erat Cardinalis Vice-cancellarii titulus).
S. Mariæ in Aquiro
S. Theodori.
S. Mariæ in Cosmedin.
S. Georgii in Velabro.
SS. Cosmæ et Damiani.
S. Mariæ novæ.
S. Adriani.
SS. Sergii et Bacchi.
S. Mariæ in via lata.
S. Mariæ in porticu.
S. Angioli in piscaria.
S. Nicolai in carcere Tulliano.
S. Mariæ in Domnica.
S. Eustachii.
S. Luciæ inter Immagines.
S. Luciæ in Silice.
S. Viti in Macello.
S. Agathæ.

« Sixtus V ad 14 iterum Cardinales diaconos revocavit, « quorum et diaconias determinavit, eo modo qui etiamnum « perseverat, nempe :

Sanctæ Mariæ in Via lata.
S. Eustachii.
S. Mariæ Novæ.
S. Adriani.
S. Nicolai in Carcere Tulliano.
S. Agathæ.
S. Mariæ in Domnica.
S. Mariæ in Cosmedin.
S. Angioli in Piscaria.
S. Georgii in Velabro.
S. Mariæ in Porticu.
S. Mariæ in Aquiro.
SS. Cosmæ et Damiani.
S. Viti in Macello.

« His autem addidit titulum S. Laurentii in Damaso, Cardi-« nali vice-Cancellario destinatum, sive presbyteralis ordinis « hic foret, sive diaconalis.» (Tamagna, *Origini de' Cardinali*, tom. 1, pag. 146.)

Extiterunt etiam identidem Cardinales subdiaconi. Anno 1057 a Victore II cardinalitia dignitate ornatus est Fredericus Lotharingius, sub *Cardinalis subdiaconi* nomine (apud Tamagna, qui citat Cohellium, t. 1, pag. 147). Item a Nicolao II, qui anno 1058 ecclesiam regere cœpit, Cardinalis subdiaconus creatus est Hildebrandus a Soana. Quæ duo exempla a Ciacconio etiam et Panvinio tanquam certa adducuntur (ut videre est apud Tamagna, t. 1, pag. 147). Item Baronius (tom. 12, ad annum 1177, p. 171), Nuntios Alexandri III fuisse refert diaconum a sancto Georgio, et subdiaconum quemdam Cardinalem Sedis Apostolicæ. Item Guillelmus Tirius (*Hist. sacr.*, lib. 22, cap. 12) quemdam memorat Joannem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem subdiaconum. Majorem autem mirationem movet, ut adnotavit Thomassinus (*Nova et vet. disciplina*, part. 1, lib. 2, cap. 116, n. 6), Concilium Romanum anno 968, sub Ottone I celebratum : ibi nempe, non tantum quidam Joannes Cardinalis subdiaconus, sed et quidam occurrit Stephanus archi-acolita cum cæteris acolitis.

§ III.

De Episcopis Cardinalibus et eorum episcopatibus.

I. Videtur ante annum 769 nondum Romæ ullum exstitisse Cardinalium Episcoporum gradum. Id nempe innuit sequens decretum Synodi Romanæ hoc anno celebratæ sub Stephano III, seu ut alii volunt IV : *Si quis ex Episcopis vel presbyteris, vel monachis, aut ex laïcis, contra canonum et Sanctorum Patrum statuta prorumpens, in gradum majorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, id est, presbyterorum cardinalium et diaconorum ire præsumpserit ; et hanc Apostolicam Sedem invadere quilibet ex su-*

pradictis tentaverit, et ad Summum Pontificalem honorem ascendere voluerit; ipsi et sibi faventibus fiat perpetuum anathema (apud Labbe, tom. 8, col. 485, edit. Venet. 1729). Ibi damnatur ambitio eorum Episcoporum qui tentarent ad *gradum majorem* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ascendere; et explicando quinam sit ille *gradus major*, dicunt Patres illum consistere in cardinalatu *presbyterali* et *diaconali*: de cardinalatu vero episcopali prorsus tacent : non tacerent autem, si exstitissent tunc temporis Romæ Episcopi Cardinales; quia potius horum gradum in Ecclesia Romana, quam gradum presbyterorum aut diaconorum Cardinalium, ambiissent extranei Episcopi. Ergo revera nondum ea tempestate cœperat Cardinalium Episcoporum institutio.

Præterea apud Anastasium bibliothecarium, in vita Stephani Papæ IV, sic habetur : *Tunc allatis sacratissimis canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem sacerdotali Concilio sub anathematis interdicto, ne ullus unquam præsumat laïcorum, neque ex alio ordine (nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter Cardinalis factus fuerit) ad sacrum pontificatus honorem promoveri* (pagina 51, edit. Venet. 1729). Qui textus videtur etiam supponere, solos diaconos et presbyteros Cardinales tunc Romæ fuisse, non autem Cardinales Episcopos.

II. Nihilominus contrarium suadere videtur synchronum documentum. Nam idem Anastasius bibliothecarius, in ejusdem Stephani Papæ IV vita, sic prosequitur, sequenti post citatam pagina : *Erat enim idem prædictus beatissimus præsul ecclesiasticæ traditionis observator; unde et pristinum Ecclesiæ in diversis clericatus honoribus renovavit ritum. Hic statuit ut omni dominico die a septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant, missarum solemnia super altare Beati Petri celebrarentur,* et gloria in Excelsis Deo *dicretur*. Cum isti septem Episcopi, ecclesiæ S. Salvatoris addicti fuerint, et Cardinales vocentur, non videtur quomodo negari possit tunc temporis exstitisse Romæ Cardinalium Episcopo-

rum ordinem. Præsertim cum in sequentium temporum monumentis perpetuo recurrant ii Lateranensis ecclesiæ Cardinales Episcopi.

III. Doctioribus expendendam relinquimus præallatorum documentorum oppositionem, atque determinandum quo præcise tempore cœperint aliqui Episcopi Cardinalium collegium ingredi.

Anno 1410 liquido constat exstitisse septem Episcopos ad assistendum Romano Pontifici, ecclesiæ S. Joannis in Laterano affixos, et eosdem simul civitatum Romæ vicinarum Episcopos fuisse. Carta enim pergamena, de qua sub primo paragrapho egimus, *septem* memorat *Episcopos* præfatæ ecclesiæ *addictos, qui debeant Papæ assistere;* id est, Ostiensem (ad quem pertinet Papam coronare) Albanensem, Portuensem, e S. Rufina, Sabinensem, Tusculanum, et Prænestinum. (Vide Tamagna, tom. 1, pag. 134).

Quo ordine missarum solemnia celebrare deberent prædicti Episcopi in Lateranensi ecclesia, exponit Tamagna (*Origini de' Cardinali,* tom. 1, pag. 149).

Sed et anno 1058 jam existebant Lateranenses Episcopi, *Cardinales* vocati. Nam Beati Petri Damiani, qui dicto anno Cardinalis creatus est, sic inscripta occurrit epistola (prima, libri 2) : *Venerabilibus in Christo sanctis Episcopis Lateranensis Ecclesiæ Cardinalibus, Petrus indignus, intimæ devotionis affectum.*

At jam multo antea exstitisse Romæ Cardinales Episcopos, constat ex adducto a Baronio (ad annum 1057, n. 19), antiquo quodam Vaticano codice, in quo sic habetur :

Sunt in Ecclesia Romana (id est Romæ) quinque Ecclesiæ Patriarchales. Prima est Ecclesia Lateranensis, quæ et Constantiniana et basilica Salvatoris diverso nomine nuncupatur. — Hæc habet septem Cardinales Episcopos, hosque dictos Episcopos collaterales, itemque et hebdomadarios, eo quod singulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis. Episcopi Cardinales erant hi, Episcopus Ostiensis, Episcopus Portuensis, Episcopus sanctæ

Rufinæ, sive Silvæ Candidæ, Episcopus Albanensis, Episcopus Tusculanus, Episcopus Prænestinus. — Alia Patriarchalis est sanctæ Mariæ, Major dicta, quæ habet septem Cardinales presbyteros, scilicet Cardinalem SS. apostolorum Philippi et Jacobi, sancti Cyriaci in Thermis, sancti Eusebii, sanctæ Prudentianæ, sancti Vitalis, sanctorum Petri et Marcellini, et sancti Clementis. — Alia patriarchalis ecclesia sancti Petri, in qua item septem sunt presbyteri Cardinales, scilicet sanctæ Mariæ trans Tiberim, sancti Chrysogoni, sanctæ Cæciliæ, sanctæ Anastasiæ, sancti Laurentii in Damaso, sancti Marci, sanctorum Martini et Sylvestri. — Alia ecclesia patriarchalis est basilica sancti Pauli, in qua sunt Cardinales sanctæ Sabinæ, sanctæ Priscæ, sanctæ Babinæ, sanctorum Nerei et Achillei, sancti Sixti, sancti Marcelli, sanctæ Suzannæ. — Quinta patriarchalis erat sanctus Laurentius extra-muros, in qua sunt hi Cardinales: sanctæ Praxedis, sancti Petri ad vincula, sancti Laurentii in Lucina, sanctorum Joannis et Pauli, sanctorum quatuor Coronatorum, sancti Stephani in monte Cœlio, sancti Quirici. His autem patriarchalibus ecclesiis præfecti erant hi: Lateranensi primus Episcopus collateralis, sanctæ Mariæ Majoris archipresbyter Cardinalis, sancto Petro archipresbyter Cardinalis, ecclesiæ sancti Pauli abbas Cardinalis, ecclesiæ sancti Laurentii abbas Cardinalis. — Sunt præter titulos diaconiæ, iisque præfecti diaconi Cardinales, dicti regionarii, iidemque numero duodecim diaconiis Regionariis præfecti. Item diaconi Palatini sex: hi præsunt diaconiis, quæ sunt sancta Maria in Dominica, cui præest archidiaconus, sancta Lucia ad septem Solia, sancta Maria Nova, sancti Cosmas et Damianus, sanctus Hadrianus, sancti Sergius et Bacchus, sanctus Theodorus, sanctus Georgius, sancta Maria in schola Gracca, sancta Maria in Porticu, sanctus Nicolaus in Carcere, sanctus Angelus in Foro piscario, sanctus Eustachius, sancta Maria in Aquiro, sancta Maria in Via lata, sancta Agatha in Equo marmoreo, sancta Lucia in capite Suburræ, sancti Viti in Macello. Est munus diaconorum Regionariorum cantare Evangelium in stationibus. Palatini cantant Evangelium in ecclesia Lateranensi. — Subdiaconi sunt omnes numero viginti et unus:

septem Regionarii, qui epistolas, et lectiones cantant in stationibus: septem Palatini, qui idem munus præstant in ecclesia Lateranensi: septem alii qui dicuntur schola cantorum, qui cantant tantummodo, quando Summus Pontifex celebrare consuevit. — Sunt in Urbe abbatiæ vinginti duæ, videlicet sancti Cæsarii in Palatio, sancti Gregorii in clivo scauri, sanctæ Mariæ in Aventino, sancti Sabini Episcopi, sanctorum Alexii et Bonifacii, sanctorum Priscæ et Aquilæ, sancti Sabbæ, sancti Tiburtii, sanctorum Cosmæ et Damiani in Vico aureo, sancti Sylvestri inter duos hortos, sanctæ Mariæ in Capitolio, sancti Basilii juxta Palatium, sanctæ Agathæ, sancti Laurentii in Paneperna, sancti Thomæ juxta forum Claudii, sancti Blasii inter Tiberim et portam sancti Petri, sanctæ Trinitatis Scotorum, sancti Valentini juxta Pontem, sanctæ Mariæ in capite aureo, sanctæ Mariæ in Pallaria, sanctæ Mariæ juxta sanctum Petrum ad vincula. — Insuper præter septem collaterales Episcopos erant alii Episcopi, qui dicuntur suffraganei Romani Pontificis, nulli alii Primati, vel Archiepiscopo subjecti, qui frequenter ad Synodos vocarentur. In campania Tiburtinus, Anagninus, Signinus, Ferentinus, Alatrinus, Verulanus, Soranus, Fundanus, Cajetanus, Tarracinus. In Marsis sunt hi, Furconensis, Marsicanus, Valvensis, Theatinus, Pennensis, Aprutinus. In Tuscia sunt hi: Nepesinus, Subsinus, Civitensis, Hortanus, Balneoregiensis, Urbevetanus, Viterbiensis, Castrensis, Suanensis, Clusinus, Perusinus, Castellanus, Aricinus, Grostetanus, Volaterranus, Senensis, Lucanus, Pistoriensis, Florentinus, Fesulanus, Lunensis. In Umbria et Marchia: Spoletum, Assisium, Fulginas, Nucerinus, Eugubinus, Reatinus, Tudertinus, Amerinus, Narniensis, Interamnensis, Esculanus, Firmanus, Camerinensis, Auximannus, Humanus, Anconitanus, Esinus, Senogalliensis, Fanensis, Pisauriensis, Forosemproniensis, Calliensis, Urbinas, Ariminensis, Ferentanus.

Antiquiori ævo, occurrunt iidem Cardinales Episcopi, licet nondum eo *Cardinalium* vocabulo designati, sed cum aliis æquivalentibus denominationibus.

In actis pseudoconcilii romani anni 963 legitur : *Tunc*

Romani Pontifices, Episcopi scilicet suffraganei, et Cardinales presbyteri, et diaconi cum universa plebe dixerunt (Apud Thomassinum parte 1, lib. 2, c. 116, p. 6). Qui ibi vocantur *Romani Pontifices* iidem esse videntur qui postea *Cardinales Episcopi* dicti sunt. Vocabantur etiam *Romani Episcopi* ; nam Otto I, quo regnante præfata Synodus habita est, sic scribit ad Joannem Papam XII : *Dum filios vestros, Romanos scilicet Episcopos, Cardinales presbyteros et diaconos, et universam plebem de vestra absentia percontaremur* (apud Thomassinum, loco citato). Et in capitularibus Caroli Magni (lib. 5, cap. 34) : *Consultu Leonis cæterorumque Ecclesiæ Romanæ Episcoporum.*

Monumenta diligentius perscrutando forte reperient eruditi, jam a remotissima antiquitate quosdam vicinarum civitatum Episcopos a Romano Pontifice adcitos, qui presbyterio suo, idest, Cardinalibus suis presbyteris et diaconis adjungerentur, et eum in Ecclesiæ universalis regimine adjuvarent.

CAPUT III.

COLLEGII CARDINALIUM ANTIQUITAS, ET AN INSTITUTIONIS DIVINÆ SIT, AN VERO DUMTAXAT APOSTOLICÆ.

Propositio I[a]. — *Cardinalium vocabulo intelligendum hodie est clericorum collegium, ad auxiliandum Romano Pontifici in Ecclesiæ regimine sede plena, ad supplendum eundem sede vacua, institutum.* — Quidquid antiquitus Cardinalis vocabulo significatum fuerit, id certum est, a multo jam tempore eo nomine certos quosdam clericos designari, quorum proprium officium sit Romano Pontifici auxiliari in Ecclesiæ universalis regimine, et dum vacat Sedes Apostolica, idem universale regimen quoad necessaria suscipere, usque ad novi Pontificis electionem. Hujusmodi scilicet clericorum collegio, usus loquendi generalis, a multis saltem sæculis, propriam fecit *Cardinalium* denominationem. Qui ergo hodie *Cardinalis* vocabulo alios præter

dictos clericos intelligeret, ab usu generaliter recepto deviaret, et proinde indebite loqueretur.

Præfatos autem clericos merito designamus et ab aliis distinguimus, ex prærogativa *auxiliandi et supplendi Romano Pontifici in Ecclesiæ regimine :* licet enim aliis etiam prærogativis potiantur, ea tamen præcipua est, et in ea reponenda videtur institutionis Cardinalitii collegii essentia, ut infra ostendimus.

Propositio II[a]. — *Cardinalium collegium statim ab ipsis Ecclesiæ Romanæ exordiis extitit, licet nondum eo Cardinalium vocabulo tanquam sibi proprio designatum.* — I. Extitit quoad rem Cardinalium collegium, idest, ea institutio quam hodie Cardinalium vocamus, statim ac extitit collegium clericorum, quibus proprium officium incumberet Romano Pontifici in regenda Ecclesia assistere, eodemque vita functo supplere : atqui tale clericorum collegium ipsimet Romanæ Ecclesiæ Synchronum est. Nam eruditi pro explorato atque omnino indubitato habent, in singulis ecclesiis seu diœcesibus statim ab earum efformatione extitisse quoddam collegium clericorum Episcopo specialialiter adhærentium, atque ipsi auxiliantium, quod remotior antiquitas *presbyterium* et *ccclesiæ senatum* vocavit, recentiores vero cathedralis *capituli* et *canonicorum* nomine designarunt. Eorum porro partes erant cum Episcopo, et vice Episcopi, jus dicere, negotia expedire, perpetuumque auxilium præsuli suo, tanquam capiti corpus præstare. Sede autem vacua penes eosdem Ordinaria jurisdictio remanebat. Id locupleti calamo Thomassinus, aliique antiquitatum indagatores unanimi consensu asserunt atque demonstrant, et ipse in meo tractatu *de capitulis* ex professo firmavi.

Jam vero et Romanæ Ecclesiæ suum ab exordiis adfuisse presbyterium, nedum dubitari possit, abundantiori documentorum copia liquet. Ad Romanum autem Pontificem non unius dumtaxat diœceseos, sed universalis Ecclesiæ statim ab initio suprema gubernatio pertinuit. Cui proinde debuit suum presbyterium in hoc totius ecclesiæ regimine auxiliari, et sede

vacua supplere. Ergo statim ab initio Romæ extitit verum cardinalium collegium, etsi nondum eo nomine designatum fuerit.

II. Idem expresse docet Eugenius IV : *Etsi,* inquit, *hujus dignitatis nomen, quod modo in usu est, ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita expressum fuit, officium tamen ipsum a B. Petro, ejusque successoribus institutum evidenter invenies* (Bullarium Romanum, tom. 3, pag. 3. Constitutio XIX Eugenii IV, § 4). De qua cardinalitii collegii, quoad officium ipsi proprium, antiquitate, concordant doctores, ut ex sequenti thesi magis patebit.

Propositio III[a]. — *Cardinales esse institutionis divinæ, fuit opinio valde recepta. et a Gallicanis præcipue doctoribus propugnata.* — I. Duplex proferri solet e sacris scripturis fundamentum, quo probetur jure divino institutos fuisse cardinales: alterum ex veteri testamento, ubi videmus divina dispositione præscriptum, ut pro difficultate et ambiguitate judicii accedatur ad *sacerdotes levitici generis, et Judicem qui fuerit illo tempore*, et obediatur ipsorum judicio (deuter. cap. 17). Item adducitur illud numerorum (cap. 11) : *Dixit Dominus ad Moysen : congrega mihi 70 viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint et magistri ; et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum : ut descendam et loquar tecum ; et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.*

Alterum fundamentum, e novo testamento depromptum, est ipsummet Apostolorum officium, antequam in diversas mundi partes ad prædicandum Evangelium dispergerentur. Interea nempe Christo, et postea Petro, socii et adjutores fuerunt ; idque ex Christi procul dubio eos vocantis institutione : in quo munere iis successerunt Cardinales, sicut in munere eorum episcopali, quo postea dispertiti functi sunt, successerunt Episcopi.

II. Illam autem opinionem gravissimam reddit ingens ipsi adhærentium doctorum auctoritas. Nam Innocentius III (ca-

pite *per venerabilem*, 13, tituli 17, libri 4 Decretalium) aperte docet per *sacerdotes levitici generis*, de quibus in supra citato Deuteronimii textu, intelligendos esse Summi Pontificis coadjutores : *Sane cum Deuteronomum lex secunda interpretatur, ex vi vocabuli comprobatur ut quod ibi decernitur, in novo testamento debeat observari.... Sunt autem sacerdotes levitici generis Fratres nostri, qui nobis jure levitico in executione sacerdotalis officii coadjutores existunt.* Sub nomine *fratrum* et *coadjutorum* ibi ab Innocentio indicari Cardinales, dubium non est. Item Eugenius Papa IV, in sua Constitutione quæ incipit *non mediocri* (Bullarium Rom., tom. 3, pag. 3), de officio cardinalium sic affirmat : *Imo, ut inquit Innocentius III, ex veteri testamento jussu Dei traxit originem. Asserit enim id quod Deuteronomii* 17 *dicitur* (*ut pro difficultate et ambiguitate judicii accedatur ad sacerdotes levitici generis et judicem qui fuerit illo tempore, et obediatur ipsorum judicio, qui præsunt loco quem elegerit Dominus*), *de Summo Pontifice intelligendum esse et fratribus ejus, id est, S. R. E. cardinalibus, qui et jure levitico in executione sacerdotalis officii existunt.*

Sed et hujus doctrinæ antiquius monumentum exhibet Baronius (ad annum 882, n. 8) ; constitutionem scilicet Joannis VIII, qua varia circa officium cardinalium disponuntur. Sic nempe eos dictus Pontifex alloquitur : *Quippe cum, sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita et vestram fraternitatem septuagenta seniorum, qui sub eodem causarum negotia dijudicabant, vicissitudinem gerere, certum habeamus.*

III. Doctores autem Scholæ qui eamdem doctrinam tenuerunt longum esset adducere. Multos citat Cobellius (*notitia cardinalatus*, part. 1, cap. 1), quorum allegationibus sic ipse subjungit : « Ex præcitatis igitur scriptoribus, aliisque per « eos congestis, satis probatum videtur cardinalatus officii « originem ex jure divino, tam ex veteri quam novo testa« mento deduci posse. » Quæ quidem sententia, quam generaliter sæculo XIII esset recepta, satis probat Frederici II imperatoris ad Cardinales anno 1239 directa epistola, in qua

sic eos alloquitur : *Cum sicut Christus caput Ecclesiæ et in Petri vocabulo suam fundavit Ecclesiam supra Petram, vos Apostolorum statuit successores* (apud Thomassinum, p. 1, lib. 2, c. 114).

IV. Ast in ea propugnanda opinione cæteris zelo præisse videntur doctores gallicani. Percelebris est Petri de Alliaco *de Ecclesiastica potestate* disceptatio, Constantiensis etiam Concilii Patribus exhibita. In ea porro sic de præsenti quæstione disserit citatus auctor, adulationis in Sedem Apostolicam haud sane suspectus : « Licet nomina Papatus et cardinalatus tempore Petri et aliorum Apostolorum non fuerint in Ecclesiæ usu, tamen ecclesiasticæ potestates dictis nominibus designatæ ex tunc in Apostolis præfulserunt, videlicet papalis dignitas in Petro, et in singulis Apostolis cardinalatus auctoritas. Pro cujus declaratione sciendum est quod, sicut patet ex decursu historiæ actuum Apostolorum, ecclesiasticis historiis ac Sanctorum Patrum decretis, ante divisionem Apostolorum, per quam ad diversas mundi partes dispersi sunt, Apostoli Petro, tanquam papale officium gerenti assistebant, tanquam cardinalatus ministerium exercentes; sicut nunc Papæ assistunt Cardinales, tanquam ejus principales assessores et consiliarii atque cooperatores in regimen universalis Ecclesiæ. Postquam vero Apostoli a Petro separati speciales sibi diœceses sortiti sunt, ex tunc episcopale officium exercuerunt. Ex hoc potest inferri, quod Apostoli prius Cardinales quam Episcopi fuerunt.... Prius fuerunt Cardinales Orbis, quam Urbis. Senatui Apostolorum succedit Collegium Sacrum Cardinalium, quantum ad illum statum quo Apostoli coassistebant Petro antequam fierent particularium ecclesiarum Episcopi : statui autem Apostolorum, in quantum fuerunt Episcopi, succedit ordo Episcoporum. » (Van-der-Hard, *Acta Concilii Constant.*, tom. 6, parte 2, pag. 18 et seq.).

Idem vividiori forma expressit Gersonius : « Status summi ac Sacri Collegii dominorum Cardinalium fundatus est in ecclesiastica hierarchia subcœlesti immediate a Christo,

« nec humana institutione aut præsumptione potest destrui » (tom. 1, pag. 188 ; citatum apud Tamagna, tom. 1, p. 76).

Cæterum anno 1413 Pragensis universitas decreverat a suis doctoribus et magistris pronuntiandam formulam fidei, qua quisque inter alia profiteretur, *quod sentit et credit ac vult sentire et credere sicut Ecclesia Romana et non aliter ; cujus Romanæ Ecclesiæ caput est Papa, corpus vero collegium Cardinalium ; manifesti ac veri successores in officio ecclesiastico B. Petri principis Apostolorum, et collegii aliorum Apostolorum Christi* (apud Raynaldum ad annum 1413, n. 5).

Propositio IV^a^.— *Sententiam, quæ juri divino adscribit Cardinalium institutionem, nec de fide nec fidei proximam esse, videtur posse licite sustineri.* — Gravissimas proculdubio quisque fatebitur auctoritates modo adductas, quibus fulcitur de divina Cardinalium institutione sententia; nec defuere auctores qui iis perculsi, dictam sententiam existimarunt esse de fide, aut saltem fidei proximam. Sed nimia forte hæc conclusio. Nam citata Innocentii III et Eugenii IV verba, pro expressis Sedis Apostolicæ definitionibus non videntur habenda, ut totum contextum perpendenti facile liquebit. Aliunde, quamvis receptissima sententia hæc apud doctores Scholæ fuerit, non tamen constat id tanquam quid dogmatis, et tanquam omnino certum, et communi consensu fuisse ab ipsis propugnatum; quæ conditiones, ex regulis a Melchiore Cano traditis (*de locis Theol.*) necessariæ sunt, ut ex doctorum Scholæ auctoritate illicitum fiat propositionem aliquam impugnare aut in dubium adducere. Hinc potius cum Tamagna (tom. 1, pag. 78) præfatam sententiam, etsi gravissimis auctoritatibus fultam, non tamen inter necessario amplexandos doctrinæ articulos reponerem.

Atvero, si juri divino adscribenda non videatur Cardinalium institutio, ad apostolicas saltem ordinationes eam esse referendam fatendum est; atque id plane evincunt sub præcedentibus propositionibus allata rationum atque auctoritatum momenta.

PROPOSITIO V^a^.—*An a suprema Ecclesiæ potestate Cardinalium collegium aliquando supprimi possit, inter dubias quæstiones videtur relinquendum.*— Affirmantem Gersonem supra audivimus, non posse sacrum Cardinalium Collegium, utpote a Christo ipso immediate institutum, *ulla humana institutione aut præsumptione destrui*. Et id quidem verum esset, si de divina Cardinalium institutione revera certo constaret: quæ enim juris divini sunt ab ecclesiastica potestate immutari non possunt. Atvero hoc ipsum, quod Cardinalium institutio juri divino potius quam mere ecclesiastico adscribenda sit, sub præcedenti propositione diximus posse licite in dubium revocari. Hinc non videtur ulla theologica censura notandus, qui Cardinalium institutionem habens pro mere ecclesiastica (utpote cujus non ipse Christus, sed Apostoli dumtaxat auctores extiterint) mutabilitati eam atque etiam suppressioni obnoxiam sustineret. Cum ergo inter dubias quæstiones merito reponi posse videatur divina Cardinalium institutio, idem sequitur de possibili eorum suppressione dicendum.

Nec objiciatur obstare Cardinalium suppressioni jus naturale; vi cujus nempe semper tenebitur Romanus Pontifex, in negotiis ad Ecclesiæ regimen spectantibus prudentes adhibere consiliarios atque adjutores. Nam aliud est teneri ex conscientia Pontificem ad adhibendum idoneorum virorum consilium et juvamen, aliud est ejusmodi consiliarios et adjutores ex collegio aliquo, in hunc finem instituto, esse necessario desumendos. Juris quippe naturalis obligationi satisfaceret Papa, modo hos, modo alios, pro prudentia sua sibi in auxilium adciscendo; qui tamen ex eo quod rogati sententiam dixissent, aut commisso sibi negotio operam dedissent, nequaquam ideo collegium constituerent et Cardinales essent. Quod etiam exemplo ex cathedralibus ecclesiis desumpto potest commode illustrari: nam si ecclesia supprimeret cathedrale capitulum (quod est uniuscujusque Episcopi *consilium natum*, ut loquuntur canonistæ), non ideo consiliariis ex jure naturali adhibendis destituerentur Antistites; immo multi hodie Epi-

scopi, non canonicorum, sed aliorum virorum consilio in expediendis negotiis ordinarie utuntur. Isti autem alii clerici, qui a consiliis sunt Episcopo, nullatenus ideo capitulum cathedrale constituunt.

Item conclusioni non obstat, jurisdictionem, Sede Pontificia vacua, ad Cardinales transire ; ita ut ex ea ratione dici debeat nunquam posse eorum collegium supprimi : nam quod jurisdictio in Cardinalium collegium sede vacua transeat, de fide non est ex jure divino procedere. Si autem ex lege dumtaxat ecclesiastica, absolute loquendo mutari lex illa poterit ; ita ut suppressis Cardinalibus, jurisdictio hæc necnon Pontificis electio, ad certos quosdam alios Romanos clericos pertineat.

Cæterum præsens quæstio inter otiosas merito relegari potest. Nam quidquid sit de præfatæ suppressionis possibilitate, moraliter certum dici potest usque ad finem mundi Cardinalium institutionem perseveraturam. Remanet enim *saltem probabile* eam esse juris divini ; qua stante probabilitate, nunquam profecto supprimentur Cardinales. Posset quidem dubium ejusmodi expresso Ecclesiæ judicio dirimi : atvero Ecclesia definitiones emittere non solet nisi ob aliquam instantem utilitatem. An vero unquam ingentis utilitatis erit definire, jure divino non niti Cardinalium institutionem ?

Præterea, posito etiam quod jam certum esset Cardinales ex institutione dumtaxat ecclesiastica processisse, adhuc moraliter certum remanet eorum collegium usque ad finem mundi remansurum. Cum enim necessarii semper futuri sint qui Romano Pontifici auxilientur in Ecclesiæ regimine, et inter possibiles ejusmodi assumendorum adjutorum formas, cardinalitium collegium cæteras facile vincat, tum antiquitate, tum fulgore etiam institutionis Apostolicæ, tum ipsa sua naturali aptitudine (quam recta ratio perspicit atque experientia demonstrat quammaximam), pro chimerico haberi potest casus, quo præfatam suppressionem Sedes Apostolica utilem aliquando existimet.

CAPUT IV.

CARDINALATUS ESSENTIA ET DEFINITIO.

I. Ad essentiam cardinalatus pertinet, ut sit *collegium quoddam clericorum*. Nam essentia rei aliquo vocabulo designatæ, est essentia rei quam ex communi loquendi usu homines sub isto vocabulo intelligunt : atqui vocabulo *Cardinalium,* unanimiter hodie et a multis sæculis intelligi solent certi clerici, collegium quoddam speciale efformantes : ergo *collegii clericalis* forma ad essentiam cardinalatus pertinere censenda est.

II. Satis autem per se patet collegii clericalis formam, ad Cardinalium institutionem pertinere *tanquam genus*, non vero tanquam differentiam maxime propriam. Nam præter Cardinalium collegium, certum est multa alia existere clericorum collegia. Quodlibet cathedrale capitulum, verbi gratia, est etiam collegium clericorum : item quilibet ordo religiosus vel congregatio clericis coalescens. Unde ut recte definiatur quid sint Cardinales, huic enuntiationi *collegium clericorum*, addenda est aliqua alia essentialis eorum proprietas, qua a cæteris clericorum collegiis distinguantur.

III. Officium Romano Pontifici auxiliandi in Ecclesiæ universalis regimine sede plena, et supplendi sede vacua, habendum est tanquam essentialis cardinalitii collegii proprietas. Nam tanquam essentialis proprietas cujuslibet societatis seu collegii habendum est ipsius *præcipuum et constans* officium. Societas quippe in sua propria essentia non determinatur et ab aliis secernitur, ex eo solo quod sit societas, sed ex eo quod sit societas ad *talem finem* prosequendum, seu ad *tale officium* præcipue et constanter explendum instituta. Unde si constet aliquid esse alicujus collegii præcipuum et constans officium, dicendum est officium hujusmodi esse illius collegii finem proprium, ac proinde essentialem proprietatem. Jam vero id

quod vocamus cardinalitium collegium, constanter hæc duo peregit: auxiliari Romano Pontifici in Ecclesiæ regimine sede plena, et sede vacua suppiere. Quamvis enim prioribus sæculis majorum Sedis Apostolicæ clericorum collegium, Cardinalium nomine non designaretur, idem tamen erat, (ut supra demonstratum est) ac id quod hodie cardinalitium collegium vocamus; atque duplex supradictum officium explebat, et constanter ad nostra usque tempora explevit. Aliunde officium ejusmodi non fuisse aliquid secundarium et parvi momenti, sed præcipuum et gravissimum, satis per se patet. Ergo revera tanquam essentialis cardinalitii collegii proprietas haberi debet officium auxiliandi Romano Pontifici in Ecclesiæ universalis regimine sede plena, et eadem vacua supplendi.

IV. Facultas cardinalibus exclusiva summum eligendi Pontificem, non est essentialis ipsius proprietas. — Nam ejusmodi facultatem non semper exclusive habuerunt; sed multis sæculis cum reliquo clero et populo Romano communem. Et sicut in hac re varia fuit olim disciplina, absolute iterum immutari posset. Ergo ea facultas quatenus exclusiva, ipsis accidentalis fuit; ergo non pertinet ad essentiales hujus collegii proprietates.

V. Nec proprietas distinctiva Cardinalium est, auxiliari Papæ in diœceseos Romanæ regimine sede plena, et supplere sede vacua. Nam officium ejusmodi commune est omnibus cathedralibus capitulis quoad suum respective Episcopum. Ergo quamvis dictum officium pertineat ad Cardinales, quatenus sunt simul capitulum cathedrale diœcesanum, non tamen per hanc proprietatem, tanquam ipsis exclusive propriam, discerni potest et definiri quid sit eorum institutio.

VI. Nec proprietas essentialis cardinalium est, eorum quatenus principum temporalium dignitas. — Cum a Cardinalibus eligatur Summus Pontifex, qui simul est status Pontificii verus et indepen.lens monarcha temporalis, sequitur eis inde accedere veram et proprie dictam principum temporalium dignitatem Atvero accidentale est quod Papa sit simul tem-

poralis monarcha: item accidentale est quod Cardinalibus exclusive reservata sit electio. Hæc enim sunt et de facto fuerunt mutationi obnoxia. Ergo non inter essentiales, sed accidentales dumtaxat proprietates, reponenda est Cardinalium quatenus temporalium principum dignitas.

VII. Cardinales recte definiri possunt, clericorum collegium, ad id institutum, ut in Ecclesiæ universalis regimine auxilietur Romano Pontifici sede plena, et suppleat sede vacante. — Hæc definitio ex modo expositis legitima satis intelligitur. Exprimit scilicet proprietatem constitutivam, qua illud clericorum collegium ab omnibus aliis clericis et clericorum collegiis discernitur; atque illius venerandæ institutionis patefacit proprium et essentialem finem. *Essentialem,* inquam; nam si quando cessarent Cardinales esse prædicto modo Summo Pontifici adjutores, perseverare quidem posset Cardinalium nomen; at certe ea institutio quæ ab Ecclesiæ exordiis usque nunc extitit, quamque cardinalitium collegium vocare solemus, quoad sui substantiam et essentiam plane deficeret, et extincta censeri deberet.

CAPUT V.

DE SUPERIORITATE DIGNITATIS CARDINALITIÆ PRÆ OMNIBUS ECCLESIÆ PRÆLATIS, EXCEPTO SOLO ROMANO PONTIFICE.

Prænotanda. — Circa illam quæstionem triplex distinguenda est opinio: 1° Heterodoxorum qui tenent, non tantum Cardinales ante sæculum XI præcedentiam non habuisse super Episcopos, Archiepiscopos, Primates et Patriarchas, sed abusive hanc præcedentiam ipsis fuisse collatam: 2° Catholicorum doctorum qui concedunt quidem ante sæculum XI dicta præcedentia Cardinales caruisse, at simul tenent juste eis hanc prærogativam accessisse et hodie competere: 3° Doctorum catholicorum qui propugnant semper dicta præcedentia Cardinales de jure et de facto positos fuisse. Unde in hoc con-

sentiunt catholici, quod Cardinalibus prærogativa illa certo competat et juste collata sit ; et disputant dumtaxat de quæstione, an eam semper habuerint necne. Quo prænotato, exponemus 1° sententiam quæ tenet dicta præcedentia caruisse Cardinales usque ad undecimum circiter sæculum 2° expendemus rationes quibus hæc sententia nititur : 3° deducemus rationes eorum, qui contendunt præcedentia illa Cardinales omni tempore potitos fuisse : 4° errorem confutabimus heterodoxorum, qui præcedentiam illam tanquam abusivam habent.

§ I.

Exponitur sententia quæ tenet dictam præcedentiam nonnisi undecimo aut duodecimo circiter sæculo Cardinalibus accessisse.

Sententiam illam amplexati sunt multi doctores catholici. Citandus imprimis occurrit Bellarminus (lib. 1, *de Clericis*, c. 16) : « Fateor tamen (inquit) olim Episcopos quoscumque « prælatos fuisse Cardinalibus non Episcopis ; immo etiam « cardinalatum gradum fuisse ad episcopatum, ut Onuphrius « recte docet in libro de Cardinalibus, et aperte colligitur ex « libri 1 capite 7 vitæ S. Gregorii. Postea tamen mutatus est « ordo, et cœpti sunt Cardinales Episcopis anteponi, et epi- « scopatus gradus esse ad cardinalatum. Cujus mutationis « duplex ratio assignari potest : una quod ad solos Cardi- « nales devoluta sit electio Summi Pontificis. Nam quo tem- « pore Pontifices eligebant imperatores, vel clerus et popu- « lus, non est mirum si tanti non fierent Cardinales. At « posteaquam cæperunt ipsi soli eligere, et etiam soli ipsi « ut plurimum eligi, non sine causa cœpit dignitas cardina- « litia pluris fieri quam antea. Altera causa est, quod soli « Cardinales cœperint adesse Summo Pontifici in consiliis ; « nam antea Cardinales neque soli neque primarii consiliarii « Pontificis erant. Siquidem primis sexcentis vel octingentis

« annis Summi Pontifices ad graviora negotia ecclesiæ dijudi-
« canda cogebant Concilia nationalia Episcoporum Italiæ ;
« quibus Conciliis intererant quidem Cardinales presbyteri,
« sed primus locus Episcoporum erat. Quocirca non erat
« ratio cur eo tempore Cardinales presbyteri Episcopis ante-
« ponerentur ; cum eo tempore non minus, immo magis Pon-
« tificem juvarent in Ecclesia universali regenda Episcopi
« quam Cardinales. At postea creverunt negotia Ecclesiæ
« Romanæ, præsertim cum accessisset principatus temporalis
« tempore Pipini et Caroli Magni. Proinde egebat Summus
« Pontifex consiliariorum ope multo sæpius quam antea.
« Neque poterat tam sæpe convocare Concilia Episcoporum
« quam necesse erat. Itaque usu docente, et necessitate
« cogente, his postremis annis sexcentis vel septingentis, cœ-
« perunt paulatim omitti Concilia episcopalia, et res totæ
« redigi ad senatum Cardinalium. Facta autem legitima hac
« mutatione consilii Pontificii, ab Episcopis et Cardinalibus,
« ad solos Cardinales, mirum esse non debet, si etiam facta
« est mutatio dignitatum. » Eamdem apud Baronium doctri-
nam reperies.

Item Thomassinus sustinet duodecimo dumtaxat sæculo dignitatem cardinalitiam episcopali superiorem evasisse. De quo multa congerit (tom. 1, libro 2, cap. 113, 114, 116).

Consonat Natalis Alexander, qui sub Innocentio IV dumtaxat vult Cardinales sessionis honorem supra Episcopos obtinuisse (Hist. eccles. in sæculum II, cap. 5, post dissert. 1, schol. 3).

Nec in hac re dissentit ipse Cohellius, in extollenda cæteroquin dignitate cardinalitia præcipuus (notitia cardinalatus, cap. 5). Hos secutus est Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. unicam Joannis XV).

Unde, ut alios prætermittamus, fatendum est, sat receptam fuisse inter ipsos etiam catholicos scriptores opinionem, quæ ex immutata circa undecimum sæculum disciplina repetit superiorem Episcopali Cardinalium dignitatem. An vero solidis

in ejusmodi conclusionem rationibus inducti sint, nunc est expendendum.

§ III.

Expenduntur rationes afferri solitæ ad probandum episcopali olim inferiorem fuisse cardinalitiam dignitatem.

1ª Ratio. — In veteribus Romanorum Pontificum et synodorum diplomatibus, occurrunt Episcopi non Cardinales ante Cardinales presbyteros et diaconos subscripti ; ergo horum gradui præibat episcopalis dignitas.

Hoc præcipue argumentum urgent, atque invictum existimant Thomassinus, Natalis Alexander et cæteri generatim dictæ sententiæ patroni. Sed ex isto subscriptionum ordine posse quæstionem dirimi negat Franciscus Pagius : « Nec « obstat, inquit, quod idem Cohellius in suæ confirmationem « opinionis adducit, scilicet Episcopos etiam Cardinales « subscribere aliquando diplomatibus Pontificum post alios « Episcopos qui non erant Cardinales ; hoc inquam nihil obs- « tat ; quia juxta antiquam consuetudinem, tam Conciliis « quam diplomatibus primo loco subscribebant Episcopi, sive « Cardinales sive non, secundum antiquitatem consecrationis ; « postea presbyteri, deinde diaconi. Qui modus subscribendi « deducitur ex ipsis subscriptionibus quas refert Cohellius. « Nam cum capite 5 Episcopos septem hoc ordine numerarit, « Episcopum Ostiensem primum, Episcopum Sylvæ Candidæ « seu S. Rufinæ secundum, Episcopum Portuensem tertium, « Episcopum Sabinum quartum, Episcopum Prænestinum « quintum, Episcopum Tusculanum sextum, et Episcopum « Albanensem septimum ; explicare debuit cur Episcopus « Sylvæ Candidæ, qui ex ipso erat secundus inter Episcopos « Cardinales, subscripsit tamen damnationi præfati Anastasii, « tituli S. Marcelli presbyteri cardinalis, (apud Baronium « anno 853), post Portuensem qui erat tantum tertius inter

« Episcopos Cardinales; et cur Episcopus Tusculanus qui « erat ordine sextus, subscripsit ante Prænestinum qui erat « ordine quintus, diplomati Paschalis II, cujus subscriptiones « ipsemet Cohellius refert. Hujus subscribendi modi alia « ratio, meo quidem judicio, afferri non potest, quam priori- « tas consecrationis episcopalis.... Ex quibus inferendum est, « nihil deduci posse ex illis subscriptionibus pro superioritate « Cardinalium inter se, nec consequenter Episcoporum super « Cardinales. » (In præfatione *brevarii historico-chronologico-critico* vitarum Pontificum, n. 11.)

Pagii sententiam amplexus est Tamagna (*origini de' Cardinali*, tom. 1, pag. 283, edit. Romæ 1790); qui simul ostendit in hac hypothesi nihil difficultatis aut contradictionis occurrere in præfatis veterum diplomatum subscriptionibus : admissa vero contraria opinione, subscriptum nempe fuisse juxta prælationis ordinem, multa non concordare, nec explicari posse, nisi excogitando variationes quasdam et alternativas, quæ aliunde monumentis ecclesiasticis non congruunt.

Ea vero Francisi Pagii et Tamagnæ sententia sufficere videtur ad evertendum opinionis oppositæ, ex ordine antiquarum subscriptionum deductum, argumentum; quod sic ostendi potest : morem olim viguisse, non juxta gradum prælationis, sed juxta hierarchiam sacrorum ordinum, et juxta antiquitatem cujusque in eodem ordine, subscribendi, est hypothesis quæ saltem probabilis est, et quam opinionis oppositæ patroni falsam nullatenus demonstrarunt; atqui hoc sufficere videtur ut robore careat eorum argumentum : nam quandiu dicta hypothesis non demonstrata fuerit falsa, dici poterit Cardinales presbyteros vel diaconos reperiri post Episcopos non Cardinales subscriptos, non quod non forent his Episcopis dignitate superiores, sed quia mos erat, in ejusmodi subscriptionibus sacrorum ordinum hierarchiam observandi : in qua certe hierarchia etiam hodie Cardinalis qui non est Episcopus inferior est Episcopo non Cardinali. Cum ergo certum non sit hoc subscribendi ordine indicari *ordinem prælationis*, frustra

allegatur ad probandum, præisse olim cardinalatui Episcopalem dignitatem.

De prædicta vero Pagii et Tamagnæ opinione diximus dumtaxat eam esse *saltem probabilem* et nondum falsitatis convictam, quia id satis erat ad præsentis quætionis scopum. Cæterum eam certam, aut non esse, aut probari non posse, non affirmanus; sed cum longum esset ejusmodi antiquas diplomatum subscriptiones hic recensere atque excutere, eruditis id negotii relinquimus.

2ª Ratio. — Cardinalatus erat gradus ad episcopatum; ergo potior erat episcopalis præ cardinalitia dignitas. A Bellarmino urgeri hoc argumentum supra vidimus. Urgetur etiam a Thomassino, Cohellio et aliis.

Porro etiam hæc ratio prorsus robore caret. Nam quod cardinalatus gradus fuerit ad episcopatum probant præcipue textu Joannis diaconi, in quo narratur a Gregorio Magno in Episcopos diversorum locorum ordinatos fuisse nonnullos Ecclesiæ Romanæ Cardinales presbyteros, diaconos et subdiaconos. Porro textus ille nullatenus probat cardinalatum gradum fuisse ad episcopale culmen. Quod ut palam fiat, ipsa primum Joannis diaconi verba adducamus : « Et si quando, inquit, « necessitas ordinandi Sacerdotis obrepsit, neque cardinales « ecclesiæ suæ, neque monachos monasterii sui penitus excu- « savit, quominus illis ecclesiam regendam committeret, qui « exemplis et verbis pariter illam ædificare melius potuis- « sent. Nam ut pauca de multis contingam, ex presbyteris « cardinalibus ecclesiæ suæ consecravit Episcopos Bonifa- « cium Regii, Habentium Perusii, et Donum Messanæ Sici- « liæ. Ex subdiaconibus vero Gloriosum Ostiæ, Faustum Ca- « puæ, Petrum Trecis, et Castorium Arimini. Solis diaconi- « bus Apostolicæ Sedis super hac quodammodo parte parce- « bat; quorum cum decem et novem plenitudine redunda- « ret, ipse Bonifacium, Florentium et Epiphanium consecra- « vit. »

Quam immerito ex his verbis inferatur cardinalatum gra-

dum fuisse ad episcopatum, facile ostendi potest. Nam 1° hodie etiam mos est ut quis, jam Cardinalis, constituatur in aliqua civitate Episcopus; et tamen hodie minime dubia est cardinalatus super episcopatum prælatio; imo ex episcopatu solet gradus fieri ad cardinalatum. 2° Quamvis presbyter diaconusve cardinalis in Episcopum alicujus civitatis ordinatus, non ad altioris, sed ad inferioris dignitatis munus transiret, bene potuit sanctus Gregorius, ad subveniendum destitutis ecclesiis, ejusmodi onus Cardinalibus suis imponere : quando enim agitur de animarum discremine, postponi debent quæ ad dignitatem pertinent. Et hunc sensum aperte indicant allata Joannis diaconi verba. Ut enim ostendat quanto zelo S. Gregorius destitutarum ecclesiarum curam egerit, tanquam extraordinarium quid et summum profert, quod *neque Cardinales ecclesiæ suæ* excusatos voluerit a tali suscipiendo onere, si quando id exigeret necessitas. Ergo detrimenti quid, non dignitatis augmentum erat, e presbyterali diaconalive cardinalatu ad episcopatum migratio. 3° Sed rem omnino evincunt adjuncta ejusdem historici verba : Addit enim solitum fuisse Magnum Gregorium id non peragere, nisi obtento prius Cardinalis ad episcopatem transferendi consensu; *ne,* inquit, *sub hujusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur.* Ergo periculum erat ne Cardinalis diaconus subdiaconusve deponi videretur, dum Episcopus in aliqua civitate constituebatur, nisi prævio consensum ipse præstitisset. Unde nedum ex Joannis diaconi historia deduci possit, gradum fuisse ad episcopatum cardinalitium decus, conclusio omnino contraria inde exurgit, potioris nempe episcopali dignitatis fuisse Cardinalem etiam subdiaconum.

Magis ad rem videtur iuscriptio, de qua sic meminit Cardinalis Petra (tomo 1, ad constitutionem unicam Joannis XV, n. 11). « Cardinalis Baronius, tomo 7 annalium, ad annum 583, « n. 15, recenset epitaphium cujusdam Andreæ presbyteri « Cardinalis, Cajetæ Episcopi, positum in dicta civitate : *Ro-* « *manamque prius decoravit presbyter Urbem : culminis auctus*

» *honor hic dedit esse Patrem.* Quare honore auctus dictus « fuit Cardinalis episcopatum assumens. » Responderi forsan potest, locutionem qua episcopatus vocabatur *culmen*, frequentissimi usus fuisse; ita ut idem foret evehi ad honoris culmen, ac consecrari in Episcopum. Quod verum erat et semper erit quoad hierarchiam ordinis, non autem dignitatis; siquidem quoad dignitatem et potestatem, episcopatus semper inferior fuit summo pontificatu. Auctorem autem inscriptionis hac locutione usum esse, ut mere synonima consecrationis episcopalis, et simul magis poetica; non autem ut indicaret superioritatem episcopatus relative ad cardinalatum : quasi nempe solummodo dixisset : collata ipsi consecratione episcopali, factus est Cajetæ Episcopus.

3ª Ratio. — Quando mentio fit de Episcopis simul et Cardinalibus, priores ponuntur Episcopi. Dum Leo Hostiensis loquitur de creatione Victoris Papæ III, sic habet : *Episcopos et Cardinales Romanæ Ecclesiæ ex diversis partibus Romam confluentes, etc.* « Et in bulla unica Callixti II, tomo 1 bullarii, « anno 1122, scripta Henrico V Imperatori, sic habetur : « *Fratres enim Episcopi, Cardinales, et totus Romanus clerus una* « *nobis te salutant.* » (Cardinalis Petra, tomo 1, ad constit. unicam Joannis XV, n. 10).

Hoc autem argumentum non videtur peremptiorum : nam tunc temporis extabant Romæ Episcopi cardinales, prout constat, verbi gratia, ex his Petri Damiani verbis (epist. 1, libri 2, anni 1058) : *Venerabilibus in Christo sanctis Episcopis Lateranensis Ecclesiæ Cardinalibus, Petrus indignus intimæ devotionis affectum.* Dici autem potest, in citatis textibus agi dumtaxat de hujusmod Cardinalibus Episcopis. Isti autem Episcopi Cardinales subscribebant cum sola denominatione *Episcoporum*, nec addebant *Cardinalium;* quia, cum essent Episcopi Lateranensi Ecclesiæ addicti, satis intelligebatur eos esse Cardinales, quin opus foret id exprimere. Pariter quando de ipsis fiebat mentio, sola Episcoporum denominatio ponebatur. Quod autem Cardinales Episcopi ante Cardinales non Episcopos nominentur, nihil facit ad quæstionem.

4ª Ratio. — Ante decimum quartum sæculum, ut vult Cohellius, Episcopi non fiebant Cardinales; ergo cardinalitia præstantior erat Episcoporum dignitas.

Respondetur, jam undecimo sæculo occurrere exempla Episcoporum ad cardinalitiam dignitatem evectorum; siquidem ab Alexandro III, cardinalis presbyter tituli sancti Marcelli creatus est Conradus Moguntinus Episcopus; et ab eodem pontifice (in Concilio Lateranensi III, sessione 2), Cardinalis item presbyter tituli S. Sabinæ creatus est Guillelmus Rhemensis Archiepiscopus. Cæterum ante mediam circiter undecimi sæculi partem non solitos fuisse ad cardinalatum promoveri Episcopos, explorata res est. An autem quia nondum cardinalatia dignitas superior reputaretur? Minime: sed quia, cum ad residendum in titulis suis tenerentur Cardinales, Episcopi in suis civitatibus degentes nequaquam Cardinales esse poterant. Quod sic præclare Franciscus Pagius: « Si quis quæ-
« rat, cur ante medium sæculum undecimum vel duodeci-
« mum Episcopi non fierent Cardinales, ratio in promptu est:
« quia scilicet tunc Cardinales obligabantur ad residendum
« sicut Episcopi; ideoque non poterant simul esse Episcopi et
« Cardinales, cum non possent duobus in locis residere. Car-
« dinales obligatos fuisse ad residentiam sæculo nono jam viri
« docti deduxerunt ex Anastasii bibliothecarii verbis in
« Leonis IV vita; in qua tradit, Anastasium, tituli S. Marcelli
« presbyterum Cardinalem, ad synodum vocatum venire no-
« luisse, ideoque *canonice* depositum, et omni sacerdotali ho-
« nore privatum, *eo quod parochiam suam per annos quinque*
« *contra canonum statuta deseruisset, et in alienis usque demo-*
« *raretur*. Ex quibus etiam inferendum, Cardinales ab obliga-
« tione residentiæ fuisse dispensatos, cum Episcopi in Cardi-
« nalium collegium cooptari cœperunt. » (In præfatione *breviarii historici-chronologici-critici*, n. 13).

5ª Ratio. — Joannes XXII quemdam, quem ad archiepiscopatum idoneum non existimabat, Cardinalem creavit; de quo dictus Pontifex certiorem fecit Philippum Galliarum

regem. Ita Thomassinus (parte 1, lib. 2, cap. 114, n. 8 et 9), qui inde infert minorem episcopali tunc temporis æstimatam fuisse cardinalitiam dignitatem.

Quæ ratio adeo est frivola, ut vix confutatione indigeat. Cum enim aliud sit episcopatus officium, aliud cardinalatus, nemo non videt aptum ad posterius reperiri potuisse, qui exequendo priori impar æstimaretur. Nisi forte, eo quod Thomassinus architectum agere nequiverit, bene vero theologiæ lectorem, dicendum sit theologiæ magistris architectos dignitate præire.

6ª Ratio. — Episcopi Cardinales subscribebant cum solo Episcopi titulo. Dum ergo negligerent addere Cardinalis titulum, satis innuebant sibi videri episcopali inferiorem cardinalitiam dignitatem.

Sed neque huic argumentationi vis ulla inest. Conceditur quidem reperiri, usque ad medium etiam duodecimum sæculum, subscriptos Cardinales Episcopos, absque illa *Cardinalis* denominatione. Non tamen id constanti regula observatum fuit; siquidem anno 1054 Humbertus subscribebat, *Dei gratia Cardinalis Episcopus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ;* et multa alia ejusmodi exempla adduci possunt, ut videre est apud Tamagna (*Origini de' Cardinali,* tom. 1, pag. 289). Atvero quod ex omisso in multis saltem ejusmodi subscriptionibus *Cardinalis* titulo, inferri legitime possit, eam dignitatem a subscribentibus Cardinalibus Episcopis despectam fuisse, et minoris quam episcopalem factam, omnino negandum est. Nam ut valeret illatio, necesse foret ut dictæ omissionis nulla alia potuerit causa existere, quam allegata; quod nempe ii Cardinales Episcopi cardinalitiam dignitatem præ episcopali parvifecerint: atqui alia potuit existere causa ejusmodi omissionis. Cum nempe variæ denominationes in subscribendo addi plerumque in hunc finem soleant, ut personæ subscribentes aliæ ab aliis distinguantur, quando jam satis per unam denominationem distinctio hæc exprimitur, alii tituli (utpote inutiles) plerumque omittuntur. Porro quoad Cardinales Episcopos, inutilis

erat cardinalitiæ qualitatis addita mentio. Omnibus enim notum erat, ab anno 768 septem civitatum Romæ circumvicinarum Episcopos Sacro Collegio fuisse incardinatos. Hinc quando unus ex eis cum sui episcopatus titulo subscribebat, hoc ipso intelligebatur Cardinalis, et, tum ab Episcopis non Cardinalibus, tum a Cardinalibus non Episcopis omnino distinguebatur. Hæc, verbi gratia, subscriptio *N. Episcopus Albanensis*, perfecte æquivalebat isti, *N. Episcopus Albanensis, et S. R. E. Cardinalis ;* quia nempe omnes sciebant Albanensem Episcopum esse unum ex septem Cardinalibus Episcopis, Lateranensi ecclesiæ addictis ut Romano Pontifici assisterent. Si vero postulatur cur potius per solam vocem *Cardinalis,* tacita sui episcopatus denominatione non subscripserint, facilis responsio est : per solam nempe *Cardinalis* denominationem, a Cardinalibus presbyteris et diaconis non potuissent discerni. Cum ergo episcopatus sui denominatione cardinalatum, non vice versa episcopatum per *Cardinalis* nomen exprimere valerent, quis non videat ex ea sola ratione accidere potuisse cardinalitiæ dignitatis in subscribendo omissionem? Contrarium vero quoad presbyteros et diaconos Cardinales procedebat : cum enim alii præter Cardinales Romæ existerent presbyteri et diaconi, ab his, nisi adjecto *Cardinalis* vocabulo, distingui non potuissent. Somniarunt ergo qui ex prædicta omissione concluserunt minorem episcopali æstimatam fuisse cardinalitiam dignitatem. Perseveravit certe ejusmodi omissio etiam post S. Petrum Damianum; et nihilhominus affirmabat ille de cardinalibus, tanquam quid omnibus notum et extra controversiam omnem positum : *Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, Patriarcharum jura transcendunt* (apud Tamagna, *Origini de' Cardinali,* tom. 1, pag. 292, edit. Romæ 1790).

7ª Ratio. — « Patres antiqui quotquot ecclesiasticam hie-
« rarchiam descripserunt, Episcopos, presbyteros et diaco-
« nos commemorant. Concilium Tridentinum (sess. 23, c. 6):
« *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam di-*
« *vina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presby-*

« *teris et ministris, anathema sit.* Nulla ibi mentio Cardina-
« lium ; adeoque ordinatione divina non sunt instituti eo
« sensu quo Episcopi, neque ex institutione Christi sunt Epi-
« scopis superiores » (in sæculum 2, cap. 5, diss. 1, Schol. 3).

Ejusmodi ratiocinationem, quomodo pro valida habere potuerit Natalis Alexander, vix capio. Ut statim pateat istius argumenti nullitas, illud Romano Pontifici retorquendo applicemus : in hierarchia ecclesiastica, qualis a Tridentina Synodo describitur, nulla fit mentio Papæ, sed de Episcopis dumtaxat, presbyteris et ministris ; ergo institutioni Christi adscribenda non est papalis dignitas, neque ea dignitas est episcopali superior. Si respondeatur sub nomine Episcoporum Papam includi, subjiciam ego : includitur quidem *quatenus Episcopus ;* quatenus vero est supremus Pastor et Ecclesiæ caput, et cæterorum Episcoporum Episcopus, de ipso prorsus silet in ea hierarchiæ descriptione Tridentina Synodus. Si ergo, ex eo quod taceantur in dicta descriptione Cardinales Episcopi presbyteri et diaconi *quatenus Cardinales,* inferre liceat cardinalitiam dignitatem et potestatem ab institutione Christi non procedere, pariter licebit concludere, ex eo quod ibidem nulla mentio fiat de Papa *prout Papa est,* papalem dignitatem et potestatem institutioni divinæ nullatenus esse referendam : falsum posterius, ergo et prius. Unde, etiamsi verum foret institutionis divinæ Cardinales non esse, ad id tamen probandum nihil prorsus valeret Natalis Alexandri argumentum. Cujus præterea inanitas directe patet, ex eo quod in adducto Tridentinæ Synodi canone describatur dumtaxat *hierarchia ordinis ;* extra hanc autem existere possit et de facto semper in Ecclesia extiterit *hierarchia jurisdictionis* et dignitatis ; quam certe non negavit laudatus auctor. Ex hierarchia jurisdictionis processit, quod Patriarcha superior Primati, Primas vero Archiepiscopo, et hic Episcopo fuerit, quamvis hi omnes ordine episcopali æquales sint : item quod archidiaconus, etsi presbyteris in ordine sacro inferior, iis tamen jurisdictione superior fuerit. Hæc et similia tota mole clamant monumenta

ecclesiastica, et negat catholicorum nullus. Et certe Cardinali presbytero superiorem esse Episcopum, si de hierarchia ordinis agatur, de fide est : *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, anathema sit* (Trid. sess. 23, cap. 7). Atvero cum de Cardinalium supra Episcopos superioritate agitur, non jam de superioritate quoad sacrum ordinem quæstio movetur, sed dumtaxat quoad jurisdictionem et dignitatem. Provocando ergo ad hierarchiam ordinis omnino extravagatur Natalis Alexander. Cæterum ipsius objectiunculam jamdudum subverterat Eugenius Papa IV, in sua Constitutione, quæ incipit *non mediocri,* anni 1438, his verbis : *Nec causetur quispiam, quod ordo episcopalis presbyterio major sit; quoniam in ejusmodi prælationibus officium ac dignitas sive jurisdictio præponderat ordinis. Quemadmodum jure cautum est, ut archidiaconus non presbyter, suæ jurisdictionis obtentu, archipresbytero præferatur; simili modo diaconus vel subdiaconus, aliusve clericus, noster aut alicujus metropolitani vicarius seu locum tenens, in Synodo et alibi, alios quoscunque ordine majores etiam Episcopos antecedit, propter illius jurisdictionem quam exercet, et personam quam repræsentat. Sic et electus ad ecclesiam cathedralem et confirmatus, quanquam nondum consecratus, ratione jurisdictionis, cunctis in sua diœcesi præeminet.*

Conclusio paragraphi.—Sedulo expiscavimus varias rationes afferri solitas ad probandum, episcopali olim inferiorem fuisse cardinalitiam dignitatem. Porro præter septem præmissas nullam reperimus quæ alicujus momenti videretur. Cum ergo neque septem istæ, modo discussæ, rem clare evincant, concludendum videtur, nullatenus pro certa et probata habendam esse opinionem, de prisca dignitatis cardinalitiæ relative ad episcopalem inferioritate.

§ III.

Rationes sententiæ quæ tenet cardinalitiam dignitatem episcopali superiorem semper exstitisse.

Ad probandam hujus sententiæ veritatem, adduci solent sequentia argumenta.

ARGUMENTUM I. — *Ex auctoritate Eugenii IV.* — Cum Cantuariensis Archiepiscopus præcedentiam cuidam cardinali denegaret, edidit præfatus Pontifex anno 1438 præclaram constitutionem quæ incipit *non mediocri,* in qua sic legere est :

« Quantum autem hæc cardinalatus dignitas sit sublimis et « aliis excellentior, ita et hactenus in ecclesia reputata, si « ejus officium, ac sanctorum Patrum statuta, et consuetudi- « nem tam apud hanc Sedem quam generalia Concilia semper « observatam, sciveris diligenter scrutari, facile tibi innote- « scet » (§ 3).

« Ab exordio Ecclesiæ, sicut et hodie, Summis Pontificibus « in regenda gubernandaque universali Ecclesia assistebant » (in § 4).

« Cardinales pro honoris ac dignitatis eminentia partem « sui corporis Summi Pontifices appellant. Ex quo sine ulla « dubitatione ostenditur, post caput ecclesiæ, quod est Papa, « contigua sui corporis membra, qui sunt fratres ejus Cardi- « nales, præ cæteris ecclesiæ membris ac partibus honorari « debere ; adeo quidem, ut sacris canonibus sancitum sit eos « qui in Cardinalem manus injecerint violentas, aut fugarint, « aut insecuti fuerint, seu ad hoc dederint consilium vel fa- « vorem, criminis læsæ majestatis reos, maximis et multipli- « cibus pœnis esse plectendos, ac si ipsius Apostolici throni « violaverint majestatem ; quod in ipsos qui Patriarchas Ar- « chiepiscopos vel Episcopos offenderint, statutum minime « reperitur. » (§ 6).

« Quis etiam non videat cardinalatus dignitatem archiepi-

« scopali esse majorem dignitate, quia cum illa privatæ unius « patriæ præsit utilitati, ista publicæ totius populi christiani? « Illa unam dumtaxat regit Ecclesiam : ista cum Sede Apos- « tolica universas. Et cum a nemine, nisi solo Papa, judicen- « tur Cardinales, ipsi et Patriarchas et Archiepiscopos et reli- « quos Ecclesiæ gradus, cum Summo Pontifice judicant. « Quorum officio nomen ipsum consonat optime ; nam sicut « super cardinem volvitur ostium domus, ita super hoc Sedes « Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit et substen- « tatur. » (§ 14.)

« Multum etiam, movere te debet diuturna per chris- « tianum populum ubique servata consuetudo, quæ etiamsi « cætera deessent, ex quo *tam vetusta est ut ejus initii me-* « *moria non extet in contrarium,* pro constituto jure ha- « benda foret ; præsertim quando sciente et approbante « Summo Pontifice, non quidem uno, sed tot quot unquam « habuit Ecclesia, id actum esse dignoscitur. In omnibus « enim nationibus et regnis... hujusmodi præeminentiæ Car- « dinalibus delatus est honor ; qui quidem non tam ipsis « quam nobis, cum nostra sint membra, attribui censendus « est. Nec minus his Ecclesiæ Romanæ consuetudo, quæ caput « norma et magistra est reliquarum ecclesiarum, idipsum « tibi persuadeat, qua *semper* (nullo unquam contradicente) « in cunctis actibus, quibuscumque Prælatis prælonorati « sunt. Idem in antiquis generalibus Conciliis, præsertim in « duobus Lugdunensibus, in uno præsidente Innocentio IV, « in altero Gregorio X, quorum adhuc extant acta, usitatum « fuit. » (Constitutio *non mediocri*, § 10 et 11.

Ibi Summus Pontifex expressis terminis docet *semper* de facto dicta præcedentia potitos esse Cardinales ; semperque illis de jure debitam fuisse. Asserit nempe consuetudinem quæ præcedentiam hanc Cardinalibus tribuit esse tam vetustam, *ut ejus initii memoria non extet* ; et subjungit honorem illum ab Ecclesia Romana Cardinalibus *semper* tributum fuisse. Magni sane ponderis est solemnis hæc anni 1438 Pontificia attestatio.

Neque enim minus attente ibi locutum Eugenium dixeris; cum et quæstionem ipsam *ex professo* discutiat, et totus sit ut hoc ipsum reluctanti Archiepiscopo persuadeat.

Quid ad hæc Thomassinus? Eugenius, inquit, *non depromit speciale documentum ullum Concilio Lugdunensi I et II vetustius.. ; idque abunde est, ut tempore Eugenii IV immemorabilis ea habeatur consuetudo, immo et Apostolica. Quis enim... Pontifices synodosque velit opinosis criticæ ambagibus sese inserere, ut certas epochas rerum definiant, et quarumvis Ecclesiæ consuetudinum ?*

Unde, juxta Thomassinum, quod consuetudo aliqua per annos 193 duraverit, abunde est ut Romani Pontifices et Concilia expresse et ex professo docere et asserere possint eam consuetudinem esse *immemorabilem* et ab Apostolicis deductam temporibus. Quia nempe a Papa et Synodis exigendum non est ut criticæ studuerint, ex hoc ignorantiæ titulo, iisdem plane fas est mentiri circa facta et consuetudines ecclesiasticas, tanquam certum affirmando, quod nequaquam pro comperto habent. Merito forsan videbitur illud Thomassini assertum injuria potius quam solida responsio.

Argumentum II. — *Ex eo quod peremptorie non probetur olim Episcopis dignitate inferiores fuisse Cardinales, atque hæc inferioritas recto ordini adversetur.* — Illud nempe admittendum non est in Ecclesia de facto evenisse, quod recto ordini contrarium est, et aliunde nulla solida ratione probatur. Nam ex eo quod factum aliquod non probetur, gratis asseritur, et dubium saltem remanet; si vero insuper adversetur juri rectoque ordini, etiamsi absolute accidere potuerit, multo probabilius est non accidisse. Porro duo ista circa factum de quo agimus, verificantur : siquidem supra ostendimus, ipsum peremptoriis probationibus non fulciri, et legitimo insuper ordini adversari. Unde etiamsi deessent documenta quæ factum ejusmodi falsum arguant, interea tamen rejici deberet.

Argumentum III. — *Ex positivis documentis.* — Nam 1° magni ponderis est Eugenii Papæ quarti attestatio de *immemorabili consuetudine* quæ præcedentiam supra Episcopos Cardinalibus vindicat.

2° Sexto sæculo Episcopis dignitate superiores Cardinales reperimus. Nam Joannes diaconus, postquam retulit quomodo S. Gregorius Magnus, ubi id necessitas exigeret, etiam Sedis Apostolicæ Cardinales presbyteros diaconos et subdiaconos quandoque ordinaret et constitueret in civitatibus Episcopos, ita subjungit : *Cumque Gregorius, percepta occasione, suæ Ecclesiæ Cardinales, si tamen consentirent, satis voluntarie proveheret, neminem prorsus, quantacumque necessitate coactus, violenter promovere certabat ; ne sub hujusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur* (in vita S. Gregorii, lib. 3, n. 8, editio Benedictina operum S. Gregorii Magni, tom. 4, p. 87). Periculum ergo erat ne depositus videretur Cardinalis etiam subdiaconus, quando ad Episcopalem ordinem evehebatur et Episcopus in aliqua civitate constituebatur, nisi id ipso consentiente fieret. Si vero cardinalitiæ dignitati superior existimata fuisset episcopalis, nunquam accidere potuisset ut Cardinalis subdiaconus ad episcopatum migrando censeretur depositus ; non enim a majore ad minorem dignitatis gradum descendisset, sed e contra semper a minori ad majorem ascendisset. Ergo decrescere et detrimentum dignitatis pati censebatur Cardinalis presbyter diaconusve aut subdiaconus, qui ut alicujus destitutæ ecclesiæ subveniretur, consentiebat se ibi in Episcopum ordinari. Quod cæteroquin magis adhuc palam facit S. Gregorii epistola, in sui asserti probationem a Joanne diacono adducta. Ibi enim videmus Neapolitanam civitatem in Episcopum sibi postulasse Florentium Sedis Apostolicæ Cardinalem subdiaconum ; istum vero a tanto episcopatu refugisse, ordinationem que suam *lacrimabyliter evitasse ;* et sanctum Gregorium ideo Neapolitanis rescripsisse ut alium sibi Episcopum eligerent. Cur autem nollet Gregorius Cardinales invitos in Episcopos ordinare, non ambiguum reliquit Joannes diaconus, sed diserte expressit : *Ne,* inquit, *sub hujusmodi occasione quemquam eliminando, deponere videretur.*

Scholium. — Ex adductis pro et contra sub tribus præcedentibus paragraphis, compertum habere potest lector, con-

troverti apud doctores catholicos num cardinalitia dignitas episcopali semper superior exstiterit. Negant scriptores gravissimi; sed affirmant alii haud spernendis innixi argurmentis. Atvero nemini fas est dictam Cardinalium superioritatem abusivam et contra rectum ordinem inductam dicere, prout firmatur sequenti paragrapho.

§ IV.

Sive ab initio, sive ab undecimo dumtaxat sæculo, præcedentiam supra Episcopos obtinuerint Cardinales presbyteri et diaconi, legitima est, et juste inducta hæc eorum prærogativa.

Probatur I. — *Rationibus*. — 1° Superiori paragrapho bullam Eugenii IV quæ incipit *non mediocri*, adduximus ; in qua exponuntur rationes, ob quas idem Pontifex dictam præcedentiam Cardinalibus debitam ostendit. Eas si attente lector perpendat, omnino legitimam conclusionem facile existimabit, prout concorditer existimant doctores catholici.

2° Qui putant undecimo dumtaxat sæculo dictum jus præcedendi Cardinalibus accessisse, juste ac merito id inductum probant præcipue ob duo præstantissima Cardinalium officia : « Primum est (ait Zaccaria, *antifebronius vindicatus*, parte 4, « dissert. 10, c. 1, n. 2 in nota) quo in Romano Concilio « anni 1059 a Nicolao II ornati sunt, in eos omni Summi « Pontificis eligendi jure translato... Alterum est ut, quod « ad Eugenium scribebat S. Bernardus..., Pontificis in decer- « nendis curandisque totius Ecclesiæ negotiis *collaterales* et « *coadjutores* sint, illique adsint, cum eo *orbem judicaturi*. » Sane ex quo Cardinales Summi Pontificis *electores*, atque ejusdem in universalis Ecclesiæ regimine *coadjutores* (1) exstant, consequens est ut præcellentiam etiam supra omnes obtineant.

(1) Notentur verba hæc Tridentinæ Synodi (sess. 25, c. 1) : *Quorum consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur* ..

3° Inter catholicos doctores qui justam hanc præcellentiam variis rationibus propugnant, sic habet cardinalis Petra (tomo 1, ad Constit. unicam Joannis XV, n. 30) : « Ratio ejusmodi « observantiæ seu legis est non minus congrua quam justa. « Nam duplex est potestas spiritualis : una procedens ab « ordine, et altera a jurisdictione... Ordinis potestas confer- « tur mediante charactere in anima impresso, et requiritur « factum : dignitas vero et potestas jurisdictionis solo verbo « datur (S. Thomas. 2, 2, q. 184, a. 6). Sicque ad dignitatem « acquirendam non requiritur pernecessе ordo : unde cum « Cardinales sint dignitate majores Episcopis, nihil refert « quod ratione ordinis sint minores, quia promanant hæc a « diversis fontibus... Et videmus Episcopum non consecratum, « etsi æqualem simplici presbytero, cum non habuerit ordi- « nem episcopalem, tamen præcellere eum, quia per elec- « tionem et confirmationem fuit ei communicata potestas « jurisdictionis. Archidiaconus item, quamvis simplex cle- « ricus, præcellit omnes de capitulo et clero, etiam parochos. « Ita quoque vicarius generalis...

« Quodque officium et jurisdictio illa Cardinalium sit ma- « jor ordine episcopali constat.. Ii enim repræsentant magis- « tratum una cum Papa; præsunt toti Ecclesiæ; eminentio- « remque locum una cum capite habere debent, ne detur dif- « formitas.

« Rursus Episcopus præest curæ certæ diœcesis : Cardina- « lis vero totius Ecclesiæ, ut bene dixit Innocentius III, in « capite *bonæ memoriæ* (3, *de Postul. præl.*), ibi : *Quod Cardi-* « *nalis persona utilior sit non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ* « *universali*. Et divus Bernardus (ad Eugenium, l. 4), inquit: « *Veniamus autem ad collaterales et adjutores tuos : hi seduli* « *tui, hi intimi tui, eligendi de toto orbe, orbem judicaturi*. Sunt « enim pars corporis Pontificis (Joannes Monachus); et invis- « cerati eidem dicuntur; et identificantur cum ipso (Jaco- « batius); sicque nequit dari ista disjunctio in re tam unita et « identificata.

« Sed objici potest rursus Apostolorum successores esse « Episcopos, qui fuerunt vocati etiam Apostoli. Sed etiam « Cardinales tales sunt, et tales merito nuncupantur ab Euge- « nio IV; ut quemadmodum conversanti in terris Christo « assistebant Apostoli, ita etiam Cardinalium cœtus, Aposto- « licum repræsentans, coram Papa assistit : reliqui vero Epi- « scopi ubique diffusi, Apostolos repræsentant ad prædican- « dum per orbem missos. Certe enim Apostoli prius partes « Cardinalium egerunt assistentes Petro; deinde per orbem « dispersi munus Episcoporum assumpserunt, ut bene probat « Thomassinus. Nulla igitur major est dignitas in Ecclesia Dei, « post Vicarium Christi, cardinalatu. »

Probatur II. — *Auctoritate.* — Queritur Febronius (t. 2, p. 128), quod Summus Pontifex Episcopos, *contra nativum ordinem presbyteris et diaconis Cardinalibus* postponat. At, sin minus rationibus expositis, auctoritati saltem cedere debuisset. « Cum in generali Concilio Lugdunensi I, anno 1244, Cardi- « nales presbyteri, deinde in Concilio Lugdunensi II, anni « 1274, uti et in Florentino, ante Archiepiscopos et Episcopos « sederint, nihil reluctantibus Episcopis; ac præterea in Tri- « dentina Synodo, Hispaniæ Episcopi, licet se Cardinalibus « presbyteris et diaconis postponi ægre ferrent, nihil adver- « sus inductam jam consuetudinem a patribus impetrarint; « mirum est Febronium ejusmodi querelas in medium afferre, « et quam Episcopi detrectent litem, pro illis Romano inten- « tare Pontifici voluisse. » (Antifebronius vindicatus, parte 4, dissert. 10, c. 1, n. 2). Fuit nempe hæc Cardinalium prærogativa a citatis conciliis œcumenicis comprobata. Ut adeo non possit quis abusivam ejusmodi prærogativam dicere, quin hoc ipso dictorum conciliorum sententiæ suam anteponendam contendat; quod profecto summæ temeritatis et arrogantiæ foret.

Accedit auctoritas, non tantum Eugenii IV, quæstionem ipsam, ut vidimus, expresse dirimentis, sed et multorum aliorum Pontificum. Leo X, verbi gratia, in constitutione sua

supernæ, sic pronuntiat : *Et cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cæteros omnes in ipsa Ecclesia post Summum Pontificem honore ac dignitate præcedant*. Idem reperies expressum in Constitutione, de Cardinalium præstantia, tertio nonas decembris 1586, a Sixto V edita.

Cum ergo jus præcedentiæ Cardinalium, relative ad quoscumque alios prælatos, præter Romanum Pontificem, omnino justum sit et certum, si (quod avertat Deus) præscripta eis exhibere obsequia et honoris signa aliquis unquam Episcopus Archiepiscopusve aut Primas vel etiam Patriarcha renueret, is profecto in re gravi delinqueret, injuriam Sedi Apostolicæ irrogaret, et sese non minus ridicula quam scandalosa superbia inflatum proderet. Etsi enim tempore Eugenii IV, aliquatenus ignosci potuit iis Primatibus, qui præcedentiam Cardinalibus haud ultro cesserunt, quia tunc quæstio nondum ita fuerat eliquata, nec a Sede Apostolica expresse decisa ; at nunc post emanatam ejusmodi ubique usu receptam ac toties confirmatam decisionem, quæ universalis Ecclesiæ legis procul dubio vim habet, intolerabilis arrogantiæ foret inania illa tentamina renovare.

CAPUT VI.

QUOMODO SESE HABEANT AD INVICEM PAPA ET SACRUM COLLEGIUM, QUOAD UNIVERSALIS ECCLESIÆ REGIMEN,

Ab illa sane quæstione *libenter* (ut Palæoti Cardinalis verbis utamur) *nos abstinuissemus ; quod sanctæ Apostolicæ Sedis summique Pontificis majestatem silentio potius ac reverentia colendam esse censeamus* (de *Consistorio*, parte 1, quæst. 3, art. 1). At non sinit suscepti operis ratio ibi nostram abrumpi ac deficere tractationem, ubi in divino Ecclesiæ ædificio ea pars exploranda venit, quæ præcipua est, altioremque divini artificis sapientiam attestatur. Eo vel magis quod circa propositam

quæstionem non desint opiniones quædam, a rectæ doctrinæ tramite nonnihil deflectentes, nec omni expertes periculo.

§ I.

An in expediendis Ecclesiæ negotiis Romano Pontifici necessarius sit Cardinalium consensus.

Multiplex est proposita quæstio. *Primo* enim inquiri potest utrum dictus consensus necessarius sit quoad liceitatem dumtaxat, an vero etiam quoad validitatem actus. *Secundo* utrum necessarius sit in omnibus negotiis, an vero tantum in arduis. *Tertio*, posito quod necessarius non sit generatim neque in levioribus neque in arduis negotiis, an saltem ex aliqua ratione speciali necessarius censedus sit quoad alienationem bonorum Ecclesiæ, quoad excedendum solitum Cardinalium numerum, quoad creandum vel deponendum Cardinalem aliquem. Ad quas enodandas difficultates, sit.

Propositio I[a]. — *Papa in levioris momenti negotiis, neque quoad validitatem, neque quoad liceitatem, Cardinalium consensu indiget.* — Ad rectam dumtaxat disputationis ordinationem propositio hæc præmittitur : neque enim probatione indiget, cum a nullo in dubium revocetur, et tota controversia sit de arduis solummodo negotiis. Cæterum rationes mox afferendæ ad probandum non requiri etiam in arduis Cardinalium consensum, a fortiori probant neque in levioribus esse necessarium. Et præterea statim quisque perspicit quam falsum foret, Romano Pontifici competere (prout definivit Florentina Synodus) *plenam* potestatem regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, si nedum ardua, ne leviora quidem negotia valide et licite posset nisi dependenter ab aliquo senatu expedire. Duo certe tunc Ecclesiæ præsiderent capita : Papa nempe, et ille senatus a cujus consensu papalis gubernatio tota dependeret.

Si quis vero quærat quænam *ardua* censenda sint negotia,

et quomodo a levioribus distingui queant, respondent communiter doctores, non posse id generali regula definiri, sed prudentum æstimationi esse relinquendum. « Notum est, ait « Cardinalis Palæotus, non posse ista certa regula compre- « hendi, cum suos gradus habere soleant pro re, tempore et « loco dijudicandos : et ideo receptum communiter est, hæc « omnia arbitrio boni et sapientis viri esse æstimanda » (*de Consistorio,* parte 1, quæst. 3, art. 1, in fine).

Propositio II[a]. — *In arduis negotiis Cardinalium consensu Papa non indiget quoad actuum validitatem.*—« Cum consensus « necessitatem includat illius amplectendi, si concederemus « eum requiri, sequeretur quod auctoritas Papæ hoc casu « non esset libera et absoluta ; sed duo, ut dicunt, auctori- « zantes, nec unus esset primatus vere; neque unum caput, « sed duo capita, quando aliorum quoque voluntates ad res « decernendas essent necessariæ : quod quidem absurdissi- « mum esset. Præterea hoc summæ illi atque absolutæ pote- « stati detraheret, quæ Papæ ut Christi Vicario competit : « et amplius receptam illam magno doctorum consensu sen- « tentiam infirmaret, quæ astruit Summo Pontifici plenissi- « mam in administratione rerum Ecclesiæ potestatem defe- « rendam esse : ac denique rebus publicis magno posset ea « opinio esse detrimento, si quando fortasse nollent Cardi- « nales Papæ deliberationi consentire, ut omnibus satis pa- « tet. » (Cardinalis Palæotus, *de Consistorio,* parte 1, quæst. 3, art. 3). Quæ Palæoti rationes sub alia forma sic evolvi possunt :

1° Dogma catholicum est unicum Ecclesiæ catholicæ præesse Pastorem supremum, unicum caput, Romanum scilicet Pontificem : id vero falsum esset si papales actus, absque prævio Cardinalium consensu, irriti forent : tunc enim validum et legitimum Ecclesiæ regimen, non ab uno, sed a duobus penderet; a Papa nempe, et a Cardinalium senatu : ergo suprema regendi potestas penes duos ab invicem dependentes staret ; ergo, duplex foret caput, duplex supremus pastor.

2° Item dogma catholicum est, *plenam* Romano Pontifici competere universalem Ecclesiam regendi et gubernandi potestatem. Porro *plena* non esset illa potestas, si Papæ actus irriti et nulli forent absque Cardinalium consensu. Tunc enim tam a cardinalitio senatu Ecclesiæ regimen penderet, quam ab ipso Papa. Ergo non plena, sed dimidiata tantum Papæ competeret Ecclesiam gubernandi potestas.

3° Merito tanquam heterodoxum rejicitur systema Febronii et similium, qui leges Pontificias, ut vim habeant, volunt ab Episcoporum consensu pendere. Unde non in solo Papa supremam et plenam jurisdictionem residere contendunt, sed in Papa simul et Episcoporum collectione seu morali corpore. Porro non devitatur istiusmodi erroris monstrum, sed simile et æquale illi substituitur, si pro collectione Episcoporum, collectionis Cardinalium consensus ad validitatem pontificiorum actuum necessarius contendatur.

4° Nec minus ad dogma catholicum pertinet, sicut fideles reliquos, ita et ipsos Cardinales, relative ad supremum Ecclesiæ pastorem Romanum Pontificem, esse oves et subditos; ergo præcipienti et regenti Papæ, ipsi etiam obsequi tenentur. Porro pugnat, in æternumque pugnabit, Papam in regimine suo ab eorum pendere consensu, qui huic ipsi regimini obedire debent.

5° Si papales dispositiones nullæ forent et irritæ deficiente Cardinalium consensu, Papa esset tantum *caput ministeriale* Sacri Collegii; præcipua vero potestas proprie apud Cardinalium senatum resideret. Ille enim est caput ministeriale alicujus senatus, cujus acta et decreta irrita et inania sunt nisi a voluntate senatus vim accipiant: tunc quippe totum ejus officium in proponendis decretis, et postea, si vim ex consensu recipiant, exequendis, consistit. Quod certe officium ministeriale remanet, quantumvis sit cum primatu honoris conjunctum.

6° Necessarius foret prædictus Cardinalium consensus, vel ex lege ecclesiastica, vel ex jure positivo divino, vel ex lege

naturali : atqui nullum ex his dici potest. Non ex lege ecclesiastica, cum Papa nullum in Ecclesia superiorem agnoscat, qui possit eum suis legibus vel præceptis constringere ; unde si forte prædecessores ipsius decrevissent aliquem actum, absque consensu Cardinalium gestum, pro irrito et nullo habendum fore, tali decreto nihilominus Papa non ligaretur ; quia minor non est ejus quam prædecessorum potestas, et par in parem imperium non habet. Nec jure positivo divino cautum est, ut irritus sit actus pontificius, non obtento Cardinalium consensu : nihil enim tale e sacris scripturis aut traditionis testimonio proferri potest. Si vero ad legem naturalem recurratur, recta ratio dictat bonam, imo ut multi volunt, perfectiorem cæteris esse monarchicam regiminis formam ; ejus autem formæ proprium esse ut unus, independenter a quolibet senatu, rectoris et legislatoris officio fungatur.

Omnino ergo concludendum est, Papam in regenda Ecclesia nullatenus Cardinalium consensu indigere, quoad pontificiorum actuum validitatem.

Objicies 1°. — Exemplum Episcopi erga suos canonicos et capitulum. « Nam quemadmodum secundum rerum varietatem quæ decernendæ sunt, tenetur Episcopus jure communi eorum consilium, et quandoque consensum adhibere, sic etiam, cum instituti sint Cardinales tanquam consiliarii et coadjutores Papæ, et eorum collegium senatus Ecclesiæ vocari soleat (1) », necessarius Summo Pontifici censendus est in rebus arduis Sacri Collegii consensus.

Respondeo.—Nego paritatem et ex paritate illationem. Nam *primo* Episcopus subjacet legibus ecclesiasticis ; ita ut pro varia earum dispositione possit ipsius jurisdictio plus minusve extendi aut restringi ; unde nec mirum est ex jure communi episcopalem potestatem de facto reperiri quoad actus quosdam, cæteroquin paucissimos, a capituli consensu dependentem. Atvero Papa, utpote supremus legislator, nulli subjacet

(1) Cardinalis Palæotus (*de S. Consistorio*, parte 1, quæst. 3, art. 2.

superiori ecclesiastico; unde nec potest ipsius jurisdictio ulla lege ecclesiastica limitari, aut dependens a cujusvis hominis consensu constitui; et aliunde a Christo ipso *plenam* accepit, non autem limitatam et ab ullius collegii consensu dependentem, ecclesiastici regiminis potestatem. Hinc *secundo* exurgit notabilis etiam canonicos inter et Cardinales disparitas; *cum* (ut habetur apud Palæotum *de Sacro Consistorio,* part. 1, q. 3, art. 2) *collegium Cardinalium non assistat Papæ per modum limitationis potestatis illius, sed instar ministerii;* dum e contra cathedrale capitulum, et per modum ministerii, et quatenus episcopalem jurisdictionem tantisper (ex lege ecclesiastica) limitans et participans, Episcopo adunatur. Quam doctrinam diserte etiam exposuit clarissimus Cardinalis de Luca : « In « quibusdam inquit aliis guberniis, magistratus æque cum « principe concurrunt ad constituendam unam eamdemque « curiam, seu unum atque idem corpus morale, cujus prin- « ceps dicitur caput, alii vero magistratus et tribunalia pro « membris habentur. Ad formam nempe corporis illius cathe- « dratici, ex Episcopo simul et capitulo coalescentis. At non « ita se res habet in spirituali Summi Pontificis principatu, « ob primam quam ob eo diximus geri personam. Papa enim « est solus et absolutus princeps atque rex; neque necesse « est hujus principatus fieri participes, eive connecti cæteros « magistratus et officiales; imo nec ipsummet cardinalium « collegium : siquidem soli Papæ a Christo data est pote- « stas.... Hinc, quoad cæteros principes locum habet typus « (sæpe a nobis memoratus) mariti et uxoris; ita nempe quod « respublica dicatur uxor (utpote quæ sit domina dotis, ex « variis principatus juribus coalescentis), princeps autem « quasi reipublicæ maritus sit. Atvero in principatu eccle- « siastico Summi Pontificis, totum dominium, quo principa- « tus ipse constat, in potestate Christi est, nec ullatenus a « republica vel populo dependet. » (*Il dottore volgare,* lib. 15, cap. 2, n. 10 et seq.).

Eamdem doctrinam alibi sic urget citatus auctor : « Quam-

« vis aliquatenus universalis Ecclesiæ regimini participent, id « tamen inde tantum oritur, quod eos ipse Papa in consiliarios « assumpserit : at nullatenus ipsis competit ea formalis « in regimine participatio, quam habet capitulum cathedrale « cum suo Episcopo, quocum unum corpus cathedraticum « constituit. » (*Il dottore volgare*, libro 3, cap. 4, n. 5). Hinc *Tertio*, licet Cardinalium collegium cathedrales canonicos tantum dignitate superet quantum Papa Episcopos, nihilominus tamen ipsis ceit quoad consortium cum capitis sui potestate : Cardinales enim participes dumtaxat fiunt exercitii Pap lis jurisdictionis, ita ut meri sint illius jurisdictionis ministri : canonici vero cathedrales ipsammet potestatem episcopalem aliquantulum, id est, quoad aliquas particulas, ita disponente lege ecclesiastica, co-possident. Id tamen non impedit quin Cardinales unum morale corpus cum Papa efficiant, atque ipsius membra dici possint ; quia unitatem illam satis fundat Pontificiæ petestatis per ipsos tanquam ministros exercitium.

Objicies 2°. — Etiamsi Papæ necessarius foret in certis quibusdam arduis negotiis Cardinalium consensus, non inde sequeretur Papam non esse Ecclesiæ caput et supremum Pastorem ; ergo admitti potest ejusmodi consensus necessitas.

Respondeo *Primo :* Sequeretur Papam non esse caput et supremum Pastorem cum *plena* regendæ Ecclesiæ potestate ; nam *plena* non est potestas quæ in aliqua materia deficit, et ab aliorum consensu dependet. Porro dogma catholicum est Papæ potestatem esse *plenam*, ut definivit Concilium Florentinum, et *numeris omnibus absolutam*, ut docet Pius VI. *Secundo* casus in quibus fingeretur necessarius prædictus consensus determinari nequeunt, neque lege ecclesiastica, cum vim in Papam illa habere nequeat, neque jure positivo divino, quod prorsus de illis casibus tacet, neque lege naturali, qua nihil tale probari potest. Ergo gratuita prorsus est eorum casuum hypothesis.

Propositio III^a^. — *Neque quoad liceitatem, tenetur Papa in*

arduis negotiis Cardinalium consensum requirire. — Dirigitur propositio hæc contra hypothesim cujus fundamentum sic memoratur apud Palæotum (*de S. Consistorio*, parte 1, q. 3, art. 3) : « Sunt denique alii qui respondent, quod quoties « Papa hac plenitudine potestatis utitur, non ad Ecclesiæ « utilitatem prout oportet, valet quidem quod ab eo gestum « est, propter summam illius auctoritatem quæ a nemine « judicari potest, sed tamen graviter in foro conscientiæ pec- « cabit, ac Deo rationem hujus potestatis qua abusus est « reddere tenebitur; cum non pugnent inter se quod actus « quandoque valeat, et tamen qui illum exercet graviter « delinquat.» Posset ergo quis, ex eo quod non repugnet dari actum Papalem validum simul et illicitum, in hanc opinionem abire, necessarium quidem esse Cardinalium consensum ut Papa non peccet, non tamen ut actus ejus valeat.

Sed etiam sic temperata, prorsus rejicienda est præfati consensus necessitas. Nam *plena potestas universalem regendi Ecclesiam*, quæ ex dogmate catholico penes Romanum Pontificem residet, intelligenda est potestas quæ *sine peccato* in sua plenitudine a Papa exerceri possit. Nec voluit certe Concilium Florentinum definire, *plenam* esse hanc potestatem, modo Papa peccet. Et tamen, admissa exposita opinione, *plena* non esset Pontificia potestas, nisi accedente peccandi facultate : nam (ex dictis in superiori propositione) plena nullatenus esset Pontificia potestas, si Papa nequiret expedire negotia et Ecclesiam gubernare nisi dependenter a Cardinalium consensu : aliunde vero, ex memorata quam confutamus opinione, consensum illum omittere Papa non posset, nisi peccando : ergo non nisi peccando potestatis suæ plenitudinem posset Papa exercere. Ergo cum in Papa omnino agnoscenda sit talis plenitudo potestatis, quæ tota et plene ad exercitium citra peccatum deduci possit, agnoscenda etiam in eo est potestas Cardinalium consensum absque ullo peccato omittendi.

Insuper pugnat cum dogmate catholico, Papam non esse unicum caput et unicum supremum rectorem universalis Ec-

clesiæ, nisi peccando. Jam vero si nequeat absque culpa Cardinalium consensum omittere, non erit unicum caput et unicus supremus rector, nisi quatenus peccans : nam si dependeat a Cardinalium consensu in expediendis negotiis, jam non est in Ecclesia unicum caput, unicusve supremus Pastor, sed duplex ; Papa nempe et Cardinalium senatus, ut in superiori propositione ostendimus : aliunde tamen, ex hypothesi quam impugnamus, non posset Papa ab hac dependentia sese subtrahere nisi peccando ; ergo non nisi peccando posset Papa esse unicum caput atque unicus supremus Pastor universalis Ecclesiæ ; quo nihil absurdius dici potest.

Omissis aliis Papæ prærogativis, e quibus multa possent similia argumenta confici, generatim sic argui potest : Papatus, qualis a Christo, docente fide catholica, institutus est, omnino subvertitur, si Papa dicatur ab alicujus senatus placito dependens in regenda et gubernanda universali Ecclesia. Jam vero dependet Papa a Cardinalium senatu, si absque Cardinalium consensu non possit licite et sine peccato negotia expedire. Nam blasphemum et insanum esset dicere, voluisse Christum ut Papa modo peccaminoso Ecclesiam regeret : voluit ergo Christus hæc duo, et Papam non peccare, et non peccantem independentem esse a cujusvis senatus consensu, in regenda Ecclesia. In opinione autem quam confutamus, vel Papa regeret ex consensu Cardinalium, et sic independens non esset ; vel illum consensum prætermitteret, et sic graviter delinqueret.

Unde sive quoad validitatem simul et liceitatem, sive quoad liceitatem tantum supponatur Papa a cardinalium consensu in gubernanda Ecclesia dependere, subvertitur atque negatur Papatus, qualem a Christo institutum fuisse nos fides edocet.

Propositio IV^a^.— *Papa non indiget Cardinalium consensu ad alienanda Ecclesiæ bona.* — Jam satis probata remaneret ea propositio ex generali thesi, quæ modo stabilita est, non indigere Papam cardinalium consensu, in expediendis ad regimen Ecclesiæ spectantibus negotiis. Cum tamen quoad præsentem

et nonnullas alias materias quædam speciales occurrant difficultates, visum est de iis singillatim tantisper disserere, quo magis firmetur doctrina tradita, et omnis amoveatur dubitandi occasio.

Ad ecclesiastica bona quod attinet, non egere Papam Cardinalium consensu ad ea alienanda, sic probari potest :

Ad obtinendum ejusmodi consensum teneretur, vel ex sacris canonibus et prædecessorum decretis, id, sub pœna etiam nullitatis, præscribentibus : vel ex jure aliquo cardinalitiæ dignitati proprio : vel ex lege aliqua divina : vel ex vi consuetudinis : atqui nullum ex his dici potest, ut probatur sub sequentibus numeris :

I. *Pro alienandis Ecclesiæ bonis Cardinalium consensum obtinere non tenetur Papa ex ullis canonibus aut decretis Pontificiis, etiam sub pœna nullitatis dictum consensum requirentibus.* — Certum est extare decreta quæ Romano Pontifici prohibeant, ne absque Cardinalium consensu Ecclesiæ bona alienet. Jam sub Symmacho Papa coarctatam reperimus, quoad ejusmodi bonorum alienationem Pontificiam, potestatem : « Non liceat « Papæ prædium Ecclesiæ alienare pro aliqua necessitate, nec « in usum fructum rura dare ; nisi tantummodo domos quæ « in quibuslibet urbibus non modica impensa sustentantur. « Qua lege omnes custodes adstringantur ; ut donator, accen- « sator, venditor honorem perdat. Et qui subscripserit, ana- « thema sit cum eo qui dedit, vel qui recepit, nisi restitua- « tur. Liceat etiam quibuslibet ecclesiasticis personis contra- « dicere, et cum fructibus alienata reposcere. Quod non « modo in Apostolica servandum est Ecclesia, verum etiam « universis ecclesiis per provincias quidem dicitur conve- « nire. » (Capite 20, causæ 12, quæst. 2 ; ex Synodo 3, sub Symmacho Papa, anno 499). Gregorius vero IX in Constitutione sua *rex excelsus*, 16 januarii 1234, magis determinans præmissam Symmachi dispositionem, decernit irritas fore quaslibet rerum patrimonialium Sedis Apostolicæ alienationes, nisi fiant prævio *Fratrum* (Cardinalium scilicet) *consilio et as-*

sensu. Cum dein quædam subsecutæ nihilominus fuissent alienationes et infeudationes, eas quæ sine utilitate factæ fuerant cassavit Pius IV, Constitutione sua *Apostolicæ;* in qua postquam memoravit, *multas alienationes rerum Ecclesiæ Romanæ per Romanos Pontifices prædecessores nostros, et forsan (quod dolenter referimus) per nos, nulla rationabili causa suadente, in gravissimam ipsius Ecclesiæ læsionem, Dei offensam, populi scandalum, et evidens animarum periculum, hactenus factas et approbatas extitisse*, eas cassat et irritat. Successit Sancti Pii V Constitutio *admonet*, qua prohibetur dumtaxat castrorum, feudorum et locorum jurisdictionalium alienatio et infeudatio; sed ibidem præscribitur, ut illius Constitutionis observationem jurent Cardinales, tum in eorum promotione seu assumptione galeri, tum in conclavi, Sede vacua. Item ut Summus Pontifex noviter assumptus idem juramentum præstet, quod postea in litteris confirmatoriis iterare debeat. Alias de hac re Pontificias dispositiones indicatas vide apud Cardinalem Petram (in Constitutionem 6, Gregorii IX, t. 2, p. 283, edit. Venet. 1741). Extant ergo plura decreta, quæ Romano Pontifici necessarium faciunt Cardinalium consensum ad alienanda Ecclesiæ bona.

Nihilominus dicendum iis canonibus et decretis nullatenus ligari Pontificiam potestatem, et dictum Cardinalium consensum minime requiri; quod sic probatur :

1° Etiamsi per se vim haberent dicta decreta ad adstringendum Papam, ex desuetudine tamen jam non urgerent. De qua desuetudine sic Cardinalis de Luca : « Quamvis Gregorius IX « dicta ejus Constitutione sexta, innovando Constitutionem « Symmachi (in c. *non liceat*. 12, q. 2) ita statuerit (nempe « irritas esse alienationes sine Cardinalium assensu), dictoque « decreto adhæserit Concilium Constantiense, attamen hæc « omnia non usu, vel contrario usu abolita videntur, saltem « de facto; stantibus amplissimis derogationibus... Unde in « pluribus controversiis meo tempore agitatis, quamvis doc- « tissimus Cameræ et Fisci advocatus perpetuo hoc motivum

« Constitutionis Gregori IX inculcaverit, semper tamen scio « in camera de illo non fuisse habitam rationem » (*de Feudis*, discursu 4, n. 2 et 3). « Ista Constitutio contrario usu abolita « videtur ob amplas derogatorias in concessionibus apponi « solitas » (ibid. discursu 5, n. 13). Idem testatur Cardinalis Petra : « In praxi abiit in desuetudinem dispositio citati ca- « nonis *non liceat*, et forma inducta ab hac Constitutione Gre- « gorii IX » (in Constitutionem 5 Gregorii IX, n. 19). Ergo saltem ex prædictorum decretorum desuetudine, jam non tenetur Papa ad requirendum Cardinalium consensum pro alienandis Ecclesiæ bonis.

2° Sed neque unquam hisce decretis ligatus fuit aut ligari unquam potuit Romanus Pontifex. Quod sic exponit Cardinalis Petra : « Contra tamen præfatas Symmachi et Gregorii « dispositiones insurgit viva et convincens ratio, quod nullo « modo potuerint successores Pontifices cogere et compre- « hendere ; cum Papa sit solutus legibus, nec par in parem « habeat imperium, ut præcise fuit dictum ab Innocentio III « (in capite *innotuit, de electione*) : *Quia successoribus suis nul- « lum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, « imo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par « in parem.* Unde Bonifacius VIII (in capite finali *de rescriptis*, « 6), dum sibi certam legem imponit, et dixit in fine, *quod- « que nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus*, « ibi Glossa (verbo *indicamus*) subjungit : *indicare potuit, sed « non legem imponere, quia par in parem non habet imperium.* « Et iisdem verbis usus est sanctæ memoriæ D. Pius V (citata « Constitutione 35, de non infeudandis, § 2) : *Et quod nobis « licere non patimur, nostris successoribus indicamus.* Et in ter- « minis docuere passim canonistæ » (in Constitutionem 5 Gregorii IX, n. 15, tom. 2).

Quod revera ita communiter teneant canonistæ satis patebit si legatur Fagnanus (in caput *ex parte, de feudis*, n. 23 et seq. — in caput *omnis, de pœnitent. et remiss.*, n. 25 — in caput 1, *de Constitutionibus*, n. 56 et seq.); Cardinalis de Luca

(adnot. ad discursum 4 *de feudis*, n. 1 et 2 — *de relationibus Curiæ Romanæ*, discursus 2, n. 30) ; Rota (decisio 1204, n. 12, coram Emerix juniore — decisio 664, n. 9, partis 2, recentiorum) ; et ipse Petra (post supra transcriptum locum).

3° Possunt autem rationes in thesis probationem adduci solitæ sub alia forma sic exhiberi : *Primo,* nequit legislator lege sua proprie constringere nisi inferiores ; atqui nullus Papa est inferior relative ad alium Papam prædecessorem suum ; ergo nullus Papa proprie oligari potest lege prædecessoris sui. *Secundo,* qui succedit legislatori cum æquali potestate, potest ipsius legem abrogare ; atqui Papa quilibet prædecessoribus suis cum æquali potestate succedit ; ergo eorum disciplinares leges abrogare potest ; ergo prohibitio papalis, ne Romanus Pontifex bona Ecclesiæ alienet absque Cardinalium consensu, a quolibet successore Romano Pontifice abrogari potest ; ergo tali lege nullus Papa ligatur ; ergo quilibet Papa contra talem legem agere potest ; quia agendo contra ejusmodi legem, eam hoc ipso tollit seu abrogat. *Tertio,* prædicta lex, ne *directivam* quidem vim habere censenda est in successores Romanos Pontifices. Nam est quidem sat communis doctorum sententia, legislatorem tum suis, tum prædecessorum legibus constringi *quantum ad vim directivam,* licet non obligetur quantum ad vim coactivam ; atvero hoc sustinetur dumtaxat quoad leges in totam communitatem latas, et in hypothesi quod non abrogentur ; non vero quoad leges successores legislatores solummodo attingentes, neque quoad facultatem leges prædecessorum abrogandi : atqui lex prohibens ne Papa sine Cardinalium consensu bona Ecclesiæ alienet, dirigeretur dumtaxat in successores Pontifices ; et præterea quando successor Pontifex contra eam agit, hoc ipso eam abrogat ; ergo quod dicitur de vi directiva legum in ipsum etiam legislatorem, nullam hic applicationem habet. Sit in exemplum lex semel in anno in paschate peccata confitendi, quæ, in quantum tale tempus præscribit, est mere ecclesiastica : talis lex in omnes fideles lata est, non autem in successuros legislatores tantum ; et dum

quæritur utrum Papa vi hujus legis teneatur et ipse in paschate peccata confiteri, supponitur eam legem non abrogari, sed in robore suo relinqui. In hac porro hypothesi, cum sancto Thoma (1, 2, q. 96, art. 5 ad 3) communiter doctores tenent vi legis *directiva* obligari legislatorem ad observandas suas et prædecessorum leges; ita etiam ut, nisi eas et ipse servet, possit peccare, tum ratione scandali, tum aliis de causis. At vero, si Papa ferat legem, non in omnes fideles, sed ad restringendam dumtaxat in aliqua materia successorum suorum potestatem, vel si Papa successor eam legem de medio tollere velit, et de facto abroget, absurdum foret dicere dictum Papam successorem tali lege, etiam quoad vim directivam, constringi.

4° Hinc dictæ leges haberi nequeunt nisi tanquam *consilia* quæ a Papa prædecessore dantur successoribus. Nec obstat quod Gregorius IX ita voluerit necessarium esse Cardinalium consensum, ut alienationem, eo omisso, decreverit fore nullam: nam id intelligi debet successorum voluntati subordinatum; ita ut ipsis legem permanere volentibus valeat; secus vero si legem sublatam velint.

II. *Nec ex ullo jure Cardinalibus proprio requiritur eorum consensus, ut Papa possit Ecclesiæ bona alienare.*— 1. Quod « vera « et communis sit scribentium conclusio, Papam solum posse « sine Cardinalibus ardua explicare », tradit Fagnanus (in caput *ex parte, de feudis,* n. 18); et citat plures idem affirmantes canonistas : ergo juxta veram et communem doctorum sententiam, potest Papa Ecclesia bona, prætermisso Cardinalium consensu, alienare; ergo nullum Cardinalibus jus competit, ex quo necessarius ad dictam alienationem consensus demonstretur.

2. Præterea quidquid juris seu potestatis habent Cardinales, a Papa in eos defluit. Ita tenent communiter doctores. *Cardinalium potestas,* ait Fagnanus (in caput *ex parte, de feudis,* n. 20), *a solo Papa emanat.* Quod jam antea docuerat Archidiaconus (in caput *ubi periculum, de electione,* in 6) : *Domi-*

norum autem Cardinalium potentia est ab homine ; nam quidquid possunt, habent a Papa. Nec dissentire cæteros, vide apud Fagnanum citato loco. Ex ipsa cæteroquin cardinalitiæ institutionis natura idem inferri potest. Diximus nempe supra, in eo stare distinctivam ejus proprietatem, ut sit collegium clericale *ad auxiliandum Papæ* in Ecclesiæ regimine institutum. Jus ergo cardinalitiæ institutioni proprium seu essentiale, est hoc tantum, *auxiliari.* Si autem Papa in agendo a consensu Cardinalium dependeret, Cardinales essent aliquid amplius quam meri auxiliatores, ut patet. Nec objiciatur capitulum cathedrale esse etiam collegium clericorum *ad auxiliandum Episcopo* in diœcesis regimine institutum, et nihilominus ipsius consensu in aliquibus Episcopum indigere : nam id juris capitulo cathedrali accessit, non ex proprii ipsius officii natura, sed ex lege ecclesiastica, quæ hoc modo restrictam voluit episcopalem potestatem. Cum vero nullus existat supra Papam superior, non potest ulla lege ecclesiastica papalis potestas prædicto modo restringi, et a consensu Cardinalium dependens effici. Remanet ergo, Cardinalium consensum, ut Papa possit Ecclesiæ bona alienare, nec ex ulla lege ecclesiastica, nec ex ipsa cardinalitii officii natura requiri.

III. *Nec requiritur prædictus consensus ex ulla lege divina.* — Nam etiamsi admittatur institutionis divinæ esse Cardinales, non tamen ullatenus probari potest a Christo ipso prohibitos fuisse Romanos Pontifices, ne bona Ecclesiæ absque Cardinalium consensu alienarent. Nullum ullibi exstat ejusmodi legis divinæ vestigium. Aliunde Romano Pontifici collatam a Christo fuisse *plenam potestatem* regendi et gubernandi universalem Ecclesim, dogma catholicum est, ex Florentini Concilii expressa definitione: plena vero non esset ea potestas, si a Cardinalium consensu ex parte dependeret. Unde rejicienda omnino est hypothesis divinæ alicujus legis, quæ necessarium Papæ faciat pro alienandis Ecclesiæ bonis Cardinalium consensum.

IV. *Nec requisitus dici potest prædictus consensus ex legitime præscripta consuetudine.* — Nam suprema Papæ potestas juris

divini est; atqui contra jus divinum nulla potest quantumvis longa consuetudine præscribi. Unde etiamsi per plura sæcula, aut etiam semper, soliti fuissent Romani Pontifices Ecclesiæ bona non alienare nisi de Cardinalium consensu, eo tamen usu nullum jus Cardinalibus accessisset. « Si introduceretur con-
« suetudo contraria, ait Cardinalis Petra, non valeret, quia
« esset præscribere contra supremam potestatem Papæ im-
« præscriptibilem (Abbas, cap. 2, *de Clericis non resid.*, n. 4);
« et cum potestas Papæ sit immediate a Deo, et illa Cardi-
« nalium sit a Papa, nequit illa ab hac pendere, ut prosequitur
« citatus Fagnanus ; licet ex honestate soleat Papa in pluri-
« bus arduis consilium Cardinalium petere...; et verba solita
« apponi in aliquibus Bullis, *de venerabilium Fratrum nostrorum*
« *consilio,* non inducunt necessitatem, sed solam honestatem »
(in Constitutionem 5 Gregorii IX, n. 20, tom. 2, pag. 284, edit. Venet. 1741). Et tandem supra audivimus attestantem Cardinalem de Luca, in desuetudinem abiisse Constitutionem Gregorii IX quæ dictum Cardinalium consensum necessario adhibendum præscribebat.

Propositio V^a^. — *Papa non eget sacri collegii consensu ut solitum Cardinalium numerum augeat.* — 1° Facta quidem sunt variis temporibus decreta, quæ certum quemdam Cardinalium numerum præscriberent perpetuo in posterum servandum. In Concilio Constantiensi anno 1414 præscriptus fuit nunquam excedendus numerus 24. Atque anno 1429 in Synodo Basileensi, sessione 2, idem firmatum est : *Cardinales numerum viginti quatuor non excedant.* Sub Paulo IV, qui anno 1555 ad Summum Pontificatum assumptus est, post varias Pontificem inter et cardinales hac de re disceptationes, statutum est ne unquam excederetur numerus quadraginta. Sixtus vero V fixum voluit, et pariter a successoribus servandum præscripsit, numerum 70. In cœremoniali autem Romano (lib. 1, sect. 8, c. 1 et seq.), videmus aliquando viguisse usum (nunc penitus obsoletum) exquirendi votum sacri collegii circa quæstionem, an novos creare Cardinales necesse sit, vel expediat, et in

quo numero. Atque aliæ similes memorari possent dispositiones, certum quemdam Cardinalium numerum determinantes.

2° Sed dicendum omnia ejusmodi statuta, in quantum futurorum Pontificum libertatem restringunt, habenda esse tanquam mera *consilia*, non tanquam leges propriedictam obligationem inducentes ; cum, ut supra ostendimus, repugnet Papam ulla prædecessorum suorum lege ecclesiastica posse constringi (1). Unde etiamsi prædictæ dispositiones requirerent Cardinalium consensum, nullatenus ad hunc obtinendum Papa adstringeretur. Aliunde nec ulla lege divina, nec ullo jure cardinalibus proprio obligatus dici potest Papa ad certum quemdam Cardinalium numerum non excedendum. Ergo penes arbitrium Romani cujuslibet Pontificis omnino est creandorum Cardinalium numerus. Quam cæteroquin doctrinam tenent communiter canonistæ : « Quæsitum est (ait Cohellius, « notitia cardinalatus, cap. 3) an Summus Pontifex, hac « Sixti Constitutione non obstante, septuagesimum numerum « superare valeat : et omnes, nullo penitus discrepante, « affirmative respondent ; dicentes arbitrio Papæ relictum « esse numerum cardinalium (2). »

Propositio VI[a]. — *Papa nec Synodo, nec sacri collegii consensu indiget ad deponendum aliquem Cardinalem.* — I. Ex eo quod in capite *ex gestis, de clericis non residentibus*, memoretur Cardinalis quidam *in Synodo ab omnibus canonice depositus*, putaverunt olim canonistæ nonnulli non posse Cardinales nisi in Concilio a Papa deponi. In quam sententiam propenderunt,

(1) Le bolle de' Papi per restringere la liberta de' propi successori me sembrano appartenere alla classe delle debolezze umane. Ridicola presunzione di voler regnare fin nella tomba, et regnare sopra quello che ricevera da Dio la stessa egualissima podesta (Tamagna, *Origini de' Cardinali*, parte 1, pag. 139).

(2) Decreverat Sixtus V hoc modo : *Si unum vel plures a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, in futurum ultra dictum numerum eligi in Cardinalem aut creari, aut pronuntiari contigerit, decernimus hujusmodi electionem, creationem et pronunciationem nullam, irritam et inanem fore* (Bulla *Postquam verus*).

inter alios, Hostiensis (in dictum caput, n. 1), et Abbas Panormitanus (in idem caput, n. 3).

Sed nullatenus Concilio Papam indigere ad deponendum Cardinalem, tanquam certum jamdudum habent communiter doctores; quod *omnino* amplectendum et *incunctanter* tenendum, inter cæteros pronuntiat Fagnanus (in cap. 2, tituli *de clericis non resid*, libri 3 decretalium, n. 5 et 6). Quibus autem rationibus solidissima probari hæc sententia possit, facile introspicitur : *Primo,* in Summo Pontifice absque Concilio residet plenitudo potestatis; ergo potest Papa absque Concilio quemcumque Prælatum, atque ipsos adeo Cardinales ab officio deponere. *Secundo,* si pro causa depositionis oporteret Synodum universalem indicere, et sententiam protrahere usque ad ejus celebrationem, nemo non videt quantis id periculis et difficultatibus obnoxium foret. *Tertio,* posse a Papa Cardinalem absque Synodo exauctorari, confirmat praxis : Bonifacius VIII, verbi gratia, absque Concilio Cardinales Columnenses deposuit, (ut videre est in capite unico *de Schism.* in 6).

II. « Major est difficultas, an Papa possit Cardinalem depo-
« nere, legitima subsistente causa, sine Fratrum suorum con-
« silio, » ait Fagnanus (in cap. *ex gestis, de clericis non resid.*, n. 7) ; qui narrat postea quomodo Andreas Barbatia, « præ-
« missa protestatione, quod non intendit in aliquo derogare
« potestati Romani Pontificis, tandem concludit pro opinione
« negativa, dicens eam tenere illustres doctores : » item quomodo Hostiensis, qui videtur in eamdem opinionem propendere, concludat nihilominus his verbis : *Quidquid tamen dicatur, hoc de plano fateor, quod in solo Papa plenitudo residet potestatis.* Quibus commemoratis subjungit Fagnanus (citato loco, n. 8) : « Tu dicas, Papam de honestate non debere
« Cardinalem deponere, vel alia ardua expedire sine Fratrum
« consilio... Sed de plenitudine potestatis Papa potest pro-
« cul dubio ardua expedire, et Cardinalem deponere sine ulla
« requisitione Fratrum. Communis enim conclusio habet,
« Papam posse ardua explicare etiam Cardinalibus incon-

« sultis.... Felinus hanc partem juribus et rationibus compro-
« bat, et plurimos cumulat idem sentientes, et contrariam
« opinionem dicit procedere de honestate... Prædictis adde,
« quod in novissima Constitutione Innocentiana (*cum juxta*,
« 19 februarii 1646), ubi agitur etiam de imponenda pœna
« privationis dignitatis cardinalatus, legitur infra scripta
« clausula, videlicet, *perinde ac si in consistorio nostro secreto*
« *de eorumdem venerabilium Fratrum nostrorum consilio et una-*
« *nimi assensu emanassent.* »

III. Si possit Papa absque consilio sacri collegii Cardinalem deponere, a fortiori idem poterit absque ejus consensu. Quod evincunt præterea rationes omnes, quibus supra (propositione 2 et 3) generatim probavimus Papam in expediendis quibuslibet ecclesiasticis negotiis Cardinalium consensu nullatenus indigere.

Propositio VII[a]. — *Papa sacri collegii consensu non indiget ut aliquem ad cardinalatum evehat.* — Id satis evincunt rationes, quibus supra (propositione 2 et 3) probatum est posse Papam quælibet ecclesiastica negotia absque Cardinalium consensu expedire. Unde difficultatem facere tantum posset antiqua illa formula, qua Papa novum Cardinalem creans, sacrum collegium sic in Consistorio alloqui solet : *Quid vobis videtur ?* Quæ quidem formula satis innuit, antiquitus solitum fuisse Pontificem præsentire sacri collegii sententiam circa promovendi idoneitatem. Sed *primo* non probat consuetudo ejusmodi, requisitum ullo tempore fuisse Cardinalium consensum, cum bene potuerit formula hæc adhiberi pro solo requirendo consilio. *Secundo*, nec etiam probat requirendi hac in re Cardinalium consilii existimatam necessitatem; sed etiamsi libere Pontifices ita egerint, in formulam transire potuit. Nunc vero si velit Papa circa promovendos Cardinalium sententiam pronoscere, eam ante Consistorii celebrationem exquirere solet et privatis collocutionibus. Unde jamdudum dicta formula, prout in Consistorio ipso pronuntiatur, mere cœremonialis evasit; et consequenter mere cœremonialis pariter

æstimandus est ille assensus, quem purpurati Patres, surgendo detectumque caput reverenter inclinando, præstare solent. « Animadvertere oportet, inquit Cardinalis Petra, « Cardinalium consilium potius ex quadam Summi Pontificis « conniventia, quam ex necessitate in hac re, ut in aliis, « exquiri, cum Summum Pontificem, nullo postulato suffragio « ex sui potestate posse sacra purpura decorare, late ratio- « nibus adductis firmet Cardinalis de Luca.., Jacobatius.., et Cohellius. » (Tomo 4, ad Const. 1 Eugenii IV, n. 14.)

Propositio IV[a]. — *Sententia quæ tenet, requiri sacri collegii consensum si Papa agat ex potentia ordinaria, non requiri si cum potentia extraordinaria procedat, videtur vel ad sensum expositæ doctrinæ reducenda, vel errore et periculo non vacare.*—Fatendum est confugisse quamplurimos doctores ad distinctionem illam, agentis ex ordinaria vel extraordinaria potentia Pontificis. Cum nempe reformidarent ne Cardinalium dignitati detraherent, si nunquam necessarium eorum consensum consiliumve pronuntiarent, simul vero ne rei fierent in supremam Vicarii Christi auctoritatem, si eam cardinalitio senatui viderentur aliquatenus subjicere, rem totam componi posse existimarunt dicendo : dependere quidem Papam a consilio et consensu Cardinalium, si velit ordinaria potestate procedere, secus vero si plenitudinem Pontificiæ jurisdictionis explicare. Cui sententiæ plus cæteris forsan favorem conciliavit Cardinalis Palæotus. Atque eam insuper innuere aliquatenus videntur sæpius in bullis Pontificiis recurrentes formulæ, *de potestatis nostræ plenitudine,* et similes.

Cum ergo gravissima sit quæstio illa, operæ pretium est enucleatius illam expendere ; quod hoc ordine præstabimus : *primo* diligenter inquiremus quomodo apud doctores intelligi soleat sententia in thesi memorata ; *secundo*, quid de ea sentiendum videatur subjiciemus.

I. *Quomodo sententia de qua agitur exponi et intelligi soleat.*— « Cum Papa, inquit Palæotus (de S. Consistorio, p. 1, q. 3, « art. 3) in Ecclesia summam semper et plenissimam habeat

« auctoritatem, cum tamen illam ad actus exteriores, atque « ad certum usum vult redigere, duplici modo hoc solet fa- « cere ; videlicet exercens facultatem, quam *ordinariam*, aut « facultatem, quam appellant *absolutam*. Unde a doctoribus « duplex illius potestas vocatur : altera absoluta, altera ordi- « naria : quod tamen ad usum potius potestatis, quam ad « propriam et naturalem illius vim refertur, quæ semper « intrinsecus est plenissima..... Quemadmodum Deus potuit « statuere leges naturalibus rebus, ut juxta eas operarentur, « potest tamen idem Deus præter leges naturæ ex propria « virtute sua agere, quod miraculum vocari solet ; sic in Ec- « clesia spectat ad Summum Pontificem condere leges mora- « les, et præscribere jus omnibus personis ecclesiasticis et « toti ecclesiæ ; idem tamen non semper tenetur servare « hujusmodi leges, sed potest agere præter illas. Quando igi- « tur Papa ea vult observare, quæ suis legibus continentur, « tunc dicitur uti potestate ordinaria. Quando vero aliquid « vult exequi supra id quod legibus constitutum est, tunc « dicitur plenitudinem potestatis exercere. »

Semel posita illa ordinariæ et absolutæ potestatis distinctione, sponte occurrebat quæstio, an Papæ licitum sit pro arbitrio et quoties vult *absoluta* sua potestate uti. De quo quid nonnulli doctores senserint, ita exponit Palæotus (*de S. Consistorio*, parte I, quæst. 3, art. 3) : « Sunt alii, qui ex una « parte videntes necessariam fuisse in Ecclesia Dei hanc po- « testatis plenitudinem, propter accidentia multa quibus juris « communis provisio sufficere minime potest ; ex altera vero « prospicientes magna pericula christiano orbi imminere « posse, si quando Summi Pontifices hac potestate abute- « rentur, ideo dixerunt ad hanc plenitudinem nonnisi *in* « *extremis admodum rebus* tanquam ad sacram anchoram confu- « giendum esse, cum et canones raro admodum hujus pleni- « tudinis mentionem faciant. Unde sicuti Deus ipse omnipo- « tens, cujus potestati omnia sunt ex æquo subjecta, servat « tamen fere semper communem rerum ordinem et naturam,

« nec miracula facit nisi in rebus admodum necessariis; sic « aiunt debere Papam hanc plenitudinem potestatis, tanquam « extraordinarium quoddam remedium, nonnisi propter sum- « mam Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem exercere. »

Ipse vero Palæotus ex professo sustinuit, non posse Papam absque Cardinalium consilio et consensu procedere, si potentia ordinaria utatur. Posita enim quæstione, *an Papa utens potestate ordinaria, teneatur in arduis consensum aut consilium Cardinalium adhibere*, et memoratis quæ pro sententia negativa allegari possent, sic prosequitur : « Verum contrarium respon- « dendum esse omnino videtur, ex ratione illa quam nuper « attigimus, declarantes quomodo ordinaria potestas Papæ ab « ejusdem absoluta secernatur... Usus ordinariæ potestatis in « Papa nihil aliud censetur quam id exercere, quod canones, « decreta et constitutiones juris declararunt. Quod Innocen- « tius III variis in locis indicavit, dicens *volentes tamen juris « ordinem observare* (capite *cum dilecti, de Dolo et contumacia)* : « et ibi : *quantum de jure possumus procedemus* : et alibi : *quia « tamen nolumus a juris tramite declinare* (capite *licet causam, « de probat.*). Et Innocentius IV in Concilio Lugdunensi dum « ait : *ut in eum quantum de jure poterit procedatur* (capite *cordi, « de Appellationibus,* in 6) : et Paulo superius, *iis, quæ in ap- « pellationibus antiquitas statuit. non mutatis.* Unde et vox illa « imperatoria, summo vere digna principe, quod quamvis le- « gibus solutus sit, vult tamen vivere secundum leges (lege « *digna vox*, c. de Leg.). Cum igitur vetere instituto et com- « muni observatione, cujus initii memoria non extat, recep- « tum fuerit ut Papa cum Cardinalium consilio res Ecclesiæ « administret, idque lege canonica ac perpetuo Summorum « Pontificum usu, (prout auctorum monumenta testantur) « fuerit probatum ; idcirco, ut ordinario jure dicatur res « agere, necesse est ut actiones suas juxta leges jam consti- « tutas, consuetumque morem exerceat, in iisque ex solito « legum cursu, una cum Cardinalibus progrediatur. Nam et « a doctoribus communiter receptum illud est, non censeri

« Papam, in dubio, uti plenitudine potestatis tanquam extra-
« ordinario quodam jure, nisi id specialiter exprimat. Hinc
« legimus in multis Constitutionibus quæ passim occurrunt,
« eas de consilio et assensu Fratrum factas fuisse. Quod qui-
« dem non sine magna ratione olim dicitur ita institutum.
« Nam cum hæc de quibus agimus ardua appellentur,... me-
« rito censentur aliorum præsidio indigere..... Ipse etiam
« Papa, qui humana circumdatus est infirmitate, interdum
« labi potest... Idcirco præter alias rationes, quibus institutus
« fuit amplissimus Cardinalium ordo, hæc maxime opportuna
« visa fuit, ut Papa ipse tot lectissimis consiliariis circum-
« septus, totidem veluti oculos, aures, manusque sibi adjun-
« ctos haberet, ex quibus sacer illorum senatus tanquam
« unum corpus Summo Pontifici ubique præsto esset, para-
« tusque ei semper, atque ante oculos positus, ne aliunde
« subsidia ad res deliberandas accersere cogeretur. » (*De S. Consistorio*, parte 1, quæst. 3, art. 2).

II. *Quid de exposita doctrina sentiendum videatur.* — Subest illi sententiæ, meo quidem judicio, nonnihil ambiguitatis et periculi. Dum enim ab obtinendo Cardinalium consensu Papam liberum facit, *modo ex potentia absoluta procedat*, vel simul admittit penes Papæ arbitrium esse ut absoluta potius quam ordinaria potestate utatur quoties libuerit, vel non:

Si prius, æquivalet huic enunciationi: *Papa tenetur procedere cum consensu Cardinalium, quoties vult cum eo consensu procedere:* Quæ enunciatio vicissim æquivalet huic alteri: *Papa nunquam obstringitur ad obtinendum Cardinalium consensum;* quia qui non obligatur nisi quando et quatenus vult, revera non obligatur. Unde sic intellecta dicta sententia, prorsus recidit in eam quam supra sustinuimus doctrinam; nullatenus scilicet, neque quoad validitatem, neque quoad liceitatem actuum, teneri Papam ad obtinendum Cardinalium assensum.

Si vero posterius, id est, si Papæ non liceat, (quoties id opportunum existimabit) absoluta potius quam ordinaria potestate uti, jam ad errorem via periculose sternitur. Tunc enim in

multis Papa tenebitur cum *ordinaria* dumtaxat potestate sua procedere; immo (ut vidimus supra a nonnullis sustineri) non nisi *in extremis admodum rebus* fas ipsi erit ad potestatis plenitudinem recurrere, et liberum se facere a necessitare obtinendi Cardinalium consensus. Ergo extra casus illos extremos, qui supponuntur rari sicut miracula, non poterit Papa Ecclesiam regere, nisi dependenter a sacri collegii consensu. Jam vero si semel id admittatur, salvum non est dogma catholicum *plenam* romano Pontifici tribuens regiminis potestatem. Ille enim nunquam dici poterit *plenam* habere regiminis potestatem, qui *ordinarie et fere semper* in regendo dependet ab alicujus senatus beneplacito, et liber fit ab istiusmodi dependentia in raris dumtaxat casibus. Nedum *plena* sit talis potestas, trunca potius et mutila dicenda est; ita etiam ut majorem possidere censendus sit ille senatus, sine cujus beneplacito princeps *ordinarie* nihil statuere et definire potest, Ego vero de Pontificia auctoritate ita sentire nunquam audebo; sed omnino *plenam* illam confiteor; ita scilicet ut, neque in ordinariis, neque in extraordinariis casibus, ab ullius senatus beneplacito et consensu dependeat: quia romano Pontifici in persona B. Petri dictum est: *Pasce oves, pasce agnos;* et *Quodcumque ligaveris erit ligatum, quodcumque solveris erit solutum.*

Adde, memoratæ sententiæ nonnullos patronos, dum in *extremis* dumtaxat casibus Papæ licitum faciunt absque Cardinalium consensu statuere, non determinare quis erit competens judex, ad definiendum utrum casus *extremus* sit necne. Quod judicium si ad alios præter Papam devolvant, nemo non videt inde etiam graviter Pontificiam auctoritatem vulnerari. Hinc tuta nequaquam videtur supra descripta sententia; de qua, si a notis theologicis abstinendum sit, id saltem dicere liceat, periculosa eam ambiguitate laborare.

§ II.

An teneatur Papa in expediendis Ecclesiæ negotiis Cardinalium consilium expetere.

Superiori paragrapho gravissimam expendimus quæstionem, utrum Papæ in expediendis Ecclesiæ negotiis necessarius sit Cardinalium consensus; et ad hanc devenimus conclusionem, nunquam et in nullo casu, sive ad actuum Pontificiorum valorem, sive ad eorumdem liceitatem, consensum ejusmodi requiri.

Nunc succedit non minus ardua de requirendi Cardinalium consilii necessitate disceptatio. Cui enodandæ priusquam manum admoveamus, præmittenda visa sunt præcipua catholicorum doctorum hac de re placita.

1° Communis dici potest sententia, quæ Papam a dicta necessitate liberum facit, addendo tamen *decere* et *honestum esse*, ut inconsultis Cardinalibus Summus Pontifex non procedat. Ita sentire quamplurimos nec ipse inficiatur Cardinalis Palæotus, quantumvis oppositam conetur doctrinam obtrudere: « Tum canones, inquit, tum doctores de hac materia « loquentes videntur hanc necessitatem excludere, cum di- « cant tantum decere Papam, et honestum esse, illum consi- « lia Cardinalium adhibere, non autem illum ad id omnino com- « pelli. » (*De S. Consistorio*, parte 1, quæst. 3, art. 4). Idem expresse testatur Fagnamus (in caput *ex gestis*, *de clericis non resid.*, n. 8): « Communis conclusio habet, inquit, Pa- « pam posse ardua explicare etiam Cardinalibus inconsul- « tis... Felinus hanc partem juribus et rationibus compro- « bat, et plurimos cumulat idem sentientes, et contrariam « opinionem dicit procedere *de honestate*. » Et certe conscius sibi erat Cardinalis Palæotus novitatis omnino expertem non esse opinionem suam, dum hæc verba thesi suæ præmitteret: « Quod quoniam nimis novum atque insolens aliquorum auri- « bus videri posset, audientibus Papam plenitudine auctori-

« tatis utentem, adhuc tamen compelli ad aliorum consilia « confugere, ideo paulo diligentius tractandum censuimus. » (*de S. Consistorio,* parte 1, quæst. 3, art. 4, versus finem.)

2° Aliqui tamen doctores in opinionem contrariam abierunt; ita etiam ut sustinuerint irritos Papæ actus ex omisso Cardinalium consilio evadere. « Non defuerunt olim aliqui, qui to- « tum hunc actum irritum plane reddi opinati sunt, variis ad- « ducti rationibus. *Primo* ex præsumpta mente Papæ; quippe « qui non servans consuetum ordinem, et quem ipsemet sibi « quodammodo initio præscripsit, censetur potius eo animo « fuisse, ut hujusmodi actus ab aliis ratus non haberetur. « *Secundo*, cum substantia facti hoc casu potuisset immutari, « quia ex unius consiliarii sententia Papa a priore proposito « potuisset discedere : idcirco dixerunt hi, hanc consiliorum « petitionem inter graves solemnitates censeri, quæ si negli- « gatur, tunc actum nullum et invalidum effici. *Tertio* sub- « dunt, quod etiam doctores, qui negant consilium Cardina- « lium esse Papæ necessarium, eosdem tamen unanimes affir- « mare illud de honestate adhibendum esse; ex quo inferri « aiunt, quod cum honestas et justitia æquiparentur, paria- « que sint aliquid fieri contra justitiam vel contra honesta- « tem.., propterea concludere volunt actus hujusmodi a « Papa, non requisitis Cardinalium consiliis, tanquam adversus « jus et æquum atque honestum gestos, irritos evadere. » (Cardinalis Palæotus, *de S. Consistorio,* parte 1, quæst. 3, art. 7.)

3° Exponenda remanet laudati Cardinalis Palæoti sententia. Quæ ad hæc capita reduci potest : *Primo* tenetur Papa rebus in arduis Cardinalium consilium adhibere, si agat ex potestate ordinaria. *Secundo* ad idem tenetur etiamsi procedat ex potestatis plenitudine. *Tertio* si dictum consilium requirere omittat, actus erit quidem illicitus, sed nequaquam irritus. *Quarto* Cardinalium consilium sequi Papa non tenetur. *Quinto*, in casu quo petitio consilii, ob extraordinariam aliquam circumstantiam, nociva foret, potest Papa eam omittere.

Quibus in antecessum prænotatis, ad excutiendam quæstionem ipsam gradum faciamus.

Propositio 1ª. — *Ad actuum Pontificiorum valorem non tenetur Papa Cardinalium consilium requirere.* — Nam : 1° ex omisso Cardinalium consilio irritus fieret Pontificius actus, vel ob legem ecclesiasticam, vel ob jus positivum divinum, vel ob jus naturale : atqui nullum ex his dici potest. Non ex lege ecclesiastica : nullus enim superior potuit Papæ necessariam facere hanc consilii petitionem sub pœna nullitatis actuum ; quippe cum Romanus Pontifex nullum in Ecclesia superiorem agnoscat ; et ipsius etiam prædecessores legibus suis eum constringere nequiverint, ut supra probavimus. Unde si qua forte lex ecclesiastica reperiretur, quæ sub pœna nullitatis præscriberet certos actus Pontificios cum consilio Cardinalium peragendos, tale nihilominus præceptum successores in cathedra Petri Præsules nullatenus obligaret ; sed tanquam merum dumtaxat paris ad parem consilium esset habendum. Ad jus positivum divinum quod attinet, promuntur quidem nonnulli e sacris paginis textus, quibus innui petendi consilii obligationem aliqui auctores contenderunt, ut infra videbimus : atvero nullus unquam somniavit istis textibus irritos decerni Papæ actus, absque Cardinalium consilio gestos : unde ad summum probarent dicti consilii necessitatem ad actuum liceitatem, non vero ad eorumdem validitatem. Et tandem a lege naturali repeti nequit prædicta actuum Pontificiorum nullitas, si recta ratio non dictet irritum esse debere, quod Papa omisso Cardinalium consilio peragit : atqui recta ratio id nequaquam dictat : bene enim concipitur potuisse a Christo Papatum ita institui, ut ipsius in terris Vicarius non teneretur sub pœna nullitatis actuum talis aut talis senatus consilium requirere. Ergo necessarium ad actuum Pontificiorum valorem Cardinalium consilium nullo ex capite probari potest.

2° *Plenam* Romano Pontifici a Christo collatam esse potestatem ad universalis Ecclesiæ regimen, dogma catholicum

est : atqui plena non foret hæc potestas, sed restricta, si valor Pontificiorum actuum a præhabito Cardinalium consilio penderet. Minus equidem hoc modo restricta foret, quam si requireretur simul sacri collegii consensus; sed tamen ipsa etiam adhibendi consilii necessitas veram constituit potestatis restrictionem ; ac proinde impedit ne *plena* dici possit illa potestas.

3° Irritus proprie dicitur ille actus, qui per se quidem et attenta agentis potestate valeret; sed ne valeat et effectum obtineat a jure positivo prohibetur. Jam vero cum Papa nullum humanum legislatorem superiorem agnoscat, sequitur actus ipsius a nullo positivo jure impediri posse ne valeant; ergo nunquam proprie et stricto sensu irriti esse possunt ; ergo irriti non erunt ex omisso Cardinalium consensu. Quam rationem sic evolvit Cardinalis Palæotus : « Verum absit, ut « nostrum unquam intellectum occupet tam fallax opinio « *(nempe irritum esse Papæ actum, omisso Cardinalium consilio)*, « quæ summam Papæ potestatem labefactat, primatum illius « debilitat, eminentissimam ejus potestatem legibus humanis « subjicit, ac denique divinam auctoritatem cum sæculari « confundit. Nam cum abrogatio atque extinctio actus illius « qui gestus est, dicatur pœna jure positivo imposita, sœpius « diximus Papam non subesse huic juri quoad vim coactivam; « et ideo non teneri pœna quæ inde oritur : siquidem regula « est apud doctores, quod in auditorio principis quando potestatis plenitudinem exercet, nullitati locus esse non so- « let. Accedit, quod cum actum infirmare atque irritum redde- « dere pendeat a vi quæ coactiva dicitur, Papa nulli hujus- « modi potestati subjicitur quæ illum necessario cogat. Immo « nec ipsemet adversus seipsum hujusmodi vim potest exer- « cere, ut sancti doctores declarant. » (*De S. Consistorio*, parte 1, quæst. 3, art. 7).

Objicies 1°. — Præsumendus est Papa velle actum suum non valere quando solitum omisit Cardinalium consilium. — Respondeo : præsumendus est e contra velle ut actus absque

dicto consilio valeat, siquidem alioquin consilium illud non omitteret.

Objicies 2°. — Ex formula *de consilio Fratrum nostrorum*, in Bullis adhiberi solita, constat id esse solemnitatem valde gravem: porro prætermissis gravibus solemnitatibus, actus nullitate laborat. — Respondeo hanc solemnitatem necessariam non probari; unde ipsius omissio actum non facit irritum.

Objicies 3°.—Fatentibus communiter doctoribus, actus Pontificius, omisso Cardinalium consilio, saltem contra honestatem sunt; sed quidquid est contra honestatem, iniquum est, ac proinde nullum. — Respondeo: dicti auctores dum tradunt teneri Papam *de honestate dumtaxat* ad requirendum sacri collegii consilium, expresse ipsimet hanc formulam *de honestate* opponunt obligationi, qua Papa sub pœna nullitatis actuum teneretur consilium prærequirere. Ergo absurdum est ad ejusmodi auctores provocare, ad firmandam eorum auctoritate contrariam conclusionem.

Propositio II^a^. — *Neque ad liceitatem actuum Pontificiorum necessarium est (regulariter loquendo) Cardinalium consilium.* — Ad difficultatis cardinem devenimus: hic nempe clarissimum Palæotum aperte adversantem habemus; et dubium præterea esse potest, num auctores communiter, dum tradunt teneri Papam *de honestate* ad præsentiendum Cardinalium consilium, id eo sensu intelligant, quod peccet Papa si ejusmodi consilium expetere omittat. Pro quæstionis ergo gravitate, varia quæ rem illustrare et conclusionem firmare videntur, sequenti numerorum serie singillatim exponemus.

I. *Extra controversiam est Papam ad petendum Cardinalium consilium non teneri, quando petitio hæc bono Ecclesiæ nociva foret.*—Id neque ipse Palæotus negat; sed e contra ex professo firmat hoc modo: « Cum hæc summa potestas fuerit Papæ di-
« vinitus attributa, ut eo tutius ac salubrius christianæ reipu-
« blicæ prospiceret (ita ut nullis vinculis aut repagulis extrin-
« secus esset impediendus, ex quibus publica utilitas possit

« retardari); idcirco ferendum non esse dicimus, ut quoties « consiliorum petitio possit ejus finem aut studium juvandæ « reipublicæ perturbare, ille tunc istis consiliis exquirendis « sit subjectus. Exempli causa, quando ejusmodi negotium « verteretur, quod secreto admodum esset tractandum, prop- « ter insigne aliquod periculum quod immineret si res dete- « geretur; ac veluti etiam, si negotium illud nullam moram « pateretur, nec tempus daretur Consistorium convocandi, « aut singulorum Cardinalium vel aliorum prudentum consi- « lia exquirendi; sive si qui alii casus similes emergerent, « quibus Papa boni publici causa suaderetur ne Consisto- « rium convocaret, aut alios rerum usu ac judicio præstan- « tes accerseret. Atvero ubi nulla esset suspicio aliquid in- « commodi ex hac consiliorum petitione in publicam rem re- « dundare posse, nulla tunc subesse ratio videtur, cur ille « non debeat ac teneatur prudentum aliquorum sententias, « et, ut moris est, Cardinalium explorare. » *(De S. Consistorio,* parte 1, quæst. 3, art. 4). Potest illa Palæoti ratiocinatio sic contrahi: absurde diceretur teneri Papam ad id peragendum quod Ecclesiæ nocivum foret; atqui in præsenti hypothesi nociva Ecclesiæ foret dicta consiliorum petitio; ergo...

II. *Summus Pontifex nulla lege ecclesiastica ad requirendum Cardinalium consilium adstringitur.* — Nam, ut toties jam diximus, nullum in Ecclesia superiorem Papa agnoscit, cujus præcepto aut lege possit constringi. Unde si ab ipsius prædecessoribus forte statutum fuisset, ne posset absque Cardinalium consilio in certis negotiis Papa procedere, decretum ejusmodi vim successores obligandi non haberet; quia nemini in parem imperium competit, ut in confesso est apud omnes. Cæterum neque Palæotus, neque alii qui Papam ad consilium Cardinalium exquirendum adstringi volunt, ad legem ecclesiasticam provocant; sed ad jus dumtaxat divinum, et legem naturalem.

III. *Papa non tenetur ex jure divino positivo ad procedendum*

in Ecclesiæ regimine cum Cardinalium consilio. — Contrarium expresse tenuit Cardinalis Palæotus (*de S. Consistorio*, parte 1, quæst. 3, art. 5), cujus doctrinæ hæc summa est : ex jure divino positivo illa duo constant : 1° teneri Papam ad consiliarios adhibendos ; 2° Cardinales esse de numero consiliariorum quos Papa adhibere tenetur : ergo Cardinalium consilium a Papa esse adhibendum, ex jure positivo divino sequitur.

Quod teneatur Papa consiliarios adhibere, existimavit Palæotus sufficienter probari hisce scripturæ sacræ textibus : *Fili sine consilio nihil facias* (Eccli. 32) : *Erit salus ubi multa consilia sunt* (Prov. 11 et 24) : *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia* (Prov. 13) : *Ini consilium, coge concilium* (Isaiæ, 16) : *Consilium semper a sapiente perquire* (Tobiæ, 4) : *Domine da mihi cor docile, ut sciam judicare populum meum* (2 Reg. 3) : Ad hoc dictum apostoli, *quis consiliarius ejus fuit,* ita advertit Chrysostomus : *Cum reliqui omnes, quotquot sunt, aliorum consilio egeant.*

Quod autem Cardinales sint de iis consiliariis quos Papa ex jure divino adhibere tenetur, deducit idem Palæotus hoc modo : *primo,* memorat a clarissimis doctoribus sustineri divinæ Cardinalium institutionis opinionem ; quæ si vera sit, sequitur teneri Papam ex jure divino ad requirendum Cardinalium consilium. *Secundo,* eam rationem, utpote controversiæ obnoxiam, prætermittendo, subjungit : « Negari saltem non « posse, quin amplissima Summi Pontificatus administratio « semper adjutoribus et operariis indiguerit... Ex quo illud « sequi aiunt *(nempe illi qui eamdem cum ipso thesim sustinent)*, « quod si divino jure monetur Papa pascere oves Christi, non « quomodocumque, sed sancte et utiliter, hinc etiam intelligi « eum conjunctim moneri ad res arduas pro Ecclesiæ et gre- « gis salute consultandas cum viris rerum peritia, ingenii acu- « mine ac virtutis integritate præstantibus ; inter quos Cardi- « nales jure optimo semper præcellere habiti fuerunt, cum « ad hoc ipsum consulendi munus potissimum delecti, et « longo usu exercitati dignoscantur. Quamobrem, sicuti ri-

« dendus esset qui in morbis corporis alios quam medicos « accerseret ; aut in navigatione alios quam remiges et nau- « tas...; sic in consiliis petendis absurdum esset eos omnino « prætermitti, qui hoc munus profitentur : quandoquidem « Cardinales, prout in monumentis legimus, valde præcellunt « alios consiliarios ; cum ipsi ita sint consiliarii, ut sint mem- « bra Summi Pontificis, et portio hujus sacrosanctæ reipu- « blicæ. Ipsi eligunt Principem, ille ex eorum corpore eligitur : « ipsi in Ecclesia universali in ordine hierarchico primarium « locum obtinent : iidem præcipui in Ecclesia romana subli- « miori quodam modo de rebus communibus consulunt, quam « cæteri consiliarii. Item perpetui sunt, et instar Apostolo- « rum adsistentium Christo Domino, ad sunt et ipsi Papæ ejus « Vicario, illiusque sunt coadjutores et cooperarii... Si cum « eis res graves non communicarentur, irrita fere et inanis « eorum posset evadere institutio : quod magnum rebus pu- « blicis afferret detrimentum. » Ita Palæotus.

Ejus tamen rationibus id quod probandum suscepit nullatenus evincitur : nam,

1° Adducti sacræ scripturæ textus deberent probare peccati reum fieri Summum Pontificem, nisi in quolibet arduo negotio consiliarios adhibeat ; atqui id non probant. Hi quippe textus, qui cæteroquin ad omnes homines diriguntur, commode interpretari possunt dicendo, adhibendos præscribi consiliarios, non semper et in omnibus gravibus negotiis, sed tunc dumtaxat quando necessarium et utile est consilium ; quando nempe ille qui agere debet non potest per se solum discernere quid prudenter et licite peragere possit aut debeat. Jam vero persæpe contingere potest ut, sicuti hominum cæteri, ita et Papa, in magni etiam momenti negotiis, satis discernat quid faciendum sit ; et tunc nullos consiliarios adhibere tenebitur. Unde in textibus allatis, *sine consilio nihil facias, consilium semper perquire*, et similibus, subaudiendum est, *quando tibi non satis liquet quid peragere debeas*.

2° Etiam quando Papa consiliarios adhibere tenetur, jus

divinum positivum nullatenus præscribit Cardinales potius quam alios ad ejusmodi officium assumi. Textus enim scripturæ supra relati de Cardinalibus silent. Nec dicatur *implicite* saltem iis textibus Cardinales designari; cum præscribatur perquiri consilium a sapientibus, et de facto Cardinales cæteris sapientiores æstimandi sint: nam, esto dicti textus præscribant in consiliarios adhiberi *sapientes* viros; at non jubent adhiberi sapientiores aut omnium sapientissimos. Cardinales autem, etsi de jure cæteris sapientiores in tractandis Ecclesiæ negotiis censendi sint, non tamen soli sapientes sunt. Ergo ne implicite quidem prædictis textibus Cardinales potius quam alii in consiliarios a Papa adhiberi præscribuntur.

3° Sed neque in hypothesi quod Cardinales institutionis divinæ sint, sequitur teneri Papam ex jure divino ad exquirendum ab ipsis consilium in omnibus arduis negotiis. Nam si Christus ipse Cardinales instituit, utique voluit existerere collegium virorum, qui præsto essent ad adjuvandum consiliis suis romanum Pontificem: atvero non inde sequitur voluisse Christum ut Papa de necessitate et in omnibus arduis negotiis iis consiliariis uteretur; sed tantum ut posset iis uti quando opportunum existimaret. Et certe milites, licet ad bellum faciendum instituti sint, non tamen ad bellum de facto et perpetuo faciendum instituti censendi sunt; sed pro institutionis scopo satis est ut possint, quando opus erit, ad id officii adhiberi.

4° Hinc infirma etiam videtur ratio quam subjungit Palæotus, *irritam fere et inanem evadere posse Cardinalium institutionem, si cum eis res graves non communicentur*. Nam irrita et inanis non evadit militum institutio ex eo quod de facto eveniat eos per longum quandoque tempus bello gerendo non addici: satis est eos præsto esse, statim ac hosti resistendum erit. Pariter ad essentialem institutionis cardinalitiæ scopum, satis est Cardinales præsto esse romano Pontifici, quoties ipsorum consilio et opera in regendæ universalis Ecclesiæ negotio indigebit. Quamvis autem aliquis Papa nonnulla, vel etiam

plura ex arduis negotiis, per seipsum aut cum assumptis aliunde consiliariis expediat, non inde statim subversa existimanda est Cardinalium institutio.

CAPUT VII.

DE CARDINALIUM CREATIONE.

Dicemus 1° de requisitis ut quis Cardinalis creetur eique vere competant cardinalatus jura : 2° de forma et ritu in Cardinalium creatione adhiberi solitis : 3° de qualitatibus requisitis ut quis ad cardinalitiam dignitatem evehatur : 4° an et quatenus e variis nationibus assumendi sint Cardinales, et aliqui etiam ex regularium ordinibus.

§ I.

Quid requiratur ut quis Cardinalis creetur, atque ipsi vere competant Cardinalatus jura?

Propositio I^a.— *Ad creandum Cardinalem sola requiritur voluntas Summi Pontificis sufficienter expressa ; ita ut nulla certa formula, nullusque ritus aut cæremonia ad id essentialis sit.* — Etenim tota substantia cardinalutus consistit in potestate jurisdictionali et prærogativis eam consequentibus : non autem est cardinalatus aliquod sacramentum, characterem imprimens, et dependens ab aliqua materia et forma sacramentali divinitus instituta. Jam vero collatio jurisdictionis tota pendet a voluntate illius qui conferendi potestatem habet. Unde ad creandum Cardinalem sufficit ut Summus Pontifex id velit, et hanc suam voluntatem exterius exprimat. Estque doctrina hæc apud doctores unanimiter recepta. « Nulla præcisa forma « (inquit Ferraris, v. *Cardinalis*, art. 1, n. 12), necessario « observanda in Cardinalium promotione utitur summus Pon- « tifex, sed verbis sibi bene visis promotionem indicantibus

« complet. » Idem tradit Cardinalis Petra (ad constit 1, Eugenii IV, n. 4) : « Cum cæteroqui, ait, Summus Pontifex solo « verbo creare possit Cardinalem. »

Propositio II[a]. — *Eugenius IV decrevit ut promoti ad cardinalatum pro Cardinalibus non haberentur ante recepta insignia : neque vocem haberent in electione Summi Pontificis, antequam os ipsis is apertum fuisset, id est, votandi facultas concessa esset.* — Substantiam Constitutionis dicti Pontificis, quæ incipit *in eminenti,* sic refert Cardinalis Petra (tomo 4, ad Const. 1 Eugenii IV, n. 3) : « Eugenius decrevit et declaravit, ut Cardina- « les in secreto consistorio pronunciati, quamvis ad cardina- « latus initium dispositi habeantur, nullum jus re aut nomine « sibi vindicare possint, neque pro Cardinalibus reputari « debeant, quousque cardinalatus insignia sint ipsis tradita, « videlicet per capelli rubri traditionem vel missionem, ac « tituli assignationem, annulique juxta morem in digito im- « missionem : quodque Cardinales sic pronuntiati, etiam « postquam insignia hujusmodi receperint, in electione Sum- « mi Pontificis vocem activam minime habere censeantur, « donec per Romanum Pontificem ad id expressa licentia « ipsis tribuatur, seu (ut verbis utamur communibus) eis « fuerit os apertum. »

Propositio III[a]. — *Dicta Eugenii IV Constitutio non potuit ipsius successores obligare : de facto secuti Pontifices omnia cardinalatus jura promotis Cardinalibus contulerunt ante oris aperitionem et insignium traditionem : et jamdudum certum est hanc esse Romanorum Pontificum intentionem et voluntatem, dum aliquem Cardinalem renuntiant, quamvis Eugenianæ Constitutioni expresse non derogent.* — 1° Quod ad servandam Eugenianæ Constitutionis dispositionem obstringi nequiverint successores Pontifices, patet ex eo quod prædecessorum suorum legibus non subsint, utpote cum æquali potestate succedentes.

2° De facto proximi post Eugenium IV Pontifices, per solam in consistorio Cardinalium promotionem, et ante insignium traditionem et oris aperitionem, jura cardinalitia eis contu-

lerunt. Simul tamen expresse Eugenianæ Constitutioni in singulis ejusmodi Cardinalium creationibus derogabant. Quod eos fecisse existimandum est ad tollenda dubia: nam in rigore juris necessaria non erat hæc expressa derogatio, sed satis erat ut de ipsorum mente et voluntate clare constaret. Hinc postmodum, etiam absque illa expressa derogatione idem peractum est. Et quia nonnulla de hoc oriebantur dubia, sanctus Pius V ita decrevit : *Quia aliquando dubitatum fuit, utrum Cardinales, quibus os clausum esset, si antequam illud eis aperiretur, Sedis vacatio eveniret, utrum inquam in Summi Pontificis electione votum haberent: Sanctitas sua... decrevit, quod, cum potissima Cardinalium facultas in Romano Pontifice eligendo consistat, quæ sane ipsis propter insignium et cæremoniarum defectum auferri non debet, ob eam causam Sanctitatem suam statuere, ut postquam aliquis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit et consensum suum dederit, is statim vocem et jus eligendi Romanum Pontificem habeat, et consequenter etiamsi cardinalatus galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit.* (Vide apud Cardinalem Petra, tomo 4, in Constit. 1 Eugenii IV, n. 4 et seq.).

3° Ab emanato sancti Pii V decreto usque nunc, certa est intentio et voluntas Romanorum Pontificum, omnia jura cardinalitia conferendi ante oris operitionem et insignium traditionem, id est, per solum promovendi in consistorio actum. Ac proinde post istam promotionem certum est omnia cardinalatus essentiala jura Cardinalibus competere. Imo ut aliter contingeret deberet hodie Summus Pontifex expresse contrarium exprimere. Si enim contrarium non exprimat, censetur egisse juxta praxim jamdudum receptam, nimirum juxta citatum sancti Pii V decretum. Hinc Cardinalis de Luca (*relat. Romanæ Curiæ,* discursu 5, n. 11) de oris aperitione, nec non juramento et insignium traditione sic adnotat : « Sunt cære-
« moniæ vel solemnitates, quæ non percutiunt substantiam
« vel perfectionem actus; quoniam secuta promotione, illi

« sunt veri ac perfecti Cardinales ; ideoque (quidquid alias « dubitatum sit) votum habent in conclavi in electione Pon- « tificis, omnesque alias cardinalitias jurisdictiones et præ- « eminentias, ut moderna praxis docuit. »

Propositio IV^a^. — *Etiamsi Papa ante suam promotionem jurasset, se nulli purpuram daturum, nisi ex consensu Sacri Collegii, nihilominus absque illo consensu Cardinales valide ac licite creare posset.* — Jam supra (cap. 6, § 1, propositione 7^a^) probavimus Sacri Collegii consensu non indigere Summum Pontificem ut Cardinales creet. Quid vero in casu, de quo in præsenti propositione? Casus non est chimericus : « Ad hujusmodi Romani « Pontificis libertatem restringendam, ait Cardinalis Petra, « sæpe sæpius in comitiis pro novo successore eligendo, Car- « dinales juramento sese obstrinxerunt, novos Cardinales non « electuros, nisi de consensu Cardinalium, vel saltem majoris « eorumdem partis, ut in articulis juratis ante electionem « Eugenii IV, Pii II, Sixti IV aliorumque » (tomo 4, ad Constit. 1 Eugenii IV, n. 14). Quæstio est, an posito tali juramento, Pontifici licitum sit absque Sacri Collegii consensu aut consilio novos Cardinales creare? Affirmative omnino respondendum est. Repugnat enim pontificiam potestatem non esse in Ecclesia supremam. Non esset autem suprema si restringi posset juramentis et pactis a pontifice ante suam promotionem initis. Item repugnat cum qui potest cum omnibus Christi fidelibus dispensare in votis et juramentis, non posse cum seipso. Unde statim ac quis electus est Pontifex, hoc ipso liber existit ab omni vinculo juramenti, quo suprema ejus ac divinitus accepta potestas restringeretur. Imo talia juramenta, utpote divinam Pontificiæ potestatis institutionem subvertentia, sunt de se nulla ac prorsus irrita. Unde toties renovata a Cardinalibus in conclavi ejusmodi tentamina, pro inanibus habenda sunt, ut jamdudum tenent communiter doctores catholici; quamvis apud antiquos nonnihil dubii hac in re extiterit. Cæterum egregiam de hac quæstione disceptationem reperies apud Catalanum (in commentario *Cæremonialis sanctæ*

Romanæ Ecclesiæ, tomo 1, pag. 55 et seq., edit. Romæ 1750), qui sic concludit : « Quam tamen hujusmodi cautiones infirmæ « sint obligationis in eo qui suprema pollet auctoritate..., « nemo non intelligit... Possunt enim ipsi seipsos ab iis libe- « rare (juramentis), cum expedire viderint. »

§ II.

De forma et ritu in Cardinalium creatione adhiberi solitis : et de hodierna praxi quoad ipsorum numerum.

1° Forma seu ritus creandorum Cardinalium in *Cæremoniali Romano* (libro 1, sect. 8, cap. 1 et sequentibus) describitur. Unde ad textum illum lectorem remittendo, pauca dumtaxat sequentia adnotabimus.

2° Quod in præfato cæremoniali dicitur, de promovendis Cardinalibus feria quarta quatuor temporum, obsolevit. Item jamdudum a Sacro Collegio non postulat Summus Pontifex, an necesse sit novos Cardinales creare et quo numero ; quamvis requirendum quoad id Sacri Collegii consilium in dicto *Cæremoniali Romano* pariter adnotetur.

3° Hodie vigens praxis in creandis Cardinalibus, summatim hæc est : Romanus Pontifex secretum consistorium convocat ; et, aliis expeditis negotiis, adstantes eminentissimos patres his aut similibus verbis alloquitur : *habetis Fratres.* Tum exprimit eorum nomina quos ad cardinalatum promovere decrevit, et subjungit : *quid vobis videtur ?* In signum assensus, Cardinales caput detegunt et reverenter inclinant. Et fit decretum promotionis novorum Cardinalium, quod illico extra consistorium promulgatur (vide apud Card. Petra, tomo 4, ad Constit. 1 Eugenii IV, n. 13).

4° Si promoti in secreto consistorio reperiantur Romæ, eodem quo prius utebantur habitu ad aulam Apostolicam, nullo assumpto comitatu, se conferunt ; ibique ab aliquo ex antiquis Cardinalibus excepti, Summo Pontifici offeruntur,

qui bireto rubro eos condecorat. Atque ex tunc usque ad Consistorium publicum, in quo iisdem tradentur insignia, nullam eis licet publicam, id est, cum associatione, visitationem facere aut recipere ; neque licet Cardinalibus eos invisere absque prævia licentia Sanctissimi.

5° Si noviter promotus in secreto Consistorio absens ab Urbe sit, statim ad ipsum deputatur unus et familiaribus Summi Pontificis, qui biretum rubrum ei deferat. Quod biretum recipiendo, jurare debet noviter promotus, sub pœna inhabilitatis et privationis Cardinalatus, se intra annum ad limina Apostolorum accessurum : ita enim disposuit Sixtus V, Constitutione *Postquam*. Invaluit usus ut is cui dicto modo biretum rubrum defertur, det Xenia quædam seu munera, inter cubicularios participantes ex intima Summi Pontificis aula, dividenda.

6° His expletis indicitur Consistorium publicum ad tradenda novis Cardinalibus insignia. Omnibus Cardinalibus in aula Apostolica Congregatis, Summus Pontifex, mitra pretiosa ornatus, præcipit ut noviter promoti accedant. Qui profunde se eis inclinantes, a cæremoniarum magistro post ultimum Cardinalem presbyterum locantur ante conspectum Pontificis detecto capite. Eos Pontifex de cardinalatus officio et præstantia breviter alloquitur, et habetur in cœremoniali Romano (l. 1, sect. 8, c. 6) hujusce allocutionis formula. Tum accedentes novi Cardinales osculantur genuflexi pedes, ac dein manus Summi Pontificis, qui et ad oris osculum eos recipit. Postea deducuntur ad pacis signum recipiendum a cæteris Cardinalibus. Quo peracto, Pontifex eisdem genuflexis galerum rubrum super caput imponit, dicens : *Ad laudem omnipotentis Dei et Sanctæ Sedis ornamentum, accipe galerum rubrum, insigne singularis dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quod usque ad mortem et sanguinis effusionem inclusive pro exaltatione sanctæ Fidei, pace et quiete populi Christiani, augmento et statu sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ te intrepidum exhibere debeat, in nomine Patris* ✝, *et Filii* ✝, *et Spiritus Sancti* ✝, *amen.*

7° In altero Consistorio Summus Pontifex claudit ipsis os, inhibendo ne quid loqui præsumant in Consistoriis aliisque consessibus, donec eis os apertum fuerit.

8° In alio tandem Consistorio, « Romanus Pontifex jubet « ut noviter electi exeant, donec ipse siscitetur ab antiquis « Cardinalibus, an ipsis videatur os noviter electis aperien- « dum esse. Atque omnibus plaudentibus, revocantur, et « benigne a Sanctissimo admoniti, ad aperitionem oris acce- « dunt, quæ his verbis expletur : *Aperimus vobis os, tam in « collationibus quam in consiliis, atque in electione Summi Pon- « tificis, et in omnibus actibus tam in Consistorio quam extra, qui « ad Cardinales spectant. In nomine Patris* ✝, *et Filii, et Spi- « ritus Sancti, amen.* Atque tandem res perficitur cum annu- « lorum traditione, titulorumque assignatione. » (Cardinalis Petra, tomo 4, ad Constitutionem 1 Eugenii IV, n. 17).

9° « Numerus Cardinalium varius olim fuit, pro varietate « temporum et Summorum Pontificum... Inter omnes qui « plures Cardinales creavit est Pius IV, qui pervenit usque ad « septuagesimum sextum; quo neque ante, neque post per- « ventum est. A tempore tamen Sixti V numerus septuagena- « rius invariatus remansit. » (Ferraris, v. *Cardinales,* art. 1, n. 40). Statuit nempe Sixtus V (Constit. *postquam,* § 4) ut dictus numerus nunquam excederetur. Et quamvis hoc decreto ligari non potuerint (ut supra diximus) ejus successores, de facto tamen ad hodiernum usque diem sese illi conformarunt. Itemque constanter servata est dicta Sixtina Constitutio, in quantum decernit ut sint Cardinales Episcopi 6, presbyteri 50, et diaconi 14 ; et singulis assignetur ecclesia, titulus, vel diaconia.

10° Præter galerum et biretum rubrum, capitium etiam seu pileolum (la calotte) ejusdem coloris deferunt Cardinales. Quod eis concessit Paulus II, prohibens ne ulli alii ejusmodi rubrum pileolum deferrent.

11° Cardinalibus autem, qui ex ordinibus regularibus assumuntur id proprium est, quod in suo habitu colorem proprii ordinis servent, excepto rubro bireto et pileolo.

§ III.

Qualitates requisitæ ut quis ad cardinalatum evehatur.

Eligendos esse in Cardinales viros quammaxime virtutibus, doctrina et rerum gerendarum experientia conspicuos, vivide expressit Paulus II, his verbis, apud Raynaldum (ad annum 1471, n. 63) relatis : *In rebus aliis hominem esse posse* (nempe Romanum Pontificem). *In ecclesiarum rectoribus creandis, angelum : in collegio augendo, Deum Pontificem esse oportere. Qui in altero peccet, impium : qui in altero, dæmonem esse existimandum. In illo unam ecclesiarum prostitui, ac viro alieno conjungi, non suo : in hoc ecclesias universas periclitari.*

Item Tridentina Synodus (sess. 24, c. 1) admonet, *nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales adciscat.* Et de eodem Cardinalium delectu præclara etiam dicta reperies in Constitutione *postquam* Sixti V. In particulari autem circa requisitas ad cardinalatum qualitates hæc statuta occurrunt :

I. *Debent habere qualitates a sacris canonibus ad episcopatum requisitas.* — Id a Tridentina Synodo (sess. 24, c. 1, *de Ref.*) decretum est in hunc modum : « Ea vero omnia et singula, « quæ de Episcoporum vita, ætate, doctrina et cæteris quali- « tatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit « eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi- « nalium, etiamsi diaconi sint, exigenda. »

II. *Illegitimi, etiam per subsequens matrimonium legitimati, ad cardinalitiam dignitatem non sunt promovendi.* — Ita decrevit Sixtus V, Constitutione *postquam*, § 12.

III. *Item promoveri non debent, nisi in minoribus saltem ordinibus ab uno anno versati sint, et clericalem habitum gestaverint.* — Decretum a Sixto V, in dicta Constitutione, § 15.

IV. *Qui habet avunculum vel nepotem Cardinalem, ipse ad cardinalatum promoveri non debet.* — Ita statuitur in eadem Constitutione Sixti V.

V. *Ætas requisita pro Cardinalibus Episcopis et presbyteris, est triginta annorum : pro Cardinalibas diaconis, viginti duo.* — Vide apud Ferraris, verbo *Cardinales,* art. 1, n. 36.

VI. *Præmissis præscriptionibus non ligatur Summus Pontifex, nisi in quantum sunt legis naturalis.* — Quia nempe, ut pluries diximus, ligari nequit Papa legibus mere ecclesiasticis, sive suorum prædecessorum, sive conciliorum. Hinc, verbi gratia, potest Summus Pontifex, si utile id existimet, aliquem in Cardinalem presbyterum promovere, antequam trigesimum annum attigerit; quamvis id ex Tridentino decreto prohibeatur. Quia scilicet mere ecclesiasticæ leges, etiam Conciliorum œcumenicorum, relative ad Papam nonnisi directivam vim habent.

§ IV.

An et quatenus ex omnibus christianitatis nationibus assumendi sint Cardinales, et aliqui etiam ex regularium ordinibus.

I. Inter eos scriptores qui omni data occasione Sedem Apostolicam conviciis impetere solent, alii Romanos Pontifices carpunt quod sibi non assumant, alii e contra, quod assumant e nationibus exteris Cardinales. Febronius utrumque exprobrat (vide apud Zaccariam, *Antifebronius vindicatus,* dissert. 10, cap. 1, n. 4).

Hac de re sic olim Petrus Alliacensis : « Tollendus est de-
« testabilis abusus, a quo primo schisma originem traxit,
« scilicet quod una natio sive regnum, aliquando ultra, ali-
« quando citra montes, in scandalum residuæ christianitatis,
« ita diu Papatum tenuit, ut posset dicere, *hæreditate possi-*
« *deamus sanctuarium Dei.* Quod quam detestabile fuit, præ-
« cipue in Papatu, ostendit ille qui ait : *In veritate comperi*

« *quod non sit personarum acceptor Deus*... Item pro dicta pro-
« visione esse statuendum, quod de cætero major pars Cardi-
« nalium non posset assumi de uno regno, sive de una natione,
« sicut quandoque hactenus factum est, in magnum scandalum
« plurimorum ; sed quod de diversis regnis et provinciis indis-
« tincte juxta personarum merita assumantur. » (Citatum a Zaccaria, in *Antifebronio vindicato*, dissert. 10, cap. 1, n. 4). Dum is, et alii qui deinceps talia declamarunt, utuntur hisce formulis *statuendum esset,* deberent prius creare in terris potestatem quæ valeat ita *statuere* et statuto suo Romanos Pontifices ligare. Ecquis enim sub cœlo superior Sedem Apostolicam disciplinari lege constringere valet? Vel quænam ecclesiastica lex, quam nequeat Romanus Pontifex, immutare ac moderari? Id notatum voluimus, antequam Tridentinæ Synodi et ipsius etiam Sedis Apostolicæ quædam hac de re decreta subjiciamus, ne putet lector hisce decretis aliam inesse vim erga Romanos Pontifices, quam directivam seu meri consilii.

II. *Assumendos cardinales, quantum commode fieri poterit, ex variis christianitatis nationibus præscripsit Tridentinum Concilium.* — Nimirum sessione 24, capite 1, sic disponitur : « Quos sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus christia-
« nitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout
« idoneos repererit, assumet. »

III. « Ex regularibus mendicantibus quatuor saltem fieri
« debent Cardinales theologi. Sixtus V, in Constitutione inci-
« piente *postquam,* § 4, ibi : *Inter hos septuaginta Cardinales,*
« *præter egregios utriusque juris aut decretorum doctores, non*
« *desint aliquot insignes viri in sacra theologia magistri, præser-*
« *tim ex regularibus et mendicantium ordinibus assumendi,*
« *saltem quatuor, non tamen pauciores.* » (Ferraris, v. *Cardinales*, art. 1, n. 26.)

IV. *Prædictis decretis non obstringitur Summus Pontifex, nisi in quantum ob speciales circumstantias, a lege etiam naturali præscriberentur.* — Romanum enim Pontificem obligare ne-

queunt leges mere ecclesiasticæ, sive a Conciliis sive a prædecessoribus suis sancitæ ; habent nempe quoad ipsum ejusmodi leges vim directivam tantum, non coactivam, ut pluries diximus. Unde si opportunum existimet Summus Pontifex ab utroque præmisso decreto recedere, id ei licebit. Si vero ex circumstantiis clare pateat, recedi ab eis non posse, quin damnum Ecclesiæ inferatur, cum de jure divino teneatur Pontifex Ecclesiæ damna præcavere, proculdubio ad observanda ea decreta tenebitur ; alias supremo judici rationem de illato Ecclesiæ præjudicio redditurus.

CAPUT VIII.

QUATENUS CARDINALES RESIDERE TENEANTUR, ET QUÆNAM SIT EORUM IN TITULIS SUIS JURISDICTIO.

Quæstio I^a^. — *An et ubi Cardinales residere teneantur ?* — 1° Cardinales qui simul sunt alicujus diœcesis Ordinarii, tenentur in suis diœcesibus residere ; et legibus de Episcoporum residentia subjacent (vide apud Benedictum XIV Constitutionem *cum a nobis,* 4 augusti 1747 ; et apud Ferraris, verbo *Cardinales*, art. 3, n. 28). Equidem ejusmodi Cardinales nequeunt Summo Pontifici auxiliari prout eorum officium expostularet. Inserviunt tamen aliquatenus, Sedis Apostolicæ negotiis, licet longe positi, pro posse operam dantes ; et invaluit praxis ut plures e 70 Cardinalibus assumerentur ex ejusmodi Episcopis, qui in suis diœcesibus residere tenentur.

2° Non tamen in suis diœcesibus residere tenentur sex Cardinales Episcopi suburbicarii (vide apud Ferraris, loco cit., n. 33). Ratio est quia ob suarum diœceseon vicinitatem, possunt, quamvis Romæ commorantes, eas accurate administrare.

3° Exceptis Cardinalibus Episcopis qui in diœcesibus suis residere tenentur, ut dictum est, cæteri omnes tenentur residere, in curia Romana, id est, apud Summum Pontificem, ut

ipsi auxiliari valeant, prout eorum officium exigit. Ubi autem est Papa, ibi et curia.

4° Nequeunt e Romana curia discedere sine licentia Romani Pontificis ; et contravenientes subjacent gravibus pœnis; quas vide enumeratas apud Ferraris (v. *Cardinales,* art. 3).

5° Ipsi etiam Cardinales Episcopi in suis diœcesibus residentes, si accedant ad Urbem, ab ea discedere nequeunt absque dicta licentia ; et quidem sub pœnis de quibus supra. Vide id decretum in Constitutione Benedicti XIV *in regimine,* § 3, 3 februarii 1745.

Quætio II[a]. — *Quænam sit Cardinalium in suis respective titulis jurisdictio ?* — 1° Sex Cardinales suburbicarii *titulos* Romæ non habent, sed ecclesias seu diœceses Romæ vicinas. Quod autem hi jurisdictionem habeant in sua quisque diœcesi, extra quæstionem est, cum sint earum diœceseon Ordinarii.

2° Cardinales diaconi proprie *titulos* non habent sed *diaconias.* Soli enim Cardinales presbyteri stricte loquendo *titulos* habere dicuntur. Nihilominus quia de diaconiis quoad præsentem quæstionem idem currit jus ac de titulis, eas sub *titulorum* denominatione comprehendimus.

3° Tituli Cardinalium separatum olim habebant territorium, cum clero et populo eisdem subjecto, ut colligitur, ex quadam Joannis VIII Constitutione, quam refert Baronius (ad annum 882), et Cohellius *(Not. Cardinal.,* cap. 25). Proinde tunc jurisdictionem quasi-episcopalem in suis titulis habebant Cardinales presbyteri et diaconi. Et hanc eis jurisdictionem attribuit etiam Sixtus V (Constitutione *religiosa,* idibus aprilis 1589) his verbis : *Præter sex Episcopos Cardinales, qui certis cathedralibus urbi finitimis præsunt, singulis presbyteris et diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe ecclesiæ, tituli videlicet et diaconiæ cum suis clero et populo, ac quasi episcopali jurisdictione in spiritualibus et temporalibus, regendæ et administrandæ committantur.*

Atvero jurisdictionem illam quasi episcopalem in suis titulis jam a multo tempore non habent Cardinales. Declaravit

enim Innocentius XII, in sua Constitutione *Romanus Pontifex*, ipsis competere *facultatem seu jurisdictionem in iis, quæ servitium ecclesiæ seu loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat, concernunt.* Ex iis verbis sic arguit Pitonius (*de Controvers. Patron.*, alleg. 41, n. 31) : « Quæ « quidem Constitutio silere facit hanc quæstionem super juris- « dictione episcopali per Cardinales titulares prætensa, eo « ipso quod eorum facultatem restringit ad eam quæ respicit « servitium ecclesiæ, cum illa taxativa *dumtaxat*, quæ omnem « aliam jurisdictionis speciem excludit... Per quæ verba Con- « stitutionis Innocentianæ non solum excluditur jurisdictio in « populum et parochianos, sed etiam tribuitur sola jurisdictio « *domestica* in respicientibus servitium ecclesiæ circa disciplinam et correctionem morum, quæ competit omnibus capitulis ecclesiarum (seu earum vicariis, præpositis, prioribus, « seu archipresbyteris) in forma extrajudicali pro recto ecclesiæ gubernio... Neque extenditur hæc facultas ad excessus « graves et ad tribunal contentiosum. »

4° Hinc vera hodie non sunt quæ plures canonistæ (inter quos et ipse Ferraris, v. *Cardinales*, art. 3), affirmant de jurisdictione episcopali Cardinalium in suis titulis; vi cujus possint, verbi gratia, cum suorum titulorum subditis dispensare in votis, matrimonio eorum valide assistere, aut aliis assistendi facultatem concedere, et alia ejusmodi peragere quæ jurisdictionem episcopalem supponunt. Dicendum est eos hac jurisdictione carere.

5° Quoad ordinum collationem, hæc notanda veniunt :

Primo, Cardinales habentes Romæ titulos, si charactere sacerdotali sint insigniti, possunt in suo quisque titulo tonsuram et minores ordines conferre, personis dumtaxat addictis servitio ecclesiæ ejusdem tituli. Vide id firmatum a Benedicto XIV, Constitutione *ad audientiam,* 15 februarii 1753, § 16. At majores ordines dictis personis conferre nequeunt Cardinales, etiamsi sint episcopali charactere insigniti.

Secundo, de Cardinalibus suburbicariis quæri potest an idem

quoad diœceseon suarum subditos facere valeant Romæ, non quidem in suis titulis, cum nullos habeant, sed in capella palatii sui? Respondetur posse ab ipsis in sui palatii capella conferri tonsuram solummodo. Et contraria opinio omnino rejicienda est, prout tradit Benedictus XIV, in citata Constitutione *ad audientiam*.

Tertio, iisdem Cardinalibus suburbicariis liberum non est dimissorias dare diœceseon suarum subditis, ut ordinari valeant ab alio Episcopo præterquam a Cardinali Vicario; sed ab Alexandro VII, quoad ipsos statutum est in hunc modum: Si Cardinalis suburbicarius non habeat suffraganeum, id est, coadjutorem, et ipse suos subditos in diœcesi sua non ordinet, sed velit eos ordinari ab alio, debet dimissorias litteras dare ad Cardinalem Summi Pontificis Vicarium, et non ad alium. Si habeat coadjutorem, is quidem coadjutor poterit dictam ordinationem facere, sed ea lege ut ordinandi, pro quolibet suscipiendo majori ordine, diebus decem Romæ in aliqua religiosa domo prius vacaverint exercitiis spiritualibus. Vide dictam Constitutionem *ad audientiam* Benedicti XIV.

Quarto, Cardinalis suburbicarius, dum præsens est in sua diœcesi, potest subditos suos ibi ordinare, per se, vel per alium Episcopum, et de hoc nulla occurrit difficultas.

Quinto, falsa est opinio quæ tenebat, capellam quam Cardinalis suburbicarius Romæ in suo palatio habet, *fictione juris* censeri posse tanquam pars diœcesis ejusdem Cardinalis, et consequenter posse a Cardinali suburbicario in ea capella fieri ordinationes suorum subditorum, perinde ac in sua propria diœcesi. Sequitur ex præmissis; atque ad rejiciendam præcipue ejusmodi opinionem scripsit Benedictus XIV, Constitutionem suam *ad audientiam*, 15 februarii 1753.

CAPUT IX.

DE CARDINALIUM PRÆROGATIVIS (REMISSIVE).

1° Inter præcipuas Cardinalium prærogativas imprimis computandum est ipsummet Cardinalium munus, videlicet, in regenda universali Ecclesia auxiliandi Summo Pontifici, Sede plena, et supplendi, Sede vacante: item quod ad ipos exclusive pertineat Summum Pontificem eligere.

2° Ipsis competit præcedentia super Episcopos, Archiepiscopos, Primates et Patriarchas, ut supra probavimus.

3° Ad ipsos exclusive pertinet titulus Eminentiæ et Eminentissimi : necnon privilegium rubrum deferendi galerum, biretum et pileolum. (Vide apud Ferraris, verbo *Cardinales*, art. 2).

4° Æquiparantur regibus; nec desunt exempla regum qui præcedentiam Cardinalibus cesserint.Hinc Cardinales creando Pius II, dicere ipsis solebat : *Vos... regum similes estis.* Et in cœremoniali (rubrica *de receptione regis*, et *de ingressu imperatoris*) in capella et in consistorio assignatur locus Regi post primum Cardinalem Episcopum, vel antiquiorem Cardinalem presbyterum. (Vide apud Ferraris, loco citato).

5° Orto schismate, et duobus de Papatu contendentibus, ad Cardinales pertinet concilium convocare. Ita doctores communiter. (Vide apud Ferraris, verbo *Cardinales*, art. 4, n. 12).

6° Credi debet Cardinali quando asserit aliquid actum in præsentia Summi Pontificis : Item quando asserit sibi a Papa aliquid mandatum fuisse vivæ vocis oraculo : Item quando asserit se esse Legatum; tunc nempe agnoscenda in eo est ordinaria Legati potestas, quin legationis litteras exhibeat. (Ferraris, cit. art.)

7° Pluribus aliis gaudent privilegiis, a quibus enumerandis abstinemus. Videat lector citatum articulum Lucii Ferraris.

CAPUT X.

DE OFFICIO ET POTESTATE CARDINALIUM, SEDE ROMANA VACANTE, ET DE CONCLAVI.

Dicemus : 1° An ad Romanum Pontificem pertineat determinare, a quibus et qua forma ipsius successores eligendi sint; et an possit ipse sibi successorem eligere : 2° Quo jure, et a quo tempore ad Cardinales exclusive pertineat Summi Pontificis electio : 3° Quænam sit, Sede Apostolica vacante, sacri collegii potestas seu jurisdictio : 4° De servanda in celebrando conclavi forma.

§ I.

Ad Romanum Pontificem pertinet determinare a quibus et qua forma ipsius successores eligendi sint : an autem posset ipse sibi sucessorem designare et eligere, controvertitur.

Propositio I^a^. — *Christus Dominus eligendi Summi Pontificis formam ipse non determinavit, sed reliquit ab ecclesiastica auctoritate determinandam.*— Etenim. 1° nullibi in scripturis sacris aut in traditione reperitur a Christo edita lex qua decernatur, per quos et qua forma Summus Pontifex eligi debeat. Equidem primum totius Ecclesiæ principem Petrum ipse Christus Dominus elegit et constituit : at de successoribus ejus siluit. 2° Si a Christo Domino constituta ac determinata fuisset eligendi Summi Pontificis forma, non varia variis temporibus, sed semper eadem fuisset; utpote quæ a nulla mundi potestate immutari potuisset : porro certum est, ut infra exponetur, variam eam fuisse ; ita ut ejusmodi electio nec ab iisdem, nec eodem modo semper facta fuerit. Ergo revera a quibus et quo modo eligendi forent Petri successores, ipse Christus non determinavit. Cumque aliunde supponi nequeat eum in re

tam necessaria Ecclesiæ defuisse, dicendum est relictam ab ipso fuisse in Ecclesia potestatem ad id determinandum. Atque ita tenent unanimiter doctores catholici. (Vide Cardinalem Petra, tomo 4, ad Constitutionem 5, Clementis VI, n. 35).

Propositio IIª. — *Romano Pontifici collata est a Christo potestas determinandi formam, juxta quam successores ejus eligi deberent.*—Etenim 1° ex dictis Christus ipse formam illam non determinavit, sed reliquit in Ecclesia potestatem quæ eam determinare valeret. Porro dicendum est potestatem hanc residere in Summo Pontifice. Nam quod Romano Pontifici collata sit a Christo Domino in persona Beati Petri plena potestas universalem Ecclesiam regendi pascendi et gubernandi, dogma catholicum est. Jam vero plena non foret potestas hæc, imo nec sufficiens ad rectum universalis Ecclesiæ regimen, nisi posset etiam Summus Pontifex formam præscribre, in eligendis successoribus suis adhibendam. Cum enim formam hanc Christus ipse non edixerit, si neque suprema Ecclesiæ potestas, id est, Summus Pontifex, eam statuere valeret, a nullo statui posset : nunquam proinde certo valida foret successoris electio : unde et tota Ecclesiæ institutio rueret. Neque objiciatur supponi posse, datam a Christo fuisse potestatem hanc Episcopis collective, id est, Concilio œcumenico : nam certum est nullam vim inesse Conciliorum œcumenicorum decretis, nisi a Sede Apostolica fuerint approbata et confimata. Hinc eligendi Summi Pontificis formam decernere, vel ad Papam pertinet, vel nullus eam decernere potest. 2° Idem insuper certum facit Ecclesiæ praxis. Nam plures Romani Pontifices variis temporibus leges hac de re edixerunt, quæ tanquam vim habentes ab universa Ecclesia fuerunt habitæ et ad praxim deductæ. 3° In tribuenda Romano Pontifici potestate illa, consentiunt doctores catholici. « Non est autem, inquit Cardinalis Petra, cur dubitandum « sit, an... Summi Ecclesiæ Præsules suam potestatem expli- « care valeant in hac constituenda forma Pontificiæ electionis,

« etiam cum decreto irritanti : quippe cum Christus Domi-
« nus jus collativum Papalis dignitatis reliquerit in Ecclesia,
« nec certæ formæ, nec determinatis personis affixum, reli-
« quum est quod ejusdem Vicarius in terris possit eam regu-
« lare, et præscribere, et secundum temporum vicissitudines
« variare ; ita tamen quod ab Ecclesia eam non abstrahat,
« puta laicis committendo, vel in quemcumque modum qui
« in manifestum Ecclesiæ totius detrimentum et perniciem
« vergeret. Quapropter varie et pluries mutatus fuit mos
« eligendi Pontifices, Apostolica interveniente auctoritate...
« Atque tandem est receptissima sententia, etiam ab his qui
« Papam successorem eligere sibi non posse autumant. »
(Tomo 4, ad constit. 5, Clementis VI, n. 35).

Propositio III[a]. — *An possit Summus Pontifex ipse sibi successorem eligere, controvertitur.* — Ardua quam maxime est quæstio illa. Quamvis enim doctores concorditer in Romano Pontifice potestatem agnoscant decernendi, a quibus et qua forma ipsius successores eligendi sint, ubi tamen devenitur ad quæsitum, an ipse sibi successorem eligere valeat, in varias opiniones abeunt ; quas hic adnotandas dumtaxat, non autem expendendas duximus. Hanc opinandi varietatem sic exponit Cardinalis Petra (tomo 4, ad const. 5, Clementis VI, n. 5) : « In
« hanc arenam descendendo, doctores tria agmina efforman-
« tes, acriter inter se pugnant. Quippe nonnulli absolute lo-
« quendo Papam sibi substituere posse successorem docent.
« Alii absolute hanc potestatem Summo Pontifici negant. Et
« tandem aliqui, medium inter hos tenentes, affirmant quod
« nonnisi urgente necessitate vel utilitate Ecclesiæ, non vero
« per modum ordinarium, Pontificem successorem præde-
« cessor statuere possit. »

§ II.

Quo jure, et a quo tempore ad Cardinales exclusive pertineat Summum Pontificem eligere.

Quæstio I[a]. — *Quomodo peracta fuerit Summorum Pontificum electio per quatuor priora sæcula?* — « Pro comperto est, quod « a primordiis Ecclesiæ Summi Pontificis electio apud pres- « byteros et diaconos urbis Romæ erat... A temporibus vero « S. Silvestri, sub quo publice christiana religio profiteri cœ- « pit, nonnullæ etiam fuere partes universi Romani Populi in « Summi Pontificis electione, testimonium scilicet ejusdem « vitæ et conversationis præbendo... Juxta nunc dictum « modum, per quatuor sæcula summa in Ecclesia Romana « viguit libertas in eligendo a presbyteris et diaconis Summo « Pastore, suffragante universo populo. » (Cardinalis Petra, tomo 4, ad Constit. 5 Clementis VI, n. 18 et seq.)

Quæstio II[a]. — *Quis fuerit modus eligendi Summi Pontificis a quinto sæculo usque ad undecimum?* — Toto fere hoc temporis tractu, imperatorum et regum potestas in iis electionibus magnam partem sibi usurpavit. Illa autem sæcularis potestatis interventio duobus modis contingere potuit : per injuriam et invalide, si assentire renuerint ii ad quos pertinebat electio : absque injuria et valide, si ii qui jus eligendi habebant interventionem hanc acceptaverint et ratam habuerint. Multoties autem ejusmodi interventionem meram violentiam fuisse, et multoties etiam in eam consensisse Romanum clerum, monumenta testantur historica ; et expositum videri potest a Cardinali Petra (tomo 4, ad Const. 5, Clementis VI, n. 22 et sq.). De qua sæcularis potestatis in eligendis Romanis Pontificibus interventione, sedulo notanda sunt sequentia :

1° Reges et imperatores nullum tale jus ex vi sæcularis suæ potestatis acquirere potuerunt, aut unquam poterunt, ut per se patet.

2° Clerus Romanus, ad quem pertinebat electio, ad vitanda dissidia et schismata, potuit ita electionem perficere, ut non evaderet absoluta, nisi accedente talis regis aut imperatoris assensu. Qui enim potestatem habent aliquem eligendi, possunt etiam eum non eligere nisi sub tali conditione ; qua verificata conditione, electio evadat absoluta. Etiam hodie possent Cardinales in conclavi, nisi obstarent contrariæ Sedis Apostolicæ præscriptiones, aliquem eligere sub conditione, quod electionem probabit (v. g.) alicujus cappuccinorum conventus janitor. Et tunc ad istum janitorem pertineret facultas electionem suo assensu validam, et suo dissensu irritam efficiendi. Similem porro facultatem potuit olim clerus Romanus alicui regi aut imperatori tribuere. Et quod revera id quandoque fecerit Romanus clerus, urgente videlicet temporum calamitate, ex factis historicis colligendum videtur.

3° Quamvis autem, ut dictum est, ad Romanum Pontificem pertineat formam eligendorum successorum suorum præscribere, non tamen posset per modum perpetui decreti statuere, ut non valeret electio nisi a rege seu imperatore approbata seu confirmata. Id enim Ecclesiæ manifeste nocivum foret, nec habet dictam potestatem Summus Pontifex in destructionem Ecclesiæ, sed in ædificationem. Et in facto non videtur probari posse factam unquam fuisse ejusmodi concessionem, nisi tempore schismatum ab intrusis Pontificibus.

Diximus tamen *per modum perpetui decreti*. Nam absolute loquendo, ob speciales temporum angustias utile esse posset ut alicujus Pontificis successor eligeretur cum dicta alicujus principis interventione. Et tunc ille Summus Pontifex posset forsan dicto principi personale et transitorium illud privilegium pro futura illa electione tribuere. Quod tamen vix unquam in praxi periculo vacabit; quia prona est sæcularis potestas ad opprimendam Ecclesiæ libertatem ; et quod uni ex prædecessoribus a Sede Apostolica personaliter concessum est, solent successores reges sibi tanquam acquisitum jus vindicare.

4° Quælibet sæcularis potestatis in Summorum Pontificum electionibus concessa interventio, semper ab Ecclesia revocabilis fuit, ita ut nullus rex aut imperator potuerit unquam jus illud interventionis contra Ecclesiam præscribere. Etenim tale jus, quatenus irrevocabile, manifeste in Ecclesiæ destructionem vergeret; ac proinde dari nequit hac in in re præscriptio.

Quæstio IIIª. — *Quis fuerit modus eligendi Summi Pontificis a Nicolao II anno* 1059 *constitutus?* — « Jamdiu vero diversi-« mode perturbata Summi Præsulis electione, non solum re-« latis principum violentiis, quin etiam variis seditionibus et « tumultuosis impressionibus ipsiusmet Romani cleri, et populi « ambitione, Nicolaus tandem II, summæ prudentiæ et nun-« quam satis laudandus Romanus Pontifex, primus omnium « fuit, qui futuris casibus prudenter occurrendo, certam « formam et methodum in providenda Romana Sede præs-« cripsit. Quippe anno 1059, eodem Nicolao auctore, in Con-« cilio Lateranensi statutum fuit, quod solum *Cardinales Epi-« scopi* præduces sint in promovenda Summi Pontificis elec-« tione, et penes ipsos summa sit auctoritas conclusionis; « reliquis autem Cardinalibus, clero, populoque Romano « remaneret dumtaxat electioni ab ipsis factæ consentire. » (Cardinalis Petra, tomo 4. ad Const. 5 Clementis VI, n. 33). Dicti celeberrimi decreti, quo exclusa tandem fuit quælibet principum temporalium interventio, hæc sunt verba : *Electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit ; ita ut si quis Apostolicæ Sedi sine præmissa concordi et canonica electione eorum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum, clericorum et laicorum consensu intronizetur, is non Papa vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur* (can. *in nomine*, distinct. 23). « Compertum tamen est populi acclamationes, petitionem, « desiderium atque applausum hoc canone non fuisse in Pon-« tificibus eligendis exclusum. » (Cardinalis Petra, loco citato.)

Quæstio IVª. — *Quis fuerit modus eligendi Summi Pontificis*

ab Alexandro III statutus anno 1178. — Sic decrevit laudatus Pontifex in Concilio Lateranensi anno 1178 : « Statuimus ut, « si forte... inter Cardinales de substituendo Summo Ponti- « fice non poterit esse plena concordia, et duabus partibus « concordantibus pars tertia concordare noluerit.., ille absque « ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex « habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus « fuerit et receptus. » (Cap. *licet*, 6 *de electione.*) Ex tunc ergo, id est, ab anno 1178, Romani Pontificis electio ad Cardinales *omnino exclusive* pertinuit ; quod ad hodiernum usque diem servatum est, nec probabiliter unquam usque ad finem mundi mutabitur. « Magno Ecclesiæ bono, nostro ævo vigentem perspicimus, et in perpetuum duraturam conjicimus consultissimam hanc Alexandri Constitutionem... Ab ipso primum felicissimo successu populares consensus et imperiales violentiæ per tot sæcula grassantes, a Pontificiis electionibus fuerunt seclusæ, et ad sacrum Cardinalium collegium solummodo redacta fuit integra Summorum Pontificum electio. » (Card. Petra, loco cit., n. 38).

Quæstio V^a^. — *Quomodo forma eligendi Romani Pontificis ulterius a variis Summis Pontificibus determinata fuerit.* — Ad perfectam ejusmodi formam, occurrendum remanebat damnis, quæ quandoque ex longius protractis electionibus emergebant. Quapropter a Gregorio X, in Concilio Lugdunensi anni 1274, institutus fuit conclavis usus ; atque inter alia provide præscriptum, ut si Cardinales intra triduum in eligendo non concordarent, uno dumtaxat ferculo reficerentur : quod si nec intra quinque sequentes dies perficeretur electio, panis tantum cum vino et aqua eis porrigeretur, donec eam absolvissent. Quæ tamen circa cibos rigorosa dispositio, postmodum a Clemente VI tantisper temperata est.

His varias addiderunt dispositiones secuti Pontifices, nimirum Clemens V, Clemens VI, Julius II, Paulus IV, Pius IV, Gregorius XV, Urbanus VIII et Clemens XII. Et sic tandem ad eam perfectionem res devenit, ut ab Ecclesia jamdudum

exulent dissensionum tumultus, qui tot rei catholicæ damna olim intulerant.

Quæstio VI[a]. — *Cui juri tribuenda sit Cardinalium prærogativa Summum Pontificem exclusive eligendi ?* — 1° Non est juris divini : nam ex dictis Christus ipse non determinavit a quibus personis et qua forma electio illa facienda foret, sed illud reliquit ab Ecclesia determinandum. 2° Quod Cardinales præcipuas saltem partes hac in re habeant, videtur tribuendum institutioni Apostolicæ : nam ab ipsis Apostolicis temporibus clerus Romanus, id est, Romanæ Sedis presbyteri et diaconi, electionem illam faciebant : Sedis autem Apostolicæ presbyteri et diaconi iidem sunt qui postea Cardinales vocati sunt. Et quamvis disputent eruditi quasnam præcise partes habuerit etiam in dicta electione populus, at in eo consentiunt, quod secundario dumtaxat intervenerit, et ad clerum potissime electio pertinuerit. 3° Quod postea exclusus omnino fuerit populi, aliorumque omnium, sive clericorum sive laicorum interventus, et potestas eligendi in solis Cardinalibus tota reposita fuerit, institutioni ecclesiasticæ, Romanorum scilicet Pontificum Constitutionibus est adscribendum.

§ III.

Quænam sit, Sede Apostolica vacante, sacri collegii potestas seu jurisdictio.

Propositio I[a]. — *Cardinalibus prohibitum est ullam Pontificiam jurisdictionem aut potestatem sede vacante exercere, præterquam in casu imminentis periculi, cui illico esset occurrendum.* — A Gregorio X, in Concilio œcumenico Lugdunensi anni 1273, sancitum fuit hoc modo : « Iidem quoque Cardinales « accelerandæ provisioni sic vacent attentius, quod se nequa- « quam de alio negotio intromittant : nisi forsan necessitas « adeo urgens incideret, quod eos oporteret de terra ipsius « Ecclesiæ defendenda vel ejus parte aliqua providere ; vel « nisi aliquod tam grande et tam evidens periculum immi-

« neret, quod omnibus et singulis Cardinalibus præsentibus « concorditer videretur illi celeriter occurrendum. » (Cap. *ubi periculum*, 3 *de electione*, in 6). Circa illud decretum Lugdunensis Concilii orta est decimo quarto sæculo quorumdam erronea opinio, qua sustinebant, posse a cœtu Cardinalium, Sede Apostolica vacante, decretum hoc immutari, aut etiam ei derogari. Quam opinionem condemnavit Clemens V, ita subjungens : *Irritum et inane decernentes quidquid potestatis aut jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in Constitutione prædicta* (1) *permittitur) cœtus ipse duxerit, eadem vacante Ecclesia, exercendum* (Clementina *ne romani*, 2 *de electione*). Ergo revera, excepto casu imminentis periculi, et excepta etiam (ut mox excipienda probabitur) sacrarum congregationum solita jurisdictione, quæ per mortem Summi Pontificis non expirat, nihil Pontificiæ potestatis licite aut etiam valide exercere possunt Cardinales, vacationis tempore.

Propositio II^a^. — *Ergo non potest sacrum collegium, Sede Apostolica vacante, creare novos Cardinales ; nec Cardinalibus per Papam depositis et officio suo privatis jura cardinalatus, vocemve activam restituere ; nec Cardinalibus recens creatis insignia tradere ; nec Episcopos creare, aut electos confirmare ; nec beneficia conferre ; nec decreta gratiæ aut justitiæ a defuncto Pontifice pronuntiata ad executionem deducere.* — Sequitur aperte ex propositione præcedenti ; ex eo nempe quod nequeant Cardinales, Sede Apostolica vacante, quidquam Pontificiæ jurisdictionis aut potestatis licite aut valide exercere. Atque ita tenent doctores communiter, prout videre est apud Ferraris (verbo *Cardinales*, art. 5, n. 23 et seq.)

Propositio III^a^. — *Ergo lex canonica, quod defuncti Episcopi ordinaria jurisdictio ad capitulum transeat, Sacro Collegio, ab anno saltem* 1273, *non fuit applicabilis.* — Etenim Concilium Lugdunense dicti anni 1273 nullam voluit defuncti Pontificis ad Sacrum Collegium transire jurisdictionem, præterquam in

(1) Id est, in decreto citato Concilii Lugdunensis.

casu imminentis periculi. Ergo, ex tunc saltem, *ordinariam* Pontificiam jurisdictionem non habuit Sacrum Collegium, vacante Sede Apostolica. « Unde in hoc (ait Ferraris, v. *Cardi-* « *nales,* art. 5, n. 31), collegium Cardinalium est deterioris « conditionis quam sint inferiora collegia; in quæ transit ju- « risdictio, sede episcopali vacante; et non in collegium Car- « dinalium, vacante Sede Apostolica. »

Dicimus, *saltem ex tunc:* nam si ad remotiora tempora respiciamus, puto sacrum collegium Cardinalium, id est, Romanæ Sedis presbyterium (prout tunc vocabatur), defuncti sui Præsulis jurisdictioni successisse, non secus ac cætera capitula in suis respective ecclesiis; cum hoc tamen discrimine, quod jurisdictio ordinaria cui succedebant Romanæ Sedis presbyteri et diaconi, ad universalis etiam Ecclesiæ regimen extenderetur. De quo adeat lector eruditos, qui de antiqua Ecclesiæ disciplina disceptarunt.

Propositio IV^a^.— *Jurisdictio Sacrarum Congregationum Cardinalium durat Sede Apostolica vacante; quamvis tunc quoad graviora negotia exerceri non soleat.* — « Congregationum Car- « dinalium facultates sunt perpetuæ, et non expirant per « obitum Papæ, sed etiam durant in tempus Pontficum suc- « cessorum. Habent enim jurisdictionem ordinariam; cum « jurisdictio quæ defertur a lege vel statuto sit ordinaria... « Satis clare cautum reperitur in declarationibus facultatum « earumdem Congregationum, editis a Sixto V, Constitutione « incipiente *immensa*... Ultra quam quod, creato novo Ponti- « fice, facultates Congregationum nunquam consueverunt re- « novari, sed fiunt Congregationes prout solebant vivente Papa « prædecessore; quod aperte demonstrat, eas facultates non « expirasse; alioquin opus esset nova concessione; quia « jurisdictio semel extincta, etiam causa extinctionis cessante, « non reviviscit.

« Licet autem Congregationum Cardinalium facultates per « obitum Papæ non expirent, tamen Sede vacante, Cardina- « libus in conclavi manentibus, debent conquiescere et dor-

« mitare quoad negotia illa et causas, quæ in Congregatione « expediuntur per subscriptionem Cardinalis præfecti, seu « habentis sigillum... Negotia quæ in communi forma a solo « secretario expediri solent, possunt etiam expediri sede « vacante. » (Ferraris, v. *Cardinales,* art. 5, n. 43).

Quod, Sede vacante et durante conclavi, suspendi in Congregationibus debeat expeditio negotiorum quæ Cardinalis præfecti subscriptionem requirunt, intelligendum est cum hac limitatione, *nisi justa causa aliter postulet*, prout adnotat Carnalis de Luca (*relatio Romanæ curiæ,* discursu 3) ; atque idem testatur S. Congregationum praxis : in ipsarum quippe regestis reperiuntur plura rescripta, durante conclavi expedita, et a Cardinali præfecto subscripta. In regestis, verbi gratia, Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, sic legitur: *Sede vacante per obitum Summi Pontificis Pii VII sanctæ memoriæ, diei* 20 *augusti* 1823, *hora decima cum dimidia. Rescripta ex facultatibus ordinariis Sacræ Congregationis et Eminentissimi Præfecti, signata seu subscripta in conclave ab eodem Eminentissimo Præfecto.*

Propositio V^a^. — *Quamvis Cardinalium jurisdictio, Sede Apostolica vacante, intra fines supra expositos restricta fuerit, adhuc verum remanet, eos in regimine universalis Ecclesiæ defunctum Pontificem supplere.* — In casu enim imminentis periculi Pontificiam exercere possunt jurisdictionem quoad universalem Ecclesiam; et singulis eorum Sacris Congregationibus sua etiam remanet respective jurisdictio. Id autem potestatis sufficiens est ad universalis Ecclesiæ regimen vacationis tempore ; ac proinde vera remanet supra tradita definitio cardinalatus, cujus instituti proprium et essentiale esse diximus, auxiliari Summo Pontifici, Sede plena, ac supplere, Sede vacante, in universalis Ecclesiæ regimine.

Propositio VI^a^. — *Duobus de Papatu contendentibus, ad Cardinales pertinet generale Concilium convocare : item ad eos pertinet intrusum in Papatu anathematizare ac detrudere.* — Hac de re sic adnotat Ferraris (verbo *Cardinales,* art. 5, n. 40) :

« Duobus de Papatu contendentibus et generale Concilium « convocare renuentibus, potest fieri convocatio a collegio « Cardinalium (Card. Zabarella..., Fagnanus...). Quoniam « cum sint in possessione eligendi Romanum Pontificem..., « per consequens ad eos spectant omnia quæ sunt conse- « quentia ad electionem...

« Cardinalium collegium potest et debet intrusum in Pa- « patu anathematizare et extrudere, textu expresso in canone « *si quis* (9, dist. 79). Et hujus canonis dispositio non est su- « blata, quin potius est præservata in dicto capite *ubi peri-* « *culum* (*de Elect.*, in 6). Nam extrudere invasorem pontifi- « catus spectat manifeste ad electionis negotium, cui juben- « tur Cardinales sic attente vacare, ut de nullo alio negotio « sese intromittant, nisi data urgente et imminente necessi- « tate et grandi periculo, quale esset in casu talis intrusionis, « cui celeriter esset occurrendum. »

§ IV.

De forma celebrandi conclavis (remissive).

Totus elegendi Summi Pontificis ritus adamussim descriptus habetur in Cœremoniali Romano, Gregorii XV jussu edito. Cui libro præfixæ sunt, tum antiquæ, tum etiam recentiorum Pontificum hac de re Constitutiones. Sede Apostolica vacante, librum hunc pro manuali et regula in agendis habent Cardinales. Atque ad eumdem lectores remittimus qui plenam sibi comparare volunt notitiam, circa conclavis celebrationem; eos præmonendo, in editionibus anno 1740 anterioribus deesse Clementis XII Constitutionem *Apostolatus officium,* in qua plures continentur ordinationes circa conclave, et res Sede vacante peragendas. Hic vero summariam dumtaxat de conclavis celebratione notionem subjicimus.

1° Defuncto Papa, e palatio migrant officiales, excepto Camerario, cujus officium non expirat morte Pontificis.

2° Secretarii ad Cardinalem Camerarium deferunt sigilla, et annulum piscatoris, quæ franguntur.

3° Cardinales absentes non convocantur, sed monentur tantum de morte Pontificis a secretario sacri collegii.

4° Expectandi sunt per decem dies, non ultra. Si tamen præsentes Cardinales ante decimum diem electionem facerent, aut si e contra expectarent absentes ultra decendium, valida electio foret.

5° Per decem dictos dies celebrantur defuncti Pontificis exequiæ.

6° Si Papa extra Urbem ac vicina loca diem supremum ageret, conclave in loco obitus haberi deberet. At solent Romani Pontifices iter suscipientes casum prævidere, et statuere ut, si contingat eos mori procul Roma, nihilominus Romæ successoris electio fiat.

7° Absolutis exequiis ac completis decem diebus, Cardinales conveniunt in basilica Sancti Petri, et celebratur missa de Spiritu Sancto. Qua finita, cantando *Veni Creator* pergunt ad conclave, in Vaticano palatio aptari solitum. Cumque ad capellam conclavis perventum est, Sacri Collegii decanus recitat orationem *Deus qui corda.*

8° Leguntur Pontificiæ Constitutiones de eligendo Summo Pontifice, et Cardinales earum observantiam jurejurando spondent. Semel autem ingressi conclave, exire nequeunt, nisi peracta novi Pontificis electione. Si quis eorum exeat infirmitatis causa, jam nequit regredi etiamsi convaluerit, nec vocem habere.

9° Clauditur conclave intus et foris, et claves Camerario, cœremoniarum magistro et custodibus conclavis traduntur. Intus autem remanere nequeunt præter Cardinales nisi eorum familiares aliique nonnulli officiales et ministri in Constitutionibus Pontificiis permissi. Per rotas quasdam cibi introducuntur, adhibitis cautionibus et rotarum custotibus, ne cum cibis aliqua carta aut notitia ad aliquem conclavistam deferatur.

10° Cardinales qui veniunt incepto jam conclavi introducuntur.

11° Nemini licet litteras vel nuntium transmittere aut recipere.

12° Vocem habent omnes et soli Cardinales in conclavi præsentes : omnes, inquam, etiam excommunicati, et etiamsi insignia cardinalitia nondum receperint. Quod ita statutum est ad vitandas dissensiones.

13° Si e vivis decederent Cardinales omnes præter unum, ad hunc pertineret electionem facere : non tamen posset seipsum eligere (vide apud Ferraris, verbo *Papa*, art. 1, n. 41 et 42).

14° Si Cardinales omnes ante electionem morerentur, ad quosnam pertineret Summum Pontificem eligere, disputatur inter doctores. *Prima* sententia, quæ pro communiori et tutiori habetur, tenet potestatem eligendi adhuc fore in clero Romano, id est, in canonicis Lateranensibus. *Secunda* sententia potestatem hanc in dicto casu tribuit Concilio generali. *Tertia* paucorum est, qui a Patriarchis tunc eligendum Papam dixere.

15° Pluribus de Papatu contendentibus, et congregato generali Concilio, si contendentes deponantur, electio ad solos Cardinales (probabilius saltem) pertineret. Casus evenit in Concilio Constantiensi ; et disputata fuit quæstio. Ubi, ad tutius, et majoris concordiæ causa, statutum fuit, ut Cardinales tam propria quam Concilii auctoritate electionem facerent, adjunctis sibi triginta electoribus, inter membra Concilii et ex variis nationibus assumptis.

16° Eligi valide potest in Summum Pontificem quilibet vir christianus, etiam laicus et uxoratus, dummodo sit sui compos, et non hæreticus neque notorie criminosus.

17° Electio fieri potest quatuor his modis : per inspirationem, per compromissum, per scrutinium et per accessum.

18° Ut valeat electio *per inspirationem*, necesse est ut fiat conclavi jam clauso, nemine dissentiente, quin præcesserit

ulla tractatio seu deliberatio de persona quæ eligitur, et per verbum *eligo* clare emissum, sive viva voce, sive in scriptis ab eis qui clara voce loqui non valent. Si quis nempe Cardinalis dicat : *Ego eligo talem,* et omnes cæteri statim cum prædictis circumstantiis idem proferant, erit electio *per inspirationem,* et valida.

19° Fit electio *per compromissum,* quando Cardinales committunt aliquibus, ut Papam eligant. Tunc nempe qui eligitur a compromissariis, hoc ipso est valide electus in Pontificem. Formam in eo casu servandam, vide in Cæremoniali Romano Gregorii XV jussu edito. Rarissime fit electio per compromissum, et rarius adhuc per inspirationem. Unde modus ordinarius est per solum scrutinium, necnon per scrutinium cum accessu.

20° Modus electionis *per solum scrutinium,* mira prudentia fuit a Gregorio XV, id est, in Cæremoniali ipsius jussu edito, præscriptus ac determinatus. Quamplurima sunt in ejusmodi electionis modo observanda, pro quibus lectorem ad dictum Cæremoniale remittimus, præcipua dumtaxat adnotando. Per sortem eliguntur et deputantur scrutatores. Traduntur Cardinalibus schedulæ certo modo dispositæ. Cardinalis quisque in schedula scribit suum nomen, et nomen illius quem eligit in Summum Pontificem, hac formula : *Ego.. Cardinalis..., eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum...* Schedulæ omnes plicatæ et sigillatæ immittuntur in vas, magni calicis formam habens. Scrutatores certo præscripto modo inspiciunt et publice legunt nomen electi quod in unaquaque schecula reperiunt. Computatur et enuntiatur numerus suffragiorum ab unoquoque obtentorum. Si nullus duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, nulla remanet electio. Si unus solus duas tertias partes, sed non ultra, obtinuerit, aperitur ejus schedula, etiam in ea parte in qua nomen eligentis scribitur; et si reperiatur eum ipsi sibi suffragium dedisse, nulla remanet electio; quia hoc suffragium est nullum, ac proinde ipsi deest unum suffragium, ut habeat duas tertias partes :

secus electio ejus erit canonica. Si plures reperiantur duas tertias partes vel ultra obtinuisse, tunc in suffragiorum paritate, nullus erit electus : in imparitate vero, ille est legitimus Papa qui superat alium, etiam uno suffragio.

21° Quando per scrutinium obtenta non fuit canonica electio, Cardinalibus liberum est recurrere, si velint, ad modum electionis *per scrutinium-cum-accessu*. Tunc in alia schedula quisque Cardinalis scribit nomen illius cui accedit, hac formula : *Ego... Cardinalis.., accedo Revcrendissimo Domino meo...* Per scrutatores inter schedulas *accessuum* quæritur illa, quæ quoad sigillum et signa apposita concordet cum unaquaque e schedulis scrutinii.Si schedula accessus correspondentem non habeat inter schedulas scrutinii, quoad dicta signa et sigillum conformem, omittitur seu pro nulla habetur.Quando reperitur dicta conformitas, enuntiatur nomen electi quod in utraque habetur : si ille qui eligitur in schedula scrutinii et cui acceditur in schedula accessus, idem est, pro nulla etiam habetur schedula accessus : si diversus est, tunc suffragium schedulæ accessus validum est. Computantur postea suffragia quæ quisque obtinuit, sive per schedulas scrutinii, sive per schedulas validas accessuum : et si quis habeat duas tertias partes vel ultra, et nullus alius superiorem nec æqualem numerum attigerit, is est canonice electus. Finita recognitione, sive electio secuta sit sive non, schedulæ comburuntur.

22° Statuerat Gregorius X, ut si primis tribus diebus non fieret electio, Cardinales uno dumtaxat ferculo reficerentur : elapsis autem aliis quinque diebus, eis porrigeretur solummodo panis vinum et aqua, donec facta fuisset electio. At rigorem hunc temperarunt Clemens VI et Pius IV ; ita ut elapsis dictis duobus terminis, adhuc ferculum unum indulgeatur.

23° Peracta electione, consensum ab electo petit sacrum Collegium. Quo præstito consensu, et assumpto nomine, novus Pontifex Papali habitu induitur, et sedens in cathedra recipit salutationem, quæ fit a Cardinalibus osculo pedum, manuum

et oris. Tunc prior e Cardinalibus diaconis e consueto loco electionem novi Pontificis populo denuntiat, dicendo: annuntio vobis gaudium magnum : *Habemus Papam Eminentissimum et Reverendissimum Dominum..., qui sibi nomen imposuit...*

CAPUT XI.

DE DECANO SACRI COLLEGII.

1° Sacri Collegii decanatum ipso jure consequitur antiquior inter sex Cardinales Episcopos suburbicarios, dummodo, quando vacat decanatus, præsens sit in Curia, vel dummodo absens non sit nisi ex causa publica et ex Summi Pontificis destinatione. Ita statuerat Paulus IV. Postmodum Benedictus XIII, disposuit, ut obtinendo decanatui non obstaret absentia *ob residentiam in priori diœcesi* ab antiquiori Cardinali retenta. Sed Clemens XII hoc sustulit, et jus reduxit ad terminos Constitutionis Pauli IV. Vide Pontificias illas Constitutiones apud Ferraris (verbo *Cardinales*, art. 2, n. 19 et seq.).

2° Decani prærogativas sic describit Cohellius *(Notitia Cardinalatus,* c. 62) : « Prærogativæ, quibus sacri Collegii Decanus decoratur, sunt : ut Episcopus Ostiensis efficiatur, qua « dignitate (Papa tantum excepto) nulla major est in Ecclesia « Dei, ut Alexander Pontifex hujus nominis IV dicere solebat... Secunda prærogativa est, quod si ad Apostolicam « Sedem evectus fuerit Cardinalis qui non sit Episcopus, « ejus consecratio celebratur ab ipso sacri Collegii Decano... « Tertia est prærogativa, quod si celebranda sit coronatio « Imperatoris.., antequam coronetur sedet electus Cæsar post « Cardinalem Decanum ; et si quis rex adsit, hic sedet post « primum presbyterum Cardinalem. Cum vero Cæsar coronatus erit, tunc sedebit in sede sibi parata inter Papam et « primum Episcopum Cardinalem ; post quem, locum habebit « Rex. »

Cardinalis Decanus est semper præfectus Sacræ Congregationis *Cæremoniarum*. Item est semper secretarius Sacræ Congregationis *Sancti officii*, cui pro præfecto est ipse Papa.

CAPUT XII.

DE OFFICIALIBUS SACRO CARDINALIUM COLLEGIO ADDICTIS, QUI VOCANTUR CLERICUS ITALUS, CLERICUS NATIONALIS, ET COMPUTISTA.

I. *De clerico italo seu secretario.* — A sacro collegio per fabarum suffragia eligitur secretarius; qui vocari solet clericus italus, eo quod nonnisi ex italica natione assumi soleat. Ejus officium est ut librorum et scripturarum ad Sacrum Collegium pertinentium curam habeat. Disposuit Urbanus VIII (Constitutione *admonet nos*) ut idem clericus italus esset insuper secretarius Sacræ Congregationis consistorialis. « Est hic Ponti-« ficis familiaris, ideoque vestes violaceas ad instar cubicula-« riorum honoris gestare potest... Intrat Consistoria secreta « in habitu rubro et oblongo ex lana confecto. Sed cum dici-« tur *extra omnes,* exit et ipse e Consistorio. » (Plettenberg, *Notitia congregationum,* pag. 47, edit. Hildesii 1693).

II. *De clerico nationali.* — Præfatus clericus italus seu sacri Collegii secretarius substitutum habet, *clerici nationalis* appellatione designari solitum. Juxta dispositionem citatæ Constitutionis *admonet nos* Urbani VIII, debet ille substitutus a Cardinalibus eligi, ad annum, et per vices, ex quatuor *nationibus*, videlicet Germanica, Hispanica, Gallica et Anglica; ex quo indictum ei *nationalis* clerici nomen. Ejus officium est supplere supradictum secretarium seu clericum italum, quando is aliquo impedimento detinetur. Postquam suum annum explevit clericus nationalis unius e dictis nationibus, succedit alter ex altera, per ordinem; prout dicta Constitutione Urbani VIII disponitur. Quæ tamen dispositio an hodiedum vigeat aut immutata sit, compertum non habeo.

III. *Computistæ* sacri Collegii munus circa redditus ejusdem sacri Collegii versatur; de quibus Cardinali Camerario rationem reddit. (Vide apud Plettenberg, loco citato).

PARS II

NOTIO DE ROMANIS CONGREGATIONIBUS ET TRIBUNALIBUS.

« Cum universus pene orbis terrarum supplex quotidie « a Romano Pontifice tanquam supremo in terris legislatore « ac judice rescripta postulet, isque solus per se omnibus « satisfacere et responsa cuique dare non possit, varii instituti « sunt senatus, congregationes et tribunalia quæ illum sub « hoc immenso negotiorum onere pressum sublevent, eique « opportuno consilio et opera quotidiana assistant. Horum « vero judiciorum et tribunalium, auctoritate Pontificia in « Urbe institutorum, ob rerum causarumque multitudinem « tantus est numerus, ut exteri vix computare nedum pers- « picere possint. » (Plettenberg, *Notitia congregationum*, in præfatione).

Notionem de Romanis Congregationibus et tribunalibus ita sub hac *secunda* tractatus parte trademus, ut gravissimam quæstionem de auctoritate seu vi obligandi decretorum ab iisdem Sacris Congregationibus emanatorum ad *tertiam* partem rejiciamus. Dicta enim quæstio, pro sui extensione ac gravitate, digna visa est, quæ totam tertiam tractatus partem sola occuparet.

Agemus autem dumtaxat, prout initio monuimus, de Sacris Congregationibus ac Romanis tribunalibus quæ ad universalis Ecclesiæ regimen referuntur; non autem de nonnullis aliis solam status Pontificii gubernationem respicientibus.

CAPUT I.

DE CONSISTORIO ET SACRA CONGREGATIONE CONSISTORIALI.

Dicemus : 1° Quid si Consistorium, et quænam ejus origo et antiquitas : 2° Quotuplex sit Consistorium, et quodnam uniuscujusque speciei proprium objectum : 3° Quænam negotia in Consistorio expediri soleant : 4° Quid sit Sacra Congregatio consistorialis.

§ I.

Quid sit Consistorium, et quænam ejus origo et antiquitas.

1° « Consistorium generali acceptione quævis congregatio, « in qua homines pro publicis negotiis simul consistunt, nun- « cupari potest, » (Plettenberg, *Notitia congregationum*, c. 3). Ast ubi agitur de Sacro Summi Pontificis Consistorio, sumitur vox illa in particulari quodam sensu, qui jamdudum per universalem in tota Ecclesia usum determinatus est : nimirum,

2° « Istud vocabulum singulariter illam significat adunan- « tiam seu congregationem, quæ per Papam cum collegio « Cardinalium, in forma senatus, in ejus Apostolico palatio « fit: adeo ut, quamvis aliæ in eadem Romana Curia sequan- « tur adunantiæ per eumdem Papam cum eodem collegio, « vel cum aliqua ejus parte, ut in capellis Pontificiis, vel in « aliquibus congregationibus contingit (in illis præsertim san- « cti officii, et signaturæ gratiæ, ac examinis Episcoporum, « et quandoque rituum pro canonizatione sanctorum, ac in « aliis), non tamen istud, sed alia adhibentur nomina.» (Card. de Luca, *Theatrum veritatis*, libro 15, parte 2, discursu 5, n. 1).

3° Non extabant olim plures Sacræ Congregationes, sed

unica, nempe Consistorium. Antiquitus quippe solebat Summus Pontifex in Consistorio dirimere causas omnes de quibus nunc cognoscunt et pronuntiant variæ Cardinalium Congregationes aliaque Romana dycasteria. Hinc fere quotidie ejusmodi Consistorium habebatur; et in eo, præter aliorum negotiorum expeditionem, ventilabantur etiam causæ in forma contentiosa. Postea vero ob negotiorum molem, cœpere multa committi quibusdam tribunalibus et officialibus, et institui variæ Cardinalium Congregationes; ita ut tandem nonnisi certæ quædam negotiorum species in Consistorio expediendæ reservatæ sint.

4° Consistorii autem origo et antiquitas ab ipsis Romanæ Ecclesiæ exordiis repetenda est. Quod enim primitus non tantum Romæ, sed in aliis etiam ecclesiis haberet quisque Episcopus suum presbyterium, seu senatum, presbyteris et diaconis cathedrali ecclesiæ addictis constantem, ac cum eo senatu causas atque ardua quæque negotia expediret, pro comperto habent eruditi. Quibus etiam explorata res est, eosdem qui nunc Cardinales vocantur, eos fuisse presbyteros et diaconos, quibus Summi Pontificis presbyterium seu senatus conflabatur. Hinc in cœremoniali Romano, quod commentariis illustravit Catalanus (l. 1, tit. 1, § 9) sic asseritur : *Senatus autem Romanæ Ecclesiæ, a Petro divina inspiratione institutus est, cum quo omnia ardua Ecclesiæ negotia explicaret.* Quæ verba perpendens Catalanus sic adnotat :

« Senatus ecclesiæ dictus est clerus, ac præsertim cœtus « presbyterorum. Ejusque non uno in loco meminit S. Hiero- « nymus... *Ecclesia*, inquit, *habet senatum, cœtum presbyterorum.* « Sanctus Ignatius in epistola ad Trallianos, senatum ipsum « vocat *sacrum cœtum, concilium, et assessores Episcopi...* « Morem autem fuisse Ecclesiæ Antiquissimum, ut sine con- « sessu et consilio cleri nihil Episcopus perageret, testem « habemus S. Cyprianum...

« Ad Romanam Ecclesiam quod attinet, non addubito, quin « ea ibidem a Sancto Petro statuta fuerit disciplina, ut cum

« ipsius Ecclesiæ senatu seu clero Pontifex *omnia ardua Eccle-*
« *siæ negotia explicaret*... Juxta veterem vel Romanæ Ecclesiæ
« disciplinam Siricius Papa, qui ad Apostolicam Sedem eve-
« ctus fuit anno 384, confixit Jovinianum novellamque ejus
« hæresim in Synodo presbyterorum et diaconorum, cui
« *presbyterium* nomen erat, uti ex ejusdem Pontificis epi-
« stola 2 liquet : *facto ergo presbyterio, constitit christianæ*
« *legi esse contraria* (quæ docebat Jovinianus). *Omnium nos-*
« *trum, tam presbyterorum quam diaconorum, quam etiam totius*
« *cleri, una suscitata fuit sententia*... Tandem ut alios omittam
« Romanos Pontifices, Felix III, ordinatus Papa anno 483,
« depositionis sententiam in pseudo Episcopum Antioche-
« num Petrum Cnapheum contorquens, eamdem suo et eo-
« rum nomine promulgavit qui una secum Apostolicum thro-
« num regerent, hoc est, presbyterorum et diaconorum Ec-
« clesiæ Romanæ, ut ex illius epistola 4 addiscimus : *Firma*
« *sit hæc tua depositio, a me et ab his qui una mecum Apostoli-*
« *cum thronum regunt.* »

« Quod de Siricio et Felice attigimus perspicue demonstrat,
« quod fuse explicat Thomassinus, presbyteros diaconosque
« romanos romanis conciliis interesse solitos, cum Episcopis
« qui forte tum Romæ reperiebantur, et una cum Pontifice
« cognovisse de causis omnibus, quæ ad primariam princi-
« pemque Ecclesiam toto ex orbe referebantur. Hæc erat et
« aliarum omnium forma ecclesiarum, seu metropolitanarum
« seu cathedralium. Causæ omnes ibi, seu temporales seu
« spirituales, cleri superioris conspiratione et judicio termi-
« nabantur, hoc est, presbyterorum et diaconorum cum Epi-
« scopo. Atque ex his splendet *capitulorum* antiquitas dignita-
« sque summa, collegii scilicet presbyterorum et diaconorum
« Episcopo adunatorum in tractandis negotiis ecclesiæ cathe-
« dralis, imo et throni Romæ Apostolici. Eorum enim cum
« Episcopo unus erat senatus, unum consilium, unum totius
« Ecclesiæ regimen; cujus ab imperio clerus populusque re-
« liquus pendebat... Ut intelligas clerum superiorem Metro-

« politani, Primatis, Patriarchæ, adeoque Summi Pontificis,
« illum esse senatum, ad quem referantur causæ omnes quæ
« ad ipsum Præsulem perferuntur, quocumque se exporrigat
« ejus potestas. »

Ergo revera Consistorii praxis cum ipsa Romana Ecclesia exordium sumpsit; mutato dumtaxat decursu temporum nomine: cœtus enim ille presbyterorum et diaconorum, qui olim sub *presbyterii* seu *senatus* nomine una cum Summo Pontifice de totius Ecclesiæ causis et negotiis cognoscebat et pronuntiabat, hodie *sacri collegii* appellatione designatur.

§ II.

Quotuplex sit Consistorium, et quodnam uniuscujusque speciei proprium objectum.

« Tribus modis celebrari solet Consistorium; unde et di-
« stinctio Consistorii ordinarii seu secreti, solemnis seu pu-
« blici, et Consistorii semi-publici. Quod ultimum ita nun-
« cupatur, quod formam tum publico, tum secreto Consistorio
« propriam ex parte referat...

« In Consistorio *publico* non tractari solent negotia, sed
« potius cœremonialia quædam peragi: veluti regum et prin-
« cipum atque ab eisdem missorum oratorum receptio: ga-
« leri traditio Cardinalibus noviter creatis, et alia hujusmodi.
« In eo tamen, iis intervallis quibus Papa ipsa cœremoniali
« functione non detinetur, ne tempus inutiliter elabatur, in-
« terveniunt aliqui advocati consistoriales, qui lingua latina
« virtutes et merita alicujus servi Dei enarrant, canonizatio-
« nem postulantes, beatificationemve, aut cultus publici con-
« cessionem.

« *Semi-publicum* Consistorium celebratur pro causis cano-
« nizationum; atque in eo ejusmodi canonizationes præpa-
« rantur. Ei autem interesse et votum dare permittuntur
« Episcopi et Archiepiscopi, quotquot in curia (1) reperiun-

(1) Id est Romæ, vel ubi Papa degit; quia ubi Papa, ibi Curia.

« tur; ita ut imaginem quamdam referat et figuram generalis « Concilii, ac veluti universalis Ecclesiæ repræsentationem.

« Frequentior cæteris est ordinarii seu *secreti* Consistorii « forma. In ejusmodi autem Consistorio solebat antiquitus « Pontifex per seipsum dirimere causas omnes, de quibus « nunc cognoscunt et pronuntiant variæ Cardinalium congre- « gationes, aliaque tribunalia. Hinc fere quotidie primitus « habebatur illud Consistorium: postea vero bis in hebdo- « mada. Et in eo ventilabantur causæ cum advocatis et pro- « curatoribus, in forma contentiosa; ac præterea in eodem « expediebantur negotia, quæ nunc a dataria aliisque officia- « libus pendent.

« Crescente autem negotiorum numero, cœpere quibusdam « tribunalibus et officialibus multa committi, retentis certis « causarum speciebus in Consistorio dirimendis.

« Juxta hodiernam consuetudinem, solet bis in mense eju- « smodi Consistorium celebrari... Præmonentur Cardinales « pridie per cursores Pontificios... Postquam ad atrium desti- « natum pervenerunt Eminentissimi Patres, sedent in scam- « nis ligneis..., Summum Pontificem expectantes...; qui « veniens, ad caput atrii sub baldachino sibi paratam sedem « occupat; patentibus interea januis et videntibus iis qui « Cardinales comitati sunt; et sic audientiam auricularem « cuilibet postulanti Cardinali concedit Papa... Qua audientia « finita, (aut statim, si eam prætermittere malit Papa), a « clerico Consistorii alta voce sic intimatur, *extra omnes:* et « tunc exire debent cæteri omnes præter Cardinales, qui in « atrio portis clausis cum Papa remanent... Tunc tractantur « negotia consistorialia, proponente Pontifice, et singulorum « Cardinalium votum sive sententiam exquirente. Fiunt de- « creta, et ea describit Cardinalis vice-cancellarius, qui no- « tarii seu secretarii Papæ et Consistorii officium explet. Nam « etsi quidam alter officialis *secretarii consistorialis* nomen ge- « rat, est tamen privatum ejus officium, respiciens dumtaxat « interesse et massam emolumentorum sacri collegii; ita ut

« nequaquam sit actuum consistorialium secretarius. » Hæc italice Cardinalis de Luca (*il dottore volgare*, lib. 15, cap. 4, n. 2 et seq.), quem locum in latinum transtulimus.

Eamdem materiam citatus auctor pertractans in suo *theatro veritatis* (lib. 15, parte 2, discursu 5, n. 5), quædam notatu digna, in modo citato textu prætermissa, exposuit quoad Consistorium ordinarium, seu secretum, hoc modo : « Quatenus « itaque ad ordinarium secretum Consistorium pertinet, illud « antiquiori tempore bis in hebdomada teneri solebat, medio « vero (ævo) semel, pro brevioribus causis, in forma contentiosa etiam cum interventu procuratorum et advocatorum « utriusque partis, decidendis per Papam, cum voto Cardinalium : atque ex hujusmodi decisionibus aliqua pars canonum registratorum in quinque libris decretalium est desumpta; alia vero ex decisionibus rotæ. Hodie vero rarius « illud habetur, ad Papæ placitum... Pro frequentiori autem « praxi bis in mense...

« In consueta palatii aula magna, (vel in alia Papæ placita) « singuli Cardinales cum solemni comitatu et obsequio ad « illud accedunt, more regio; adeo ut in hac functione, magis quam in aliis, Romanæ Curiæ majestas elucere videatur, atque ita verificari id quod antiqui scriptores de « profanæ triumphantis romanæ reipublicæ senatoribus dicere solent, ut scilicet tot reges reputari mercantur.

« Postquam vero Cardinales, in convenienti numero, statuta « hora, in aula congregati sunt, in scamno seu banco ligneo, « cappa magna, rochetto et birreto induti sedendo; Papa ad « suam consuetam sedem, aliqualiter elatam sub throno seu « baldachino in habitu privato, cum rochetto scilicet et mozzetta ac birreto Pontificio accedit; ibique donec omnium « Cardinalium accessus sequatur (vel etiam eo secuto ad « sui beneplacitum), januis adhuc apertis, adeo ut omnibus « nobilibus et qualificatis viris ac Prælatis aditus pateat, singulis Cardinalibus petentibus privatam auricularem audientiam præstat, super propriis, vel principum aut amicorum

« vel familiarium precibus ac instantiis, aliisque negotiis. « Atque in hac functione præsertim Papæ majestas dignosci- « tur; quoniam licet Cardinales in præsentia Papæ sedeant, « in dicto banco, cooperto capite, cum birreto cardinalitio, « attamen ubi singuli Papam ibi publice alloquuntur, coram « eo stant capite discoperto, cum magno obsequio ac reve- « rentia, quamvis magnorum principum filii sint, vel Cardi- « nales magnæ existimationis... Dictaque audientia, pro Papæ « beneplacito expleta, omnes ab aula ejiciuntur, solis Cardi- « nalibus cum Papa remanentibus; in proxima aula solum « assistentibus collegii secretario et clerico, aliisque ministris, « ut prompte accurrant; ita tamen ut Consistorii secreta au- « dire non valeant. Negotia vero quæ hodie in Consistorio « explicantur, forensem contentiosam formam amplius non « habent, sed solam gratiosam vel politicam, ut principis su- « premum senatum decet. »

§ III.

Quænam negotia in Consistorio expediri soleant.

Quoad Consistorium publicum et semi-publicum, id jam satis dictum est superiori paragrapho. In secreto autem Consistorio expediri solent sequentia :

1° Promotiones ad cardinalatum : 2° promotiones ad cathedrales, metropolitanas et alias superiores ecclesias : 3° Episcoporum translationes : 4° deputationes suffraganeorum seu coadjutorum Episcopis concessorum, sive cum, sive absque futura successione : 5° diœceseon creationes, uniones, dismembrationes : 6° Pallii concessiones : 7° generatim magni momenti negotia ecclesiastica, quæ cum regibus aut principibus componenda veniunt; nisi tamen absque Consistorio ea expedire magis opportunum duxerit Summus Pontifex : 8° solent etiam Summi Pontifices in secreto Consistorio sacrum collegium alloqui, sive de generali totius Ecclesiæ statu, sive

de exorta in alicujus regionis ecclesias procella, sive de irrepentibus erroneis ac periculosis doctrinis, morumve corruptelis; simul exprimendo quid ipsi probent, quidque rejiciant, doleant et condemnent. Quæ allocutiones eo consilio fiunt, ut postea juris publici factæ, et perlata per totum mundum earum notitia, certiores fiant Episcopi, clerus ac populi de perversorum molliminibus, de latente sub novis doctrinis errore ac periculo, ac de via tandem quam inter contemporaneas commotiones ac rerum circumstantias sequi tuto possint aut etiam debeant.

§ IV.

Quid sit S. Congregatio consistorialis.

1° Hoc nomine dicitur nonnullorum Cardinalium congregagatio, quorum officium est negotia, de quibus in Consistorio pronuntiandum est, examinare ac discutere, necnon de iisdem ad Summum Pontificem referre; ita ut antequam habeatur Consistorium, jam determinatum fuerit quid in eo pronuntiandum sit, nec in ipso Consistorio opus sit ulla deliberatione vel discussione. Hinc dici potest congregatio illa *Consistorii præparatrix*. Instituta est a Sixto V, Constitutione *immensa* (22 januarii 1588) : vide Plettenberg, *Notitia congregationum*, cap. 3, § 1, n. 54 et seq.

2° Attributiones ejus dictus Pontifex sic determinavit : « Imprimis cognoscant de legitimis causis erectionum novarum ecclesiarum quarumcumque, patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium; ac de cujusque earum dote, « capitulo, clero, populo, et aliis quæ ad ejusmodi erectiones, « juxta præscriptum sacri Concilii Tridentini et sanctorum « Patrum decreta, necessaria erunt. Examinent præterea « omnes difficultates de his incidentes; controversias quoque « inter eas quæ jam erectæ sunt necnon dictarum ecclesiarum; diœceseon vel monasteriorum uniones, dismembra-

« tiones, cessiones, permutationes, translationes, pensionum « super illarum reditibus assignationes; monasteriorum plu- « ralitatem; dignitatum incompatibilitatem; præsentationes « et nominationes; electionum sive postulationum confirma- « tiones seu admissiones; suffraganeorum coadjutorumque « deputationes, cum futura successione sive absque eadem « successione; curamque adhibeant solertem circa ætatem et « qualitatem promovendorum, eaque discussa et examinata « ad Pontificem referant. »

Nota. — *De particulari congregatione super promovendis ad episcopatum.* — Instituit Benedictus XIV (Constitutione *ad Apostolicæ,* 17 octobris 1740) particularem quinque Cardinalium congregationem, cujus officium esset : perquirere (adhibitis prudentibus informationibus) quinam viri utiliter ad episcopales archiepiscopalesve sedes promoveri possint : contingente sedium vacatione, consiliis suis juvare Pontificem ut digniores dignoscere et promovere valeat : translationum propositarum causas examinare, atque item consilium suum de iis Pontifici aperire. Hujus congregationis secretarium constituit præfatus Pontifex auditorem cameræ Apostolicæ.

CAPUT II.

DE SACRA CONGREGATIONE UNIVERSALIS INQUISITIONIS SEU SANCTI OFFICII.

Dicemus 1° quid sit S. Congregatio sancti officii; quandonam instituta; et quomodo differat a sancto officio seu inquisitione : 2° quibus personis constet dicta congregatio : 3° quænam causæ et personæ ipsius jurisdictioni subjaceant : 4° qua forma procedere soleat : 5° quæ sit specialis ejus procedendi forma, in librorum examine et proscriptione.

§ I.

Quid sit S. Congregatio Sancti Officii seu inquisitionis : quandonam instituta : et quomodo differat a Sancto Officio seu inquisitione.

Quæstio I[a]. — *Quid sit sanctum officium seu inquisitio?* — 1° Hoc nomine designatur institutio judicum, a Sede Apostolica ad id deputatorum, ut in variis mundi partibus contra reos hæreticæ pravitatis procedant. Quamvis enim Episcoporum quisque in sua diœcesi id officii explere debeat, sitque proinde vi suæ ordinariæ jurisdictionis verus inquisitor, seu inquisitor *natus*, ut dici solet, nihilominus non Episcopi aut alii locorum ordinarii *inquisitorum* nomine intelligi solent, sed dumtaxat illi alii judices a Sede Apostolica deputati.

2° Sæculo decimo tertio cœperunt ejusmodi inquisitores auctoritate Apostolica muniti, per varias regiones mitti. Assumi autem præcipue solebant e præclaro sancti Dominici ordine : ac non pauci etiam e familia Franciscanorum.

3° « Olim instituebant eos generales et provinciales ordi- « num Prædicatorum ac Franciscanorum. » (Plettenberg, *Notitia congregationum*, pag. 603, edit. Hildesii 1693). Quam potestatem dictis generalibus ac provincialibus contulerant Innocentius IV (constitutione *odore suavi*), Clemens IV (constitutione *licet ex omnibus*), et Alexander IV (constitutione *olim præsentiens*, et *licet ex omnibus*).

4° Variis item constitutionibus statuerunt summi Pontifices specialem contra crimen hæreseos procedendi modum, quem dicti inquisitores sequi deberent ; et pariter determinarunt quomodo in eadem diœcesi Episcopus et inquisitor procedendi contra hæreticos potestatem simul haberent, eamque exercere deberent.

5° In Hispaniis, ab circiter anno 1486, inducta est specialis sancti officii forma. De qua sic Plettenberg : « Ferdinando V « sic postulante, abdicavit se Dominicanorum familia inqui-

« sitorum officio; et authoritate Pontificis commissum id est « clericis sæcularibus, canonum et legum peritis. Quare jussu « regis et ex permissione Pontificis, instituit Cardinalis Men- « dozius officium sanctæ inquisitionis, eique adhibito docto- « rum virorum consilio, leges et ordinem præscripsit in tota « Hispania ac provinciis regi catholico subjectis observan- « dum. » (*Notitia congregationum*, pag. 595, edit. Hildesii 1693). Supremi consilii hispanicæ inquisitionis membra ab inquisitore generali eligebantur, et a rege approbari debebant. Ipsum autem generalem inquisitorem nominabat rex, confirmabat Papa.

6° Proprium inquisitoribus est ut eorum jurisdictio, quamvis sit delegata, non expiret morte delegantis. Unde mortuo Summo Pontifice perdurat jurisdictio inquisitorum, ipsius auctoritate deputatorum. Id jam anno 1267 decrevit Clemens IV, his verbis: *ne aliqui dubitationem sollicitam excitantes in dubium revocent, an officium inquisitionis hæreticæ pravitatis sollicitudini vestræ intra certos limites ab Apostolica Sede commissum, expiret per mortem Romani Pontificis qui commisit, præsenti declaramus edicto, ipsum officium, non solum quoad negotia, vivente mandatore incepta, imo etiam quoad integra et non cæpta, et quod plus est, quantum ad ea quæ tunc nequaquam emerserant, in favorem fidei, post committentis obitum perdurare.* (C. *ne aliqui*, 10, *de hæreticis*, in 6). « Pro intellectu hujus capi- « tis (ait Glossa) est præsupponendum primo illud quod « habetur in capite *gravatum, de officio delegati*, videlicet quod « jurisdictio delegata expirat morte mandantis, re existente « integra: item secundo est præsupponendum, quod inquisi- « tores a Sede Apostolica deputati habent jurisdictionem « delegatam. » Hinc juxta ordinarias juris regulas debuisset inquisitorum jurisdictio per mortem Summi Pontificis extingui, nisi contrarium expresse a Sede Apostolica fuisset statutum.

8° De aliis quæ circa inquisitionis seu sancti officii institutum moveri solent quæstionibus, necnon de prætensa ejus crudelitate et injustitia, vide meum tractatum *de judiciis*, tomo 2, pagina 366 et sequentibus.

QUÆSTIO II[a]. — *Quid sit Sacra Congregatio sancti officii seu inquisitionis.* — « Cum sub initium sæculi decimi quinti Lu-
« therana hæresis totam fere Germaniam infecisset, et aliquas
« etiam Italiæ partes afflasset, ne virus hoc longius serpe-
« ret, sed eo jam infecti opportunis remediis curarentur, ere-
« xit Paulus III anno 1542 (Constitutione 34, quæ incipit
« *licet ab initio*) Congregationem Sancti Officii, seu tribunal
« universalis inquisitionis; quam deinde congregationem...
« illius successores approbarunt, pluribusque privilegiis au-
« xerunt Pius IV (Constitutione *cum nos*), Pius V (Constitu-
« tione *sanctissimus,* Constitutione *inter,* et Constitutione *cum*
« *felicis*), Sixtus V (Constitutione *omnes*). » Ita Plettenberg (*Notitia congregationum*, pag. 618, edit. Hildesii 1693). Confundenda non est Sacra Congregatio sancti officii seu inquisitionis, cum ipsomet sancto officio seu inquisitione. Sub Innocentio III exordium sumpsit sanctum officium, id est, institutio judicum delegatorum qui contra hæreticalem pravitatem procederent. Congregatio autem Cardinalium, quæ in eodem hæreticos coercendi officio præcipuas partes haberet, nonnisi anno 1542 erecta fuit. Unde jam existenti sancto officio, addita est eique præposita, ut finis per sancti officii institutionem intentus, melius obtineretur.

§ II.

Quibus personis constet Sacra Congregatio universalis inquisitionis.

1° Congregatio illa non alium habet *præfectum* quam ipsummet Romanum Pontificem. Aliis autem pluribus Congregationibus, ut infra videbitur, præest aliquis e Cardinalibus.

2° S. Congregationi Sancti Officii is addicitur Cardinalium numerus quem opportunum existimat Summus Pontifex. Qui Cardinales dicuntur *generales inquisitores*. *Secretarium* autem Congregationis semper agit Sacri Collegii decanus.

3° Eidem Congregationi adlaborant plures officiales, vide-

licet : commissarius, assessor, fiscalis, notarius, et alii inferiores ministri.

Commissarius ordinarii judicis partes gerit : assumi solet ex ordine Sancti Dominici, et e provincia Lombardiæ ; vocaturque commissarius sancti officii.

Assessor dicitur is quem commissarius pro consiliario habet. Soletque illud officicium committi alicui ex iis prælatis qui camerarii honorarii dicuntur, vel alicui clerico sæculari sacrorum canonum perito.

4° Habet insuper S. Congregatio sancti officii *consultores* suos, qui e sæculari et regulari clero assumuntur. Hos inter locum semper habent duo Patres Dominicani, videlicet generalis totius ordinis, et magister Sacri Palatii : item unus ex ordine Minorum Conventualium.

5° *Qualificatores* autem dicuntur ii, qui a Sacra Congregatione jussi, censuram de scripto aliquo ferunt. Hi nempe declarant, qua nota theologica digna sibi videatur aliqua propositio, aut alicujus libri doctrina. (Vide Benedicti XIV Constitutionem *sollicita*, § 3, 9 Julii 1753).

6° Supradicti autem consultores et officiales secretum servare tenentur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

§ III.

Quænam causæ ac et personæ Sacræ Congregationis Sancti Officii jurisdictioni subjaceant.

1° Criminales causas quæ sancti officii seu inquisitorum tribunalibus subjacent, enumeravimus in tractatu *de Judiciis*, tomo 2, pag. 379 et 380. Porro ibi enumeratæ causæ ac personæ, subjacent etiam, et a fortiori, Sacræ Congregationis sancti officii Cardinalibus; cum ii Cardinales *generalium* inquisitorum munere fungantur, Unde « in hac Congregatione seu « tribunali discutiuntur omnes causæ et materiæ hæreticam

« pravitatem, schismata, apostasiam a fide, magiam, sortile-
« gia, divinationes, sacramentorum abusus concernentes. »
(Plettenberg, *Notitia Congregationum*, pag. 619, edit. Hildesii 1693). Insuper autem de præfatæ Sacræ Congregrtionis competentia, hæc adnotanda veniunt :

2° Habet generatim cognitionem supremam de religione : non quidem ita ut novos fidei articulos conficere possit, sed ut quæcumque contra fidem commissa judicet ac puniat. (Vide Plettenberg, loco citato).

3° Cognoscit de appellationibus quæ in præfatis materiis ad Sedem Apostolicam deferuntur (ibid., pag. 620).

4° Ad ipsam recurritur quando in sententiis ferendis non concordant inquisitores cum Episcopis (ibidem).

5° Jurisdictio quam habet Sacra Congregatio indicis et magister Sacri Palatii, cumulative etiam pertinet ad S. Congregationem universalis inquisitionis (ibidem).

6° « Supremi inquisitores jurisdictionem habent supra om-
« nes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et in inquisito-
« res; et quascumque alias personas, licet præeminentes. »
(Plettenberg, loco cit., pag. 622). Quod tamen intelligendum est, in materiis ad quas dictæ Sacræ Congregationis jurisdictio extenditur.

7° Eadem Sacra Congregatio deputare potest inquisitores ubivis locorum ; etiam cum facultate alios subdelegandi (ibid., pag. 623).

8° Ipsius autem officii præcipue est invigilare, ne pravæ doctrinæ libris, aliisve scriptis diffundantur. Hinc licet ad Sacram Congregationem indicis examinandos, et (si opus sit) proscribendos sæpius remittat suspectos libros, ipsa tamen per seipsam ejusmodi examen et proscriptionem identidem peragit; quando nempe agitur de difficilioribus et magni momenti quæstionibus.

§ IV.

Qua forma in Sacra Congregatione inquisitionis procedi soleat.

1° Triplicis speciei comitia in ea Congregatione habentur, videlicet : consultorum absque Cardinalibus, Cardinalium absque Summo Pontifice, et coram Summo Pontifice.

2° Congressus, seu (ut etiam dicitur) Congregatio *consultorum*, seu feriæ II, habetur regulariter singulis hebdomadis, die lunæ, in palatio sancti officii quod a sancto Pio V prope vaticanas ædes extructum est. In ea conveniunt consultores, cum commissario sancti officii, ejusque assessore et ministris aliis. Et ibi fit communicatio negotiorum emergentium, et deliberatur de causis et materiis quæ in proxima Congregatione Cardinalium ab assessore referri debeant.

3° Congregatio Cardinalium absque Summo Pontifice, quæ *et Congregatio feriæ IV* vocatur, in conventu Dominicanorum *supra minervam* nuncupato, singulis feriis quartis haberi solet. Congregatis ergo Eminentissimis Cardinalibus, « accedit solus « assessor, et stando negotia occurrentia refert, ac processus « missasque litteras seu relationes prælegit. Quibus auditis, « et a Cardinalibus ponderatis, admittuntur consultores, qui « interim in aula exteriori præstolabantur ; eorumque sen- « tentia expetitur. » (Plettenberg, *Notitia Congregationum*, pag. 624, edit. Hildesii 1693).

Tum Cardinales definitive pronuntiant ac decernunt ; nisi forte gravius aliquod negotium remittendum potius existiment ad Congregationem Feriæ V, id est, coram Summo Pontifice habendam. Pleraque autem negotia in hisce Congregationibus, a quibus abest Pontifex, expediuntur a Cardinalibus. Eodem vero die quo ab ipsis facta sunt decreta, de iis per assessorem relatio fit ad Summum Pontificem. Et postea promulgantur decreta hæc, sub nomine Cardinalium Sacræ Congregationis sancti officii ; facta tamen dictæ relationis ad Summum Pontificem mentione.

4° Proprium id habet S. Congregatio sancti officii, ut quod a majori parte præsentium Cardinalium decernitur, etiamsi duo tantum præsentes forent, perinde valeat, ac si ab omnibus statueretur. (Vide Plettenberg, opere citato, p. 623).

5° Congregatio coram Summo Pontifice, quæ et *feriæ V* vocatur, in Palatio Apostolico habetur. « In principio hujus « conventus adsunt præter Summum Pontificem soli Cardi- « nales cum assessore : ac summatim referuntur ea, quæ in « pridiana Congregatione Cardinalitia discussa fuerant : « suamque quisque purpuratorum, inchoando a juniore, edi- « cit sententiam; ut ea quæ videbitur, oraculo Pontificio « confirmetur. Tum admittuntur consultores; eorumque con- « silio audito statuuntur ea quæ agenda sunt; et decernun- « tur commissiones circa illa de quibus missæ erant relatio- « nes. » (Plettenberg, loco citato),

§ V.

Quisnam sit speeialis procedendi modus quoad librorum examen et proscriptionem.

Servandam quoad id a S. Congregatione sancti officii procedendi normam præscripsit Benedictus XIV (Constitutione *sollicita,* § 3 et seq., 9 julii 1753), in hunc modum : « Cum « librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum de- « ferri contigerit, nisi ad indicis Congregationem, ut fieri ple- « rumque solet, judicandum remittat, sed rerum temporum- « que ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; « Nos... hac ratione et methodo judicium institui manda- « mus :

« Primo nimirum uni ex qualificatoribus aut consultoribus « a Sacra Congregatione designando liber tradatur, quem is « attento animo legat ac diligenter expendat : tum censuram « suam scripto consignet, locis indicatis et paginis, in quibus « notati errores continentur. Mox liber cum animadversioni- « nibus revisoris ad singulos consultores mittatur; qui in

« Congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in « ædibus sancti officii, de libro et censura sententiam dicant. « Ipsa deinde censura, cum libro, et consultorum suffragiis, « ad Cardinales transmittantur ; ut hi in Congregatione quæ « feria quarta haberi solet in fratum Prædicatorum cœnobio, « Sanctæ Mariæ supra minervam nuncupato, de tota re defi- « nitive pronuntient. Post ab assessore sancti officii acta om- « nia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne « absolvetur.

« Cum autem veteri institutione receptum, ut auctoris ca- « tholici liber non unius tantum relatoris perspecta censura « illico proscribatur.., volumus eam consuetudinem omnino « servari ; ita ut si primus censor librum proscribendum esse « judicet, quamvis consultores in eamdem sententiam con- « veniant, nihilominus alteri revisori, ab eadem Congrega- « tione electo, liber et censura tradantur; suppresso primi « censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. « Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utrius- « que animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expen- « sis de libro decernant. At si secundus a primo dissentiat, « ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur censor, « cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communi- « cetur. Hujus autem relatio, si a priore consultorum sen- « tentia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, « ut ipsi quod opportunum fuerit decernant. Sin minus, ite- « rum consultores, perspecta tertia censura suffragium fe- rant; idque una cum omnibus præfatis relationibus Cardina- « libus exhibeatur : qui re ita mature perpensa de contro- « versia denique pronuntiare debebunt.

« Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei de qua in li- « bro agitur gravitatem, vel quia id auctoris merito aliisque « circumstantiis tribuendum censeat, libri judicium coram se « ipso in Congregatione feriæ quintæ habendum decreverit.., « tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus libri cen- « suras et consultorum suffragia, omisso examine Congrega-

« tionis feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per assessorem « Pontifici faciendam diximus. Nam Cardinalium suffragiis « coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sen- « tentia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione « capiendo, res absolvetur. »

Hac eadem Constitutione præscripsit Benedictus XIV, qua ratione Sacra Congregatio indicis procedere deberet in proferendo de libris judicio ; quas præscriptiones sequenti capite referimus.

CAPUT III.

DE SACRA CONGREGATIONE INDICIS.

Dicemus 1° Quid sit Index et Sacra Congregatio Indicis : 2° Quisnam sit dictæ Congregationis procedendi modus : 3° Quæ regulæ Consultoribus, ut rectum de libris judicium ferant, a Benedicto XIV traditæ fuerint.

§ I.

Quid sint Index et Sacra Congregatio Indicis.

Cum Sacra Congregatio *indicis* nomen suum trahat ab indice seu catalogo librorum prohibitorum, atque ipsius munus sit indicem hunc, per novorum qui in dies eduntur pravorum librorum prohibitiones, continuare semper ac perficere, visum est sub præsenti capite, de præfato indice, ac de ipsa Indicis Congregatione cunjungenda notio.

Quæstio I^a^. — *Quid sit et quomodo confectus fuerit prohibitorum librorum Index seu catalogus.* — I. Quod Ecclesia potestatem semper habuerit atque etiam exercuerit, non tantum pravos libros censurandi, id est, erroneos aut nocuos declarandi, sed etiam eorum lectionem prohibendi, et destructionem seu combustionem fidelibus præcipiendi, infra palam facimus.

II. Dictum munus pravos libros prohibendi commisit Paulus III Sacræ Congregationi Inquisitionis generalis, anno 1542, Constitutione *licet ab initio*. At de conficiendo ejusmodi librorum prohibitorum authentico indice seu catalogo, nihil ab illo Pontifice dispositum.

III. Cum autem sæculo XVI novatores impiis suis libris totum Occidentem replerent, et ejusmodi librorum singulæ proscriptiones ad fidelium notitiam, ob perpetua hujus temporis bella, difficile pervenirent, statuit Paulus Papa IV eorumdem catalogum seu indicem conficere ac publicare. Igitur anno 1557 Sacræ Congregationi generalis Inquisitionis commisit ut hunc indicem contexeret. Qui absolutus est, et ab eodem Pontifice evulgatus anno 1559.

IV. Quia vero in hoc indice aptior methodus, et aliquæ declarationes, necnon multorum aliorum librorum insertio desiderabatur, Tridentini Patres de ea re in Concilio agendum censuerunt. Ne tamen sua auctoritate opus susciperent quod jam Sedes Apostolica absolverat, impetratæ sunt a Pio IV litteræ, quibus eos ad hoc opus hortabatur, eisque novum indicem conficiendum committebat. Selecti ergo a Tridentina Synodo 18 Patres opus perfecerunt, et cum adjectis quibusdam regulis, Synodo approbandum tradiderunt. At quia Patres nimium fatigati de reditu erant solliciti, novum indicem una cum prædictis regulis, ad Summi Pontificis judicium remiserunt. Eum Pius IV iterum a peritissimis viris expendi jussit; ac tandem cum adjunctis dictis regulis edidit, atque ab omnibus observari præcepit, Constitutione *Dominici gregis* 24 martii 1564. Postmodum hunc indicem, multorum librorum insertione, et aliquibus novis declarationibus adauctum, per totum orbem publicari mandavit Clemens VIII, anno 1594. (Confer sanctum Ligorium, *Appendix de prohibitione librorum,* ad calcem libri 1, ipsius theologiæ moralis; Devoti, *Institutiones canonicæ,* tom. 2, pag. 293, editionis Gandensis; Pallavicinum, *Historia Concilii Tridentini,* l. 5, c. 19.)

Est ergo *Index* catalogus librorum Pontificia auctoritate

prohibitorum, cum adjunctis sapientissimis regulis ac decretis, eadem pariter auctoritate munitis.

Quæstio II[a]. — *Quomodo instituta sit, et quibus personis constet S. Congregatio Indicis?* — Post confectum prohibitorum librorum Indicem, invigilandum erat ut novi qui ederentur pravi libri pariter prohiberentur, et dicto Indici insererentur. Sufficienti quidem ad id præstandum potestate instructa fuerat Sacra Congregatio universalis Inquisitionis : et revera hoc officio fungebatur, et adhuc hodie ex parte fungitur. At cum simul ingens ad ipsam diversorum negotiorum copia perpetuo confluereret, specialem ad prohibendos et Indici adscribendos pravos libros Sacram Congregationem instituendam duxit S. Pius V, quam *Indicis* nuncupavit. De qua sic Benedictus XIV (Constitutione *sollicita,* 9 julii 1753) : « Certum est sanctum « Pium V primum fuisse Congregationis Indicis institutorem ; « quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII, Six- « tus V et Clemens VIII confirmarunt, variisque privilegiis et « facultatibus auxerunt.

« Ejusque proprium ac fere unicum officium est, in examen « libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione vel « permissione capienda est deliberatio...

« Plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscrip- « tos... Ex eis unus ejusdem Congregationis *Præfectus* existit. « *Assistens* vero perpetuus est Magister sacri palatii. *Secreta-* « *rius* autem a prima Congregationis institutione usque in præ- « sentem diem, ex ordine fratrum Prædicatorum a Summo « Pontifice eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque clero « sæculari et regulari ejusdem Congregationis *Consultores* et « *Relatores* selecti. »

Nota. — De Indice et Sacræ Congregationis Indicis institutione uberiorem notitiam historicam tradimus infra (parte 3, sectione 3, capite 5).

§ II.

Quisnam sit S. Congregationis Indicis procedendi modus.

Hac de re citata Constitutio *sollicita* disponit ut sequitur :

« Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat ut altera Sancti Officii.., illius propterea secretario peculiare munus et officium recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a libri delatore percunctabitur diligenter quas ob causas illum prohiberi postulet. Tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat, duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso (prævia Summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus qui Præfecti vices supplet, approbatione) eligendis. Quorum collato consilio, si liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis de qua in libro agitur peritus.., eligendus erit; qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur.

« Sed antequam ejus censura ad Cardinalium congregationem feratur, haberi volumus privatam consultorum Congregationem, quam olim *parvam* dixerunt, nos autem *præparatoriam* vocabimus; ut relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit... Eique semper intererit Magister sacri palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti et materiæ de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus et de Relatore constitutum est,a Secretario eligendis; præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Con-

sultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet cum relatoris censura.

« In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro Congregatione Sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad assessorem Sancti Officii pertinet de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere, ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem proscribendum aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere (§ 8).

« Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione Sancti Officii, dum in ejus quoque generis causis se immiscet ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observanda erunt :

« Quotiescumque agatur de libro auctoris catholici, qui sit integræ famæ et clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat, præ oculis habeatur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adjecta clausula, *donec corrigatur,* vel *donec expurgetur,* si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet quo minus in casu de quo agitur adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur decretum ; sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis altero pro eo agente, communicetur ; atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse aut alter pro eo injunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, ejusve procurator Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus ac mutationibus, tunc supprimatur proscriptionis decretum ; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint ; tunc enim ita decretum publicandum erit

ut omnes intelligant primæ editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundæ vero jam emendatæ permissa (§ 9).

« Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum judicia et proscriptiones inauditis auctoribus fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in judicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod nocua librorum lectione facile incurritur. Si qua vero ignominiæ labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi librorum prohibitiones inauditis auctoribus factas... Nihilo tamen minus, quod sæpe alias summa æquitatis et prudentiæ ratione ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus ; ut quando res sit de auctore catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, ejusque opus demptis demendis in publicum prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum de Consultoribus designet, qui *ex officio* operis patrocinium defensionemque suscipiat (§ 10).

« Cum in prælaudata Congregatione Sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur, Nos eamdem silentii legem a relatoribus, consultoribus et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censuræ subjectos eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus, sub eadem secreti lege communicare queat ; suppressis semper denunciatoris censorisque nominibus » (§ 12).

§ III.

Regulæ a Benedicto XIV Consultoribus traditæ ut rectum de libris judicium ferant.

In eadem Constitutione quæ incipit *sollicita,* Sacræ Congregationis indicis Relatoribus et Consultoribus, qui de libris denuntiatis sententiam suam dicere debent, nonnullas tradit regulas Benedictus XIV, quarum summa hæc est:

1° Meminisse debent suum munus non esse ut librorum proscriptionem modis omnibus procurent; sed ut Sacræ Congregationi fideliter exponant, quibus ex rationibus eos proscribendos, aut absque censura dimittendos existiment.

2° Si Relator, cui examinandus aliquis liber traditus est, comperiat se minus idoneum esse ad ferendum de eo judicium (eo quod forte satis versatus non sit in iis disciplinis, de quibus in hoc opere disseritur), id declarare debet Secretario S. Congregationis, ut is alium Relatorem designet.

3° Non debet concludere librum esse proscribendum, ex eo quod adversetur opinionibus illius scholæ cui ipse adhæret; sed tantum ex eo quod aberret a doctrina, quam necessario tenendam communiter tradunt doctores catholici. Sunt enim opiniones quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et quæ tamen licite deseri et impugnari possunt; utpote quas Sedes Apostolica scholarum disputationibus adhuc permittit.

4° Judicium suum determinare debet ex totius operis diligenti examine, non autem ex aliquibus propositionibus, seorsim a contextu consideratis. Sæpe enim contingit ut aliqua propositio, per se et a contextu præcisa, pravum sensum exhibeat, et tamen auctor alibi contrariam doctrinam clare et ex professo defendat; ut adeo evidens sit, scriptam ab auctore fuisse propositionem in sano et orthodoxo sensu, quamvis accurata verba haud adhibuerit.

5° In quibusdam libris historice referuntur erronea dogmata

aut systemata, quin auctores ea refellant aut sese eis adhærere profiteantur. « Putant qui talia agunt nulli sese reprehensioni « aut censuræ obnoxios, propterea quod de alienis, ut aiunt, « opinionibus nihil ipsi affirment, sed historice agant. » Ejusmodi libri valde perniciosi esse possunt. Quod periculum si revera adesse existiment revisores, merito concludent sibi eos libros videri proscribendos, aut emendandos.

6° Item merito censebunt librum esse emendandum aut proscribendum, si diffamationes, injuriasve ac convicia in adversarios contineat.

7° Item si libri auctor placita sua tanquam dogmata proferat, cum meræ sint opiniones, et oppositam adversariorum sententiam, quæ a doctoribus catholicis (sciente et permittente Sede Apostolica) sustinetur, non tantum improbet, sed notis theologicis audacter percellat, merito existimabunt revisores hanc nimiam licentiam esse coercendam. Inde enim facile possent dissidia ac perturbationes in Ecclesia excitari.

CAPUT IV.

DE S. CONGREGATIONE CONCILII;

ubi et de duabus sectionibus huic Congregationi adjectis, pro visitationibus sacrorum liminum, et pro recognoscendis Synodis provincialibus.

Dicemus : 1° Quomodo instituta fuerit Sacra Congregatio Concilii, et quænam ipsi collata potestas : 2° Quomodo ipsi tanquam appendices adjectæ sint duæ sectiones, seu particulares Congregationes, altera super visitationibus *ad limina ;* altera quæ provinciales Synodos recognosceret : 3° Quibus personis constet Sacra Congregatio Concilii : 4° De proprio ipsius procedendi modo : 5° De ipsius regestis, quæ *Libri decretorum* et *Thesaurus resolutionum* nuncupantur.

§ I.

Quomodo instituta fuerit, Sacra Congregatio Concilii, et quænam ipsi collata potestas.

De præsenti quæstione jam disseruimus in tractatu *de Principiis*, pagina 305 et sequentibus. Ibi nempe hæc cum Plettenbergio tradidimus :

1° Eam Congregationem primum instituit Pius IV; sed ad hunc dumtaxat finem, ut Tridentinorum decretorum observationem promoveret, et si quid dubii circa eorum sensum oriretur, ad Pontificem referret.

2° Sanctus Pius V ei potestatem addidit causas et controversias omnes, Concilii Tridentini interpretationem concernentes, decidendi. Unde ex tunc proprium hujus Sacræ Congregationis objectum fuit, non tantum *executio*, sed et *interpretatio* Tridentini Concilii; et hinc orta est *Cardinalium Tridentini Concilii interpretum* denominatio.

3° Sixtus V, Constitutione *immensa*, 22 januarii 1587, ejusdem Sacræ Congregationis facultates auxit ac determinavit in hunc modum : *Primo*, Tridentinorum decretorum quæ fidem seu dogma respiciunt interpretationem sibi reservavit : cæterarum autem Tridentinarum sanctionum sensum dictæ Congregationi declarandum commisit, cum hac adjecta conditione, *nobis tamen consultis*. *Secundo*, ipsi insuper demandavit, ut conciliorum provincialium decreta, ad se mitti juberet, et ea antequam publicarentur recognosceret. *Tertio*, item ei commisit, ut procuraret recte fieri ab Episcopis visitationem sacrorum liminum, et eorumdem postulatis, quæ dictæ visitationis occasione fieri solent, responderet. *Quarto* tandem ei potestatem contulit statuendi quoad universum orbem quæcumque opportuna ipi viderentur, *ad reformationem cleri et populi, ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores ad præscriptum ejusdem Concilii* (Tridentini)

componendos. Unde huic S. Congregationi competit vera potestas legislativa, quæ ad materias omnes, exceptis causis fidei, vi Sixtinæ Constitutionis extenditur. Dicimus *vi Sixtinæ Constitutionis;* quia potuit Sedes Apostolica post Sixtum V, aliquas causas alii Congregationi aut tribunali exclusive subjicere.

4° Hisce facultatibus addidit Gregorius XIV, ut eadem Sacra Congregatio rescripta sua *nomine Pontificis* edere posset.

5° Habet ergo simul Sacra Congregatio Concilii, potestatem *interpretandi* Tridentinam Synodum; potestatem *judiciariam* ad decidendas controversias, exceptis quæ ad dogma pertinent; et potestatem *legislativam*, ad statuendum circa disciplinam. Interpretandi autem Concilii Tridentini dicta potestas ipsi exclusive propria est: aliæ vero facultates ei communes sunt, quoad multas materias, cum aliis Sacris Congregationibus.

Nota. — Ad Congregationem Concilii vel ad Rotæ auditorium privative spectant causæ matrimoniales ad Sedem Apostolicam delatæ. (Vide Constitutionem *justitiæ*, 9 oct. 1746, Benedicti XIV).

Ad eamdem, vel ad Congregationem Episcoporum et regularium, vel ad Rotam pertinent causæ nullitatis professionis regularis, per appellationem ad Sedem Apostolicam delatæ. (Vide in citata constitutione).

Ad Congregationem Concilii privative spectant causæ nullitatis professionis, ex capite non expleti tyrocinii in cœnobio pro novitiis destinato, etiam in prima instantia, etiam intra quinquennium propositæ. (Vide Constitutionem *si datam*, Benedicti XIV, 4 martii 1748).

§ II.

Quomodo S. Congregationi Concilii tanquam appendices adjectæ sint duæ sectiones, seu particulares Congregationes; altera super relationibus de statu ecclesiarum, quæ fiunt ab Episcopis in visitationibus ad limina; altera quæ provinciales Synodos recognoscat.

I. *De sectione, seu particulari Congregatione, pro excipiendis examinandisque relationibus Episcoporum super Ecclesiarum suarum statu.* — Eam instituit Benedictus XIV, Constitutione *decet*, 23 novembris 1740. Cujus institutionis hæc causa extitit : cum teneantur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, ac etiam inferiores Prælati jurisdictionem quasi-episcopalem cum territorio separato habentes, certis statutis temporibus sacrorum liminum visitationem facere, aque simul de statu ecclesiarum sibi commissarum rationem Sedi Apostolicæ reddere; cumque soleant in ejusmodi relationibus dubia ac difficultates annectere, pro quibus opportunum responsum expostulant; aliunde vero Sacra Congregatio, cui commissa fuerat dictas relationes expendendi atque ad eas respondendi cura, ingenti negotiorum copia perpetuo detineatur; frequenter contingebat ut multo serius quam par erat ejusmodi relationibus responderetur; unde nec paucæ exoriebantur Episcoporum querelæ. Quapropter constituendum duxit laudatus Benedictus XIV particularem Prælatorum cœtum, cui specialis hæc cura committeretur. Illi autem Prælatorum cœtui non alium esse Præfectum voluit, quam ipsiusmet Sacræ Congregationis Concilii Cardinalem Præfectum; nec alium Secretarium, quam Prælatum qui apud dictam S. Congregationem Secretarii munus explet. Est ergo cœtus ille, qui ab Italis *il concilietto* vocari solet, appendix quædam seu sectio ipsiusmet Sacræ Congregationis Concilii. (Vide apud Benedictum XIV, citatam Constitutionem *decet*, necnon *de Synodo diœcesana*, l. 13, c. 6, n. 11).

Modus autem procedendi in hac particulari Congregatione, a Benedicto XIV determinatus est : « Instituimus, inquit, et « decrnimus particularem Congregationem nonnullorum Ro- « manæ Curiæ Prælatorum..., quorum munus et officium il- « lud dumtaxat esse volumus, ut eorumdem venerabilium « Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et « Epicoporum..., aliorumque territorium habentium et juri- « sdictionem quasi episcopalem. ., postulata et litteras... « diligenter inspicere, omniaque in eis contenta in eorum « conventibus et particularibus Congregationibus accurate « exponere; ut communi consilio omnibus consideratis et « perpensis, quæ majoris momenti videbuntur ad ipsos S. R. E. « Cardinales interpretes prædictos, et deinde per ejusdem « Congregationis Secretarium ad nos referantur : ut, votis eo- « rumdem Cardinalium et Prælatorum auditis, de rebus gra- « vioribus... statuere valeamus. » (Const. *decet,* § 2). Unde si nihil magni momenti contineatur in relatione, a Prælato sacra limina visitante transmissa, res expeditur per Eminentissimum Præfectum et Secretarium, prævia dumtaxat deliberatione et sententia hujusce particularis Prælatorum cœtus ; et non proponitur coram Cardinalibus S. Congregationis Concilii. Sin autem in dictis super statu ecclesiarum relationibus occurrant majoris momenti negotia aut dubia, exponuntur a Secretario in plena dictorum Cardinalium Congregatione ; et postmodum idem Secretarius refert Sanctissimo, tum præfati Prælatorum cœtus, tum Eminentissorum sententiam ; et Sanctissimus quid rescribendum sit decernit.

II. *De sectione, seu particulari Congregatione, a Pio IX instituta, pro recognoscendis provincialibus Synodis.* — Quibus causis inductus fuerat Benedictus XIV ad præfatam appendicem Sacræ Congregationi Concilii adjiciendam, eædem Pium IX feliciter regnantem impulerunt, ut aliam pro recognoscendis Synodorum provincialium decretis adjiceret. Anno nempe 1839, dum Cajetæ Pontifex commoraretur, Sedis Apostolicæ revisioni, prout de jure, subjecta sunt provincialium conciliorum,

tunc temporis magno numero celebratorum, statuta. Horum autem recognitio si per plenam S. Congregationem Concilii de more peragi debuisset, nimis in longum fuisset protracta. Quare instituit Pius IX particularem cœtum, aliquot Cardinalibus, ex eadem S. Congregatione Concilii assumptis, constantem; cui cura hæc in posterum committeretur. Ei autem cœtui idem Præfectus, idem Secretarius est, qui et S. Congregationi Concilii. Eidem insuper addicti sunt Consultores aliquot. Et hi quidem primum nonnisi ex albo Prælatorum Romanæ Curiæ assumebantur: sed, postulante clarissimæ memoriæ Cardinali Maï, selecti sunt etiam e regulari clero.

Modus autem procedendi, in hac particulari Congregatione hic esse solet: committitur examinanda Synodus provincialis uni e Consultoribus, qui per Secretarium, assentiente Eminentissimo Præfecto, ad id designatur. Debet autem ille Consultor singula diligenter examinare, atque animadversiones suas, notatis paginis ad quas referuntur, scriptas tradere. Quæ animadversiones ponuntur *in folio*, id est, typis mandantur; et traditur impressum folium singulis Cardinalibus ac Consultoribus. Postea conveniunt apud Secretarium Consultores omnes, et quid sentiant de præfatis animadversionibus proferunt. Demum congregatis Cardinalibus refert Secretarius Consultorum sententias; et Eminentissimi Patres, quænam faciendæ correctiones et quid Metropolitano rescribendum sit, decernunt.

§ III.

Quibus personis constet S. Congregatio Concilii.

1° Constat Cardinalibus, qui *Concilii Tridentini interpretes* nuncupantur.

2° Unus ex iis Cardinalibus est *Præfectus;* atque is cum Secretario litteras et decreta subscribit; ac eorum quæ Congregationem spectant præcipuam curam gerit.

3° In Secretarium deputari solet Prælatus, qui sit Episcopus titularis seu *in partibus infidelium*. Ob muneris autem præstantiam, ad illud explendum quam maxime insignes viri plerumque eliguntur : ab eo munere nonnisi ad cardinalatum gradum facturi.

4° Habet Secretarius suum *auditorem*, cujus etiam officium maximi momenti est. Is enim reverendissimo Secretario auxiliatur, atque in multis ipsius vices agit. Ab auditore plerumque concinnantur causarum expositiones, quæ ponuntur *in folio*, et nomine secretarii Eminentissimis Patribus distribuuntur. Item alias scripturas, ad Secretarii munus pertinentes, auditor extendit ac præparat, sive per se, sive adhibita inferiorum aliquot officialium opera.

5° Constitui etiam solet aliquis, cujus officium sit latinas litteras ad Episcopos expediendas scribere. De quo officio meminit Benedictus XIV (Constitutione *decet*, 23 novembris 1740) his verbis : *is qui eidem Congregationi in latinis litteris Episcopis rescribendis operam præbet.*

6° Ad S. Congregationem Concilii etiam pertinent illi Prælati, qui cum Eminentissimo præfecto et prædicto secretario sectionem seu particularem congregationem *super relationibus de statu ecclesiarum* constituunt.

7° Tandem silentio prætermittenda non est tam utilis illa *studentium* institutio, qua juniores canonistæ pertractandorum negotiorum et expediendarum causarum praxi paulatim initiantur et assuefiunt. Admittuntur nempe a reverendissimo secretario S. Congregationis Concilii juniores presbyteri aut clerici, ad quamdam veluti scholam, quæ *studium* vocatur. Studio huic præest Secretarii auditor, qui et *caput studii* vocari solet. Conveniunt certis horis illi studentes in conventu sancti Andreæ de Valle, ubi habetur S. Congregationis secretaria. Ipsis auditor communicat varias ac difficiliores in Sacra Congregatione pertractandas causas. Assignata causa cui studere debeant, uni ex ipsis committit, ut in scriptis de ea disserat, et quomodo sibi videatur decidenda profe-

rat. Statuto die legit is coram auditore et studentium cœtu dissertationem suam. De ejus conclusionibus sententiam suam dicunt alii: allegantur pro variis sententiis jura, auctoritates, doctores et ratiocinia. Ut adeo causa quæ in studio disceptata est, plerumque jam ita sit eliquata, ut facile ipsius exitus prævideri possit. Et quamvis ejusmodi studentium sententiæ nulla ratio habeatur, neque etiam de ea in Sacra Congregatione mentio fiat, raro tamen contingit ut aliud ab Eminentissimis decernatur, quam quod in *studio* prævaluerat. Ex his postea studentibus eliguntur haud pauci ad explenda varia apud Sacras Congregationes munera; atque ex iisdem sæpius Episcopi vicarios suos generales assumunt. Junioribus Galliæ presbyteris, qui sacrorum canonum disciplinam, non tantum e limine salutare, sed et vere ingredi et practice simul ac theorice callere cupiunt, plurimum suadeo, ut procurent se in dicto Sacræ Congregationis Concilii *studio* admitti, atque in eo duobus aut tribus annis sese exerceant.

§ IV.

De procedendi modo S. Congregationi Concilii proprio.

I. *De negotiis quæ non proponuntur in Congregatione.* — Inter negotia et dubia quæ ad S. Congregationem Concilii perferuntur, multa sunt pro quibus nulla opus est Eminentissimorum Patrum deliberatione; sive quia sæpe sæpius jam resoluta sunt, sive quod alias per solius Eminentissimi præfecti rescriptum facile possit recurrentibus satisfieri. Quando ergo ejusmodi esse negotia aut dubia existimat Secretarius, ea non proponit coram Congregatis Eminentissimis Patribus; sed expedit ipsemet, una cum Cardinali Præfecto, prævia, si opus sit, audientia Sanctissimi. Epistolæ autem vel decreta quibus respondet, ab ipso et ab Eminentissimo Præfecto subscribuntur, et Sacræ Congregationis sigillo obsignantur.

II. *De negotiis quæ proponuntur in Congregatione, per summa-*

ria precum. — Alia sunt negotia quæ aliquam requirunt indaginem; ita tamen ut breviori expositione et discussione satis enucleari posse videantur: cujusmodi sunt multa minoris momenti dubia, et omnes ferme gratiosæ causæ. Negotia hæc exponit Secretarius in Eminentissorum Patrum Congregatione, sed cum breviori forma, seu, ut dici solet, *per summaria precum.* Et suam expositionem concludere solet per hæc aut similia verba: *Quare dignentur Eminentiæ vestræ decidere sequentia dubia:* 1°... 2°... etc. Re autem mature perpensa, decisionem Eminentissimi Patres pronuntiant, per verbum *affirmative* vel *negative* ad singula dubia proposita (1).

Informationes autem præviæ, si necessariæ sint, quantumvis summarie procedatur, non omittuntur. Eas requirit reverendissimus Secretarius, sive ab Ordinariis, sive ab aliis qualificatis personis, et quandoque etiam secrete.

III. *De causis seu dubiis quæ ponuntur* IN FOLIO, *et expediuntur* EX OFFICIO. — Causæ contentiosæ, necnon graviora et difficilia dubia non expediuntur *per summaria precum;* sed *ponuntur in folio,* id est, typis mandatur eorum expositio, et folia sic impressa Eminentissimis Patribus distribuuntur, aliquanto tempore ante comitia in quibus decisio pronuntianda est. At in contentiosis causis duplex est procedendi modus, nimirum : vel *servato juris ordine*, vel *ex officio.* Quando utraque vel alterutra pars vult procedi *servato juris ordine*, id declarat per legitime constitutum aliquem procuratorem; quæ declaratio fieri solet per verba *nihil transeat.* Et tunc Sacra Congregatio servat *judicialem* procedendi formam, quam sequenti numero IV exponimus. Si vero partes, expensas metuentes, nolint in judicio contendere, proceditur *ex officio,* id est, non servata dicta judiciali forma. Et tunc a Secretario aut ab ipsius auditore concinnatur expositio totius causæ, cum

(1) Quandoque contingit, ut causa quæ Secretario ***per summaria precum*** expediri posse visa erat, incepta ejus discussione, gravior et majorem disquisitionem requirens ab Eminentissimis Patribus existimetur. Et tunc jubent Eminentissimi eam poni ***in folio,*** et ad alia comitia discutiendam remittunt.

adductis hinc inde rationibus ac documentis ; et ponitur in fine, sub forma dubii, res ipsa de qua contenditur. Typis mandatur scriptio hæc expensis gubernii Pontificii, et Eminentissimis Patribus distribuitur. Postmodum in plena Congregatione Eminentissimis Cardinalibus causam illam decidendam proponit Secretarius. Et Eminentissimi, habita deliberatione, ad dubia proposita *affirmative* vel *negative* respondendum decernunt. Quæ decisio per Secretarium notificatur partibus.

Hic igitur modus procedendi *ex officio* et prævio impresso *folio,* adhibetur, tum in causis gravioribus non contentiosis (verbi gratia, in decidendis majoris momenti dubiis circa Tridentinorum decretorum sensum), tum etiam in causis concontentiosis, pro quibus partes non postulant ut servato juris ordine procedatur. Et prævio semper capiuntur opportunæ informationes, quas procurat Secretarius sive a locorum Ordinariis, sive ab aliis gravibus et fide dignis personis (quandoque etiam secrete) ad S. Congregationem transmitti.

IV. *De causis contentiosis quæ expediuntur* SERVATO JURIS ORDINE. — Quando alterutra pars vult causam expediri *servato juris ordine,* et interposuit suum *nihil transeat,* servatur procedendi modus præscriptus in decreto, Pontificia auctoritate firmato, diei 27 septembris 1847, tenoris hujusmodi :

Siccome oltre alle cause meramente graziose, od economiche, sogliono eziandio agitarsi nella Sacra Congregazione del Concilio quelle di contenziosa giurisdizione ; cosi per queste fu di mestieri fin da principio adottare una procedura, la quale ritenendo semper dell'equità delle Sacre Congregazioni, participasse insieme nella osservanza delle forme della rigidezza dei Tribunali. Ora questa procedura registrata ne' regolamenti de' nostri Predecessori, col volger del tempo subì qualche variazione, che affidata alla sola tradizione di pochi, non fu con la debita accuratezza riportata nemmeno da quegli Scrittori, che nelle loro opere forensi si occuparono della pratica delle Sacre Congregazioni ; per cui a poco a poco

venne alterata, ed anche trasandata dai procuratori ed agenti, non senza discapito delle parti litiganti, e di quell'ordine tanto necessario all'essatta amministrazione della giustizia. Per provvedere quindi a tanto inconveniente, riassunte le precedenti disposizioni che sono conciliabili coi metodi vigenti, autorizzati dalla stessa S. C. nella sua adunanza de' 7 agosto del corrente anno, e previa la suprema sanzione della Santità di N. S. accordata nella udienza de' 9 agosto del medesimo anno; siamo venuti nella deliberazione di ordinare, ed ordiniamo quanto segue:

1. Le cause che si portano innanzi alla Sacra Congregazione direttamente od in grado di appello, verranno in essa trattate *juris ordine servato* secondo la di lei prassi, ogni volta che una delle parti a cui interessa, mediante la costituzione di legittimo Procuratore, abbia apposto il *nihil transeat* negli atti della stessa Sacra Congregazione.

2. In questo caso non sono ammessi ad agire se non quei procuratori, che hanno persona legittima di stare innansi gli altri tribunali di questa Dominante.

3. Non potra proporsi alcuna istanza in piena Congregazione, se prima non siasi interpellato l'Ordinario, e preparato inoltre quel tanto che stimera necessario Monsignor Segretario, siccome viene saviamente disposto nel § 1, di altro regolamento emanato dalla istessa S. Congregazione, in data del 6 settembre 1731.

4. Non si avranno a calcolo documenti relativi alla causa, se questi non partono dalle rispettive Curie, o non siano altrimenti legalizzati, o non presentino in se stessi un segno certo di autenticità. Nell' esibirli in Segreteria dovra farsene apposita nota, ed inserirsi questa nel protocollo.

5. La communicazione de' documenti si accorderà alle rispettive parti in copia da farsi presso gli officiali della stessa segreteria, previo il rescritto di Monsignor Segretario.

6. Quando Monsignor Segretario avrà segnato sulla posizione il decreto, *Ponatur in folio citata parte*, potrà proce-

dersi alla concordazione del dubbio, e destinazione della Congregazione, mediante la citazione della parte più diligente; nella quale, prima di trasmettersi all' altra, sarà fissato da Monsignor Segretario, o di lui Uditore, il giorno e l' ora d'udienza in cui potrà leggersi.

7. I giorni d' udienza sono il martedi e venerdi di ciascuna settimana, eccettuato il tempo delle ferie, giusta l' elenco affisso in segreteria.

8. Concordandosi il dubbio tra le parti si sottoscriverà da Monsignor Segretario, o di lui Uditore; e sottoscritto che sia non potrà variarsi senza nuova istanza concernente la riforma dello stesso dubbio da discutersi in contradizione delle medesime parti.

9. In caso di discordia se ne formerà uno *ex officio*, riservando però con analogo decreto alle parti il diritto di disputare in piena Congregazione, e contemporaneamente alla causa in merito, anche sulla riforma del dubbio per memoriale.

10. Non comparendo una delle parti, il dubbio sarà concordato in di lei contumacia, e concordato si notificherà unitamente alla destinazione della Congregazione a termini di legge.

11. Le allegazioni, e sommarii, di cui crederanno le parti far uso nella proposizione della causa, dovranno esibirsi in iscritto a Monsignor Segretario, o di lui Uditore, entro il termine perentorio di giorni trenta innanzi alla proposizione (previo l'avviso che ne sarà dato dallo stesso Uditore dieci giorni innanzi) tanto per farne il consueto transunto nel foglio, quanto per munirle della necessaria autorizzazione alla stampa.

12. Esse dovranno essere scritte in latino giusta la prassi vigente, nè si receveranno se non firmate da avvocati, o procuratori approvati dalla Curia Romana.

13. Non potranno le dette allegazioni, qualunque sia il numero dei dubbi, contenere più di cinque fogli di stampa, e

le risposte non ne potranno contenere più di due, senza un particolare permesso in iscritto di Monsignor Segretario, il quale lo accorderà o negherà, secondo che lo richiederà la entità delle cause o l' inviluppo dei fatti. In caso di contravvenzione sarà il procuratore assoggettato alla stessa multa pecuniaria che suole applicarsi in simili casi dalla Sacra Rota a favore della pia Congregazione di S. Ivo.

14. In conformità a quanto si dispone sulla contumacia nel § 4, del citato regolamento, rimane stabilito che se preceduti tutti gli atti preparatorii suddetti, una delle parti persistesse nella sua contumacia, non si darà luogo a dilazione, ma la causa a relazione di Monsignor Segretario si risolverà *etiam unica*. E se, seguita la risoluzione, la parte contumace volesse domandare la nuova udienza, questa non si accorderà, se non abbia prima pagato alla parte attrice le spese della proposizione contumaciale.

15. Per parte contumace si ritiene quella, che citata, non sia affatto comparsa, nè abbia esibito nel termine prefisso veruna allegazione, ovvero abbia dimandata e non ottenuta la dilazione.

16. E riservata a Monsignor Segretario la facoltà di differire d' officio, o ad istanza delle parti per motivi legittimi, la proposizione della causa, anche quando fosse stata da lui destinata colla clausola, *omnino et infallanter*. Se però il decreto di dilazione con detta clausola fosse provenuto dalla S. Congregazione, la nuova dilazione dovrà chiedersi per memoriale alla medesima.

17. Si dovranno distribuire in doppia copia a ciascuno degli Eminentissimi Padri, non che nel numero consueto a Monsignor Segretario e suo studio e al Sottosegretario le scritture *facti et juris* col sommario, dieci giorni innanzi alla Congregazione ; qual termine dovrà ancora osservarsi tanto per fare la cambiatura delle scritture tra le parti, quanto per produrre ulteriori documenti legalizzati come al § 4.

18. Le risposte dovranno distribuirsi per tutto il mercoldi

precedente alla Congregazione, e dovranno essere parimenti sottoscritte come le difese ; altrimenti non si vedranno.

19. Non sarranno attesi i documenti ed osservazioni esibite *inscia parte* dopo le risposte.

20. Si dovranno informare gli Eminentissimi Padri tra il giovidì e venerdì precedenti la Congregazione.

21. Seguita la risoluzione della causa, la nuova udienza dovrà chiedersi dentro il termine di dieci giorni con istanza a Monsignor Segretario.

22. Se la risoluzione della S. Congregazione sarà munita della clausola, *et amplius*, un nuovo esperimento dovrà dimandarsi all' Eminentissimo Prefetto, il quale se crederà di non doverlo accordare per se stesso, potrà rimettere l'istanza col decreto *Per memoriale citata parte* alla piena Congregazione : in ambedue i casi ottenendosi favorevole rescritto, la causa non potrà riproporsi prima di tre mesi, osservandosi l' ordine della prima proposizione ; e soccombendo la parte istante, sarà essa tenuta alla rifazione delle spese di cosi fatto straordinario esperimento.

23. Passata la risoluzione in cosa giudicata, se ne consegnerà l' autentico essemplare al vincitore, il quale lo presenterà al Giudice esecutore delle Lettere Apostoliche e de' decreti delle S. Congregazioni, per averne l' opportuno decreto esecutoriale.

24. Tanto nei casi contemplati dal § 14, e 22, quanto negli altri in cui secondo i decreti della S. Congregazione ha luogo la rifazione delle funzioni e spese (cioè nelle cause di matrimonio, di alimenti, di attentati e spogli) la parte vincitrice ne esibirà a Monsig. Segretario la nota per essere da lui approvata o moderata, e munita dell' opportuna ordinanza sulle norme vigenti. Dato dalla segretaria del Concilio, il 27 de septembre 1847.

§ V.

De regestis S. Congregationis Concilii quæ ***Libri decretorum***, necnon ***Thesaurus resolutionum*** nuncupantur.

I. Resolutiones seu decreta Sacræ Congregationis Concilii, quæ annum 1718 præcedunt, nunquam fuerunt typis mandata. Extant manuscripta in longa serie voluminum, quæ volumina *Libri decretorum* vocantur, et sub hoc nomine citantur a Benedicto XIV, aliisque scriptoribus. Si, verbi gratia, allegata decisio contineatur in tertio ex dictis voluminibus, citatur hoc modo : *Libro* 3 *decretorum*. Et quia numeri paginarum appositi sunt dumtaxat in recto folio, non autem in verso, si decisio reperiatur in adversa parte folii, citatur hujus folii numerus, addendo *a ter*, id est, *a tergo*.

Quanti momenti sint *Libri decretorum* vel inde colligi potest quod declarationes ab initio Congregationis usque ad annum 1718 contineant, nec alibi quam in hoc manuscripto declarationes illæ authentice existant. Et notetur intra dictum temporis spatium S. Congregationi proposita fuisse majoris momenti dubia circa Tridentinorum decretorum sensum. Aliquot tamen ex istis declarationibus certo noscuntur ; tum quia citatæ sunt ab auctoribus fide dignis, ut a Fagnano et Benedicto XIV, qui eas ex manuscripto ipso transcripserunt ; tum quia passim reproductæ sunt in edita collectione posteriorum declarationum, quæ *Thesaurus resolutionum* inscribitur ; tum demum quia identidem petentibus expeditur hujus aut illius declarationis, in dicto manuscripto contentæ, copia *authenticata* (1).

Hosce *Libros decretorum* cum Romæ degerem, benigne annuente Eminentissimo Cardinali Dandrea, qui tunc S. Congregationi a secretis erat, pervolvere potui, ac plures in meis

(1) Pro hujusmodi ***copiis*** habendis, solvenda est S. Congregationis officialibus, qui in hoc operam navant, merces aliqua.

tractatibus citatas declarationes ex ipsis transcribere. Adverti autem haud pauca ex antiquioribus volumina esse jam adeo vetustate detrita, ut, in pulverem redacta carta, multæ passim lineæ perierint(1). Hinc Romæ agi cœptum est de edendis illis voluminibus, aut saltem de procuranda eorum aliqua transcriptione, quæ ab auctoritate competente conformis declaretur. Ingens enim damnum foret hujusce manuscripti deperditio.

II. Ab anno 1718, cœperunt, ut dictum est, S. Congregationis Concilii decisiones typis mandari; et huic collectioni, quæ *Thesaurus resolutionum* inscribitur, novum quotannis volumen accedit. At integram collectionem illam, canonistis pernecessariam, pauci comparare sibi possunt : haud minoris enim pretii est quam 600 aut 700 francorum; quamvis noviter anno 1843 edita Romæ fuerit.

III. *Thesauro resolutionum* non inseruntur causæ quæ *per summaria precum* expediuntur; sed dumtaxat illæ quæ ponuntur *in folio*. Ad quod ego non advertens (etsi expeditionem per summaria precum nequaquam ignoraverim) perperam nonnulla scripsi in quadam nota tractatus mei *de Parocho* (pagina 583); quæ nota e proxima editione expungetur. Hoc mendum meum periodica quædam Belgii publicatio merito adnotavit.

Cæterum ipsa *Summaria precum,* ab anno 1847 typis mandantur; at *Thesauro resolutionum* non inseruntur.

CAPUT V.

DE SACRA CONGREGATIONE RITUUM.

Dicemus 1° quomodo instituta sit, quem in finem, et quibus personis constet : 2° de variis ipsius comitiorum speciebus, de ipsius procedendi modo, et de lege secreti.

(1) Inter manuscripta, quæ dum Parisios sub Napoleone I transveherentur, maris unda (ut mihi dictum est) conspersa sunt, fuerunt et isti *Libri decretorum.*

§ I.

Quomodo instituta sit, quem in finem, et quibus personis constet.

1° Eam instituit Sixtus V (Constitutione *immensa* 22 januarii 1587).

2° Quemnam autem in finem, seu ad quod explendum officium, sic exprimit in dicta Constitutione laudatus Pontifex : « Congregatio quinta, pro sacris ritibus et cœremoniis... Cardinales delegimus, quibus hæc præcipue cura incumbere « debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus « Urbis et Orbis ecclesiis, etiam in capella nostra Pontificia, « in missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione, « cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis « personis diligenter observentur ; cœremoniæ si oxoleverint « restituantur, si depravatæ fuerint reformentur ; libros de « sacris ritibus et cœremoniis, imprimis pontificale, rituale, « cœremoniale, prout opus fuerit reforment et emendent ; « officia divina de sanctis patronis examinent, et, Nobis prius « consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant « circa sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte, et ex Patrum traditione « fiant ; et ut reges et principes eorumque oratores, aliæque « personæ, etiam ecclesiasticæ, ad Urbem Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicæ dignitate ac benignatate honorifice more majorum excipiantur, cogitationem « suscipiant seduloque provideant : controversias de præcedentia in processionibus aut alibi, cæterosque in hujusmodi « sacris ritibus et cœremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant. » Versatur ergo hujusce Congregationis officium, *primo* circa causas beatificationum et canonizationum : *secundo* circa cætera omnia quæ sacros ritus et cœremonias cultumque divinum respiciunt.

Licet autem interveniat in discutiendis beatificationum et canonizationum causis, non tamen ad eam pertinet beatificationem aut canonizationem decernere : decretum illud fert Summus Pontifex in Consistorio, audita prius Cardinalium omnium et præsentium Romæ Episcoporum sententia.

3° Constat Congregatio hæc Cardinali Præfecto ; pluribus aliis Cardinalibus ; pluribus Consultoribus ; Secretario ; substituto Secretarii ; Cancellario ; Hymnographo, cujus munus est officia sanctorum aliaque ad id pertinentia ordinare ac corrigere. Interveniunt etiam magistri cœremoniarum Apostolicarum, et quandoque, ubi quæstio est de sacris ritibus, eorum votum exquiritur.

4° Cardinalis qui causam refert, vocatur *ponens* seu *relator*. In causis autem beatificationum et canonizationum, « Summus Pontifex ille est, qui causam uni potius quam alteri « referendam committit, juxta decretum editum die 25 februarii 1665 : *Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa « VII, in benigna audientia a Sanctitate sua habita, mihi secretario significavit, mentem Sanctitatis suæ esse, deinceps in unaquaque causa beatificationis et canonizationis beatorum et servorum Dei, velle Sanctitatem suammet deputare ac subrogare « in relatorem Cardinalem sibi bene visum ; ideoque in posterum « ita fieri et servari mandavit.* » (Benedictus XIV, *de Beatificatione*, l. 1, c. 16, n. 12).

Solet autem a Papa designari in Relatorem ille Cardinalis, qui relationem fecit de processu ab Ordinario loci confecto (ibidem).

5° Inter Consultores plures sunt qui dicuntur Consultores *nati ;* « ex eo quod, statim ac determinato quodam munere « vel dignitate exornantur, intelliguntur etiam facti Consultores Congregationis sacrorum Rituum » (Benedictus XIV, loco cit., n. 13). Sunt autem sequentes : Episcopus Apostolici sacrarii Præfectus, vulgo *sacrista ;* Protonotarius Congregationis sacrorum Rituum ; tres antiquiores Rotæ auditores ; Auditor Summi Pontificis ; assessor Sacræ Congregationis uni-

versalis Inquisitionis; magister sacri Palatii; fidei Promotor; et Secretarius ipsiusmet Congregationis Rituum.

Consultores ad clerum regularem pertinentes, assumi solent ex variis ordinibus ut sequitur : unus e Patribus Dominicanis; unus ex Minoribus Observantibus; unus e Societate Jesu; unus e Minoribus Conventualibus; unus e Congregatione clericorum regularium Barnabitarum; et unus ex ordine servorum B. Mariæ Virginis. (Vide Benedictum XIV, loco cit.).

6° Præcepit Clemens XII, die 11 mai 1733, *ut, cum causæ cujuscumque Beati vel servi Dei, ordinem aliquem vel religionem dum vita frueretur professi, tractantur, Consultores qui de prædicto ordine vel religione sunt, Congregationibus omnibus, tam antepræparatoriis et præparatoriis, quam generali coram Sanctissimo, omnino non intersint; exceptis tamen personis in dignitate episcopali constitutis, necnon sacri palatii Apostolici magistro* (apud Benedictum XIV, loco cit., n. 14).

§ II.

De variis speciebus comitiorum, quæ a S. Congregatione Rituum habentur; de ipsius procedendi modo; et de lege secreti qua ipsius membra obstringuntur.

I. *De variis comitiorum speciebus.* — Distingui Solet S. Congregatio rituum in *extraordinariam* et *ordinariam*. Subdividitur extraordinaria in *ante-præparatoriam*, *præparatoriam* et *generalem*.

1° Congregatio *extraordinaria* non habetur nisi quoad causas beatificationis aut canonizationis; ad deliberandum nempe, vel super virtutibus, vel super miraculis, vel super martyrio, aut demum super dubio finali, an tuto procedi possit ad beatificationem seu canonizationem.

« Congregatio *ante-præparatoria* cogitur in ædibus Cardi-
« nalis causæ relatoris, cum ipse opportunum judicaverit :
« eidemque interveniunt Consultores Sacræ Congregationis
« et magistri cœremoniarum. Suffragium præstatur a solis

« Consultoribus, minime vero a Cardinali relatore : et in illa « discutitur unica causa beatificationis seu canonizationis, « aut super dubio virtutum, aut super dubio martyrii, aut « super dubio miraculorum. Hujus Congregationis *ante-præ-* « *paratoriæ* nulla fit mentio in decretis Urbani VIII, nec in « novissimis Innocentii XI : fuit enim post instituta, ut ani- « mus videlicet Cardinalis causæ relatoris instruatur; utque « ipse, auditis consultorum suffragiis, merita causæ et diffi- « cultates bene perspectas habeat.

« Congregatio *præparatoria*, de qua sermo habetur in de- « cretis generalibus Urbani VIII, cogitur ad libitum Cardi- « nalis causæ relatoris in Apostolico Palatio, in quo Summus « Pontifex habitat; et ei interveniunt Cardinales omnes sa- « cris ritibus præpositi, consultores Sacræ Congregationis Ri- « tuum, et magistri cæremoniarum. Suffragium fertur a solis « Consultoribus, a Cardinalibus nequaquam. Quemadmodum « enim fit Congregatio *ante-præparatoria* ut instruatur animus « Cardinalis causæ relatoris, ita fit Congregatio *præparatoria* « ut instruantur animi omnium Cardinalium, qui deinde in « Congregatiione generali mentem suam aperire debent et « suffragium dare.

« Congregatio postea *generalis* cogitur coram Summo Pon- « tifice ; et in ea suffragium præstatur primo a Consultoribus, « deinde a Cardinalibus, vel super virtutibus, vel super mi- « raculis, vel super martyrio, aut demum super dubio finali, « an in hac vel illa causa tuto procedi possit ad beatificatio- « nem seu canonizationem. (Benedictus XIV, *de Beatificatione*, l. 1, c. 16, n. 5 et seq.). Dicta Congregatio generalis bis ad summum quolibet anno fieri solet; et in unaquaque non dis- cutitur nisi unica causa.

2° Congregatio *ordinaria* illa est in qua dirimuntur cæteræ omnes quæstiones, ad sacros ritus divinumque cultum perti- nentes. Imo in ipsa etiam quandoque expenduntur certa quæ- dam dubia, in causis beatificationis vel canonizationis occur- rentia, et quæ particularem discussionem merentur : de qua

specie dubiorum exemplum præbet Benedictus XIV (loco cit., n. 4), in hunc modum: « Excitata, occasione dubii super virtutibus theologalibus et cardinalibus venerabilis servæ Dei « Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, oppositione amicitiæ contractæ cum Maria Angelica Arnauld Portus regii « Abbatissa, et communicationis habitæ per litteras cum « Joanne Vergerio de Hauranne Abbate Sancirano, hujus oppositionis examen, ex qua progressus causæ ad ulteriora « impeditus remanebat, ad sacrorum rituum Congregationem « *ordinariam* coram nobis habendam delatum est : in qua « auditis Cardinalium suffragiis, dilataque propositi dubii resolutione, ut interim divinam opem imploraremus, die demum 10 septembris 1741 decrevimus, objectas oppositiones non obstare quonimus ad ulteriora procederetur. » Unde, licet Congregatio sit *ordinaria*, dicta quædam dubia, ad beatificationem vel canonizationem relativa, in ea excutiuntur, et quandoque coram ipsomet Summo Pontifice. At hoc raro contingit; et ut plurimum in *ordinaria* Congregatione expediuntur, ut diximus, cæteræ quæstiones circa ritus aut divinum cultum; non autem quæstiones beatificationem aut canonizationem respicientes.

In hac *ordinaria* Congregatione interveniunt Cardinales sacris ritibus præpositi, sacrista (ille nempe Episcopus qui Apostolici sacrarii curam gerit), protonotarius, secretarius, fidei promotor, et magistri cæremoniarum.

Nota. — Quandoque contingit ut Summus Pontifex aliquid expendi mandet, non ab omnibus Congregationis rituum Cardinalibus, sed ab aliquibus; et cum aliquibus, vel sine ullis Consultoribus. Ejusmodi Congregatio *particularis* a Benedicto XIV vocatur. In ea interveniunt secretarius et fidei promotor.

II. *Procedendi modus.* — Diversus est, prout ordinaria vel extraordinaria est Congregatio.

1° Quoad *ordinariam* Congregationem, hæc servari solent: ponuntur causæ *in folio*, et aliquot diebus ante Congregatio-

nem distribuuntur impressa hujus folii exemplaria Eminentissimis Patribus. Coacta Congregatione in palatio Apostolico, Cardinalis qui ad proponendam causam designatus fuit, quique *ponens* dicitur, eam exponit. Soli Cardinales suffragium ferunt : cæteri vero ad interrogata respondent. Pronuntiata resolutione, Secretarius de ea ad Sanctissimum refert. Quo annuente, fit decretum in forma authentica, et subscribitur a Cardinali præfecto et secretario, ac sigillo munitur.

« In hac Congregatione duo negotiorum genera pertra-
« ctantur : alterum contentiosum inter partes litigantes, al-
« terum pacificum. Ad hoc spectant ea quæ sacros ritus et
« divinum cultum concernunt; nimirum approbatio officio-
« rum... Ad alterum genus contentiosum referuntur quæstio-
« nes de præcedentiis et præeminentiis.» (Plettenberg, *Notitia Congregationum,* pag. 707, edit. Hildesii 1693). Porro pro causis illis *contentiosis,* sumuntur prævio extrajuciales informationes, sive ab Ordinario loci, sive a superiore regulari, pro causæ qualitate : et postea *extra-judicialiter,* et gratis causæ istæ deciduntur.

Decisiones autem et decreta, quæ prædicto modo emanarunt in Congregatione *ordinaria*, collecta et edita sunt (cum ejusdem S. Congregationis facultate), ab Aloysio Gardellinio, usque ad annum 1826. Collectionem continuavit Josephus de Ligne usque ad annum 1848. Quam nunc iterum cudendam, et ad annum 1856, protrahendam curat Rev. Capalti, ejusdem Sacræ Congregationis Secretarius. Inscribitur collectio hæc *Decreta authentica Congregationis sacrorum rituum,* et vocari solet *Collectio Gardelliana.*

2° Quoad Congregationem *extraordinariam*, in qua nonnisi de causis beatificationis aut canonizationis agitur, plura jam supra diximus, quæ procedendi modum respiciunt. Hæc autem insuper adnotanda visa sunt :

Nequeunt Consultores in ulla beatificationis aut canonizationis causa postulatorum munus suscipere. (Vide apud Ferraris, v. *Ritus,* n. 35).

Officium ipsorum est diligenter legere informationes omnes, summaria, scripturas tum facti tum juris, animadversiones fidei Promotoris, responsiones et replicationes. Tenentur audire verbales informationes procuratorum, advocatorum et postulatorum. Item tenentur accedere statutis diebus ad Congregationes, et in illis ferre suffragium. Secreti lege obstringuntur eo modo qui dicetur infra. Debent manifestare, an oretenus vel in scriptis sibi fuerint causæ beatificationum et canonizationum commendatæ; prout injungitur in decreto Clementis XII, die undecimo maii 1733, n. 15, in quo decreto exhibetur formula juramenti, ad id a Consultoribus præstandi (Vide apud Ferraris, v. *Ritus*, n. 36).

Consultores sedent cum suffragium præstant in Congregationibus ante-præparatoria et præparatoria; stant autem cum suffragium ferunt in Congregatione generali coram Summo Pontifice: et postquam omnes suffragium dederunt, exeunt aula Congregationis, remanentibus in ea Summo Pontifice, Cardinalibus S. Congregationis, Secretario ejusdem, fidei Promotore, et Magistris cœremoniarum. (Ferraris, ibid., n. 44).

III. *De secreto servando.* — 1° Imposita est secreti servandi obligatio quoad Congregationem *extraordinariam*, in qua scilicet ventilantur beatificationum et canonizationum causæ. 2° Servandum est secretum quoad ea omnia quæ fiunt, sive in Congregatione *generali*, sive etiam in *præparatoria* et *ante-præparatoria*. 3° Servandum est dictum secretum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua præter Summum Pontificem, nullus (ne ipse etiam major pœnitentiarius) extra mortis articulum absolvere potest. 4° Secreti lege obstringuntur quicumque dictis comitiis intersunt, videlicet Cardinales, consultores, secretarius, fidei promotor, tres supra dicti rotæ auditores, et magistri cœremoniarum. 5° Ad legendas scripturas et studendum causis, potest unusquisque Cardinalis duorum familiarium auxilio uti; sed et hi juramentum de servando secreto emittere debent. 6° Item potest quilibet ex supra dictis tribus Rotæ auditoribus, quoad dictas beatificatio-

num et canonizationum causas opera uti unius familiaris, similis juramenti religione obstricti. 7° Consultores vero non possunt (nisi ex speciali Summi Pontificis concessione) ullius opera uti; sed debent per seipsos scripturas legere et causis studere. 8° Potest tamen quilibet Consultor, quin impositam secreti legem ullatenus violet, difficultates proponere procuratoribus et advocatis, qui ipsum pro verbali informatione adeunt. Potest, inquam, difficultates *proponere,* non autem quid ipse sentiat manifestare. Hæc omnia firmata reperies apud Benedictum XIV *(de Beatific.,* l. 1, c. 16). 9° Formula juramenti quoad Cardinales, quia etiam (mutatis mutandis) utuntur alii, tenoris est hujusmodi : « Nos infra scripti sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Congregationis sacrorum Rituum, tactis per nos sacrosanctis evangeliis coram nobis positis, juramus et promittimus fideliter exercere officium nostrum in his quæ proponuntur in Congregationibus sacrorum Rituum habendis coram Sanctissimo, et non revelare nec loqui, nisi cum aliis dictæ Congregationis Cardinalibus, tribus antiquioribus Rotæ auditoribus, Consultoribus et officialibus prædictæ Congregationis, ac duobus familiaribus ab unoquoque nostrum deputandis, quæ fient aut tractabuntur, non solum in causis spectantibus ad dictam Congregationem, sed etiam in aliis ad illam non spectantibus, in dicta Congregatione coram Sanctitate sua, occasione discursus de rebus Magnatum, Religionum, vel aliis gravioribus occurrentibus, sub pœna perjurii et excomunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice dumtaxat (excluso etiam majori pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possimus: et sub eadem pœna perjurii et excommunicationis de qua supra, juramus similiter et promittimus, quod, si per litteras aut supplices libellos, sive etiam oretenus, vel per interpositas personas, commendationes a quocumque, etiam cujusvis dignitatis et præeminentiæ, nobis factæ fuerint de causis pertractandis in dictis Congregationibus, præfatas litteras scienter non aperiemus, sed

« clausas et sigillatas mandabimus consignari in manibus se-
« cretarii dictæ Congregationis : si vero non informatos de
« contentis in prædictis litteris contigerit per nos aperiri et
« legi, si eædem continebunt similes commendationes tan-
« tummodo, pariter eas transmittemus ad eumdem secreta-
« rium : verum si de aliis negotiis in prædictis litteris pertra-
« ctabitur, mandabimus transcribi illam tantum partem con-
« tinentem commendationem, diem datæ, et locum, necnou
« etiam subscriptionem illius qui negotium commendavit;
« quam pervenire curabimus ad manus prædicti secretarii :
« atque eisdem litteris non rescribemus, nisi de mandato
« dictæ Congregationis : et saltem in ipso actu votandi pro-
« palabimus a quo vel a quibus causa fuerit nobis commen-
« data. Et ita præfati Cardinales promittimus et juramus : sic
« nos Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia. »

Nota.—De auctoritate et vi obligatoria decretorum S. Congregationis rituum, dicimus infra, parte 3, sectione 2.

CAPUT VI.

DE S. CONGREGATIONE SUPER DISCIPLINA REGULARI ; NECNON DE S. CONGREGATIONE SUPER STATU REGALIUM, A PIO IX INSTITUTA.

De utraque hac Congregatione visum est sub eodem capite disserere, ut facilius perspiciat lector quam affinitatem inter se habeant, in quibus differant, et quæ fuerint utriusque vices.

§ I.

Quomodo Sacra Congregatio *super statu regularium* erecta fuerit ab Innocentio X, et a Clemente IX confirmata.

Hujusce Congregationis institutionem, ac facultates ipsi tributas exponit, simulque eamdem Congregationem confirmat Cle-

mens IX, Constitutione *injuncti,* 11 aprilis 1668, in hunc modum : « Cum... Innocentius Papa IX, prædecessor noster, « Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, ac Romanæ Curiæ Prælatorum *super statu regularium* instituerit; « ipsique Congregationi sic institutæ, intra fines Italiæ et insularum adjacentium, designandi ac deputandi, pro novitiatibus et professoriis, conventus, monasteria, collegia, ac « domos quorumcumque monachorum ac regularium virorum « cujusvis ordinis mendicantium...; et hujusmodi novitiatus « et professoria mutandi, transferendi, suspendendi, et suppri- « mendi...; dandi licentias superioribus regularibus ad quos « pertinet recipiendi in novitiatibus sic deputatis novitios ad « habitum et professionem sub regulis et formulis ab eadem « Congregatione jam præscriptis seu præscribendis; præfigendi « seu taxandi numerum religiosorum in singulis conventi- « bus...; exequendi Constitutionem ejusdem Innocentii præ- « decessoris quæ incipit *instaurandæ*, necnon decretum quod « incipit *in parvis...;* et decidendi controversias emergentes « inde ; ac demum promovendi executionem decretorum re- « colendæ memoriæ Clementis Papæ VIII super reformatione « regularium...; et in præmissis omnibus etiam pœnis et cen- « suris ecclesiasticis procedendi facultates attribuerit : Nos... « motu proprio... prædictam Congregationem confirmamus. » Ergo Congregatio hæc *super statu regularium* (quæ anterior fuit Congregatione *super disciplina regulari*) habuit quoad aliqua potestatem restrictam ad regulares Italiæ et adjacentium insularum ; quoad aliqua vero (nempe quoad executionem decretorum Clementis VIII) universalem, id est totius orbis religiosos attingentem.

§ II.

Quomodo Innocentius XII Congregationem ***super statu regularium*** suppresserit, et Congregationem ***super disciplina regulari*** instituerit.

In Constitutione sua *debitum,* 4 augusti 1698, 1° narrat laudatus Pontifex, a se jam institutam fuisse Congregationem

super disciplina regulari: 2° eamdem confirmat: 3° huic Congregationi *quoad regulares Italiæ et adjacentium insularum* easdem ferme facultates tribuit, quas superiori paragrapho vidimus a Clemente IX tributas fuisse Congregationi *super statu regularium:* 4° insuper, quoad regulares totius orbis, vult dictæ Congregationis *super disciplina ragularium* proprium munus esse, *Romano Pontifici ea jugiter suggerere ac proponere, quæ pro eorumdem regularium fovenda seu reparanda disciplina, opportuna fore in Domino judicaverit:* 5° his ita constitutis, jam fere inutilis remanebat S. Congregatio *super statu regularium;* quapropter eam supprimit Innocentius XII. Et extincta remansit usque ad Pium IX feliciter regnantem, qui sub eodem nomine, non eamdem, sed diversam S. Congregationem instituit, ut exponitur sequenti paragrapho.

§ III.

Quomodo Pius Papa IX novam Sacram Congregationem ***super statu regularium*** instituerit, non suppressa, sed aliquatenus immutata Sacra Congregatione ***super disciplina regulari.***

I. Jam ab initio Pontificatus sui, mente revolvens Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX, qua ratione in multis virorum religiosis institutis reduci valeret primævus sanctimoniæ vigor atque splendor, ratus id, non ordinariis jamdudum adhiberi solitis mediis, sed validioribus quibusdam et efficacioribus esse obtinendum, decreto diei 7 septembris 1846, Sacram instituit Congregationem, quæ tanti momenti negotium aggrederetur, quam de *statu regularium ordinum* nuncupavit.

Constat Congregatio illa nonnullis Cardinalibus. Secretarius autem idem est ac Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium.

Dictæ Sacræ Congregationis institutionem et finem declaravit Pius IX, Encyclica sua *ubi primum* (17 junii 1847), ad superiores regularium ordinum directa, in qua sic habetur:

« Has igitur ad vos, dilecti filii, qui eorumdem ordinum moderatores estis, litteras damus..., quibus consilium a Nobis de regulari disciplina instauranda susceptum significamus. Quod quidem consilium eo omnino contendit, ut, Deo bene juvante, illa omnia statuere et perficere valeamus, quæ ad cujusque religiosæ familiæ incolumitatem prosperitatemque tuendam, ad populorum utilitatem procurandam, Deique gloriam promovendam magis possint conducere... Ut autem tanti momenti negotium... optatum exitum obtineat..., peculiarem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem instituimus, quam de *statu regularium ordinum* nominavimus. »

In epistola autem ejusdem dici, qua præfatam Encyclicam ad locorum Ordinarios mittit, ab ipsis postulat Pius IX, ut præfatæ S. Congregationi significent quæ ad intentum scopum utilia censerent : « quoniam... peculiarem... Cardinalium Congregationem instituimus, quam *de statu regulariun ordinum* nominavimus, idcirco tuum erit, pro tua pietate et prudentia eidem Congregationi ea omnia significare, quæ ad optatum exitum obtinendum magis in Domino expedire censueris (1). »

II. Ex dictis patet, non restitutam fuisse a Pio IX priscam Congregationem *super statu regularium*, sed potius novam sub eodem nomine creatam ; ut satis perspiciet lector, conferendo prioris scopum et facultates paragrapho primo expositas, cum scopo in citatis Pii IX litteris expresso. In eo præcipue stat discrimen, quod priscæ, ab Innocentio XII suppressæ, proprium officium fuerit, jam editorum pro instauranda regulari disciplina decretorum executionem atque observantiam urgere : atvero satis indicat Pius IX citatis litteris, eo consilio institui a se dictam Congregationem, ut *nova* hac de re præparentur ac condantur decreta. Hinc non dixit *restituimus*,

(1) Citatas Pii IX Encyclicam et epistolam in extenso refert auctor *Synopsis Congregationum*, pag. 131 et 137, edit. Lovanii 1835.

sed *instituimus;* quia revera non prisca restituebatur, sed diversa instituebatur.

III. Non suppressa est a Pio IX altera S Congregatio, *super disciplina regulari* nuncupata. Notabilem tamen in ea immutationem induxit, statuendo per organum secretariæ status, die 12 martii 1856, ut Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium Cardinalis Præfectus præfecturam simul gereret Congregationis *super disciplina regulari*. Præterea officium *Romano Pontifici opportuna suggerendi pro fovenda et reparanda regularium disciplina* erat S. Congregationi *super regulari disciplina* proprium : at nunc potius expletur per alteram Congregationem a Pio IX institutam.

Hinc minoris momenti hodie est Congregatio *super disciplina regulari:* præsertim cum multæ causæ ad ipsam pertinentes, respectivis religiosorum ordinum protectoribus Cardinalibus dirimendæ frequenter committantur, et in cæteris cumulativam cum ipsa jurisdictionem habeat S. Congregatio Episcoporum et regularium.

IV. Dicta autem a Pio IX nuper instituta *de statu regularium* Sacra Congregatio plura jam edidit maximi momenti decreta, quæ sequenti paragrapho colligenda visa sunt.

§ IV.

Decreta et declarationes S. Congregationis super statu regularium.

Documenta illa sub distinctis numeris subjicimus hoc ordine : 1° decretum de receptione novitiorum ad habitum et professionem : 2° decretum de Ordinariorum testimonialibus litteris, pro dicta receptione requirendis: 4° instructio pro examinandis iis qui ad habitum admitti postulant: 5° decretum quo statuitur, ut peracta probatione, novitii simplicia dumtaxat vota emittant, et nonnisi post tres annos ab emissis simplicibus, ad solemnium emissionem admittantur.

I.

« Decretum Sacræ Congregationis super statu regularium, auctoritate Sanctis-
« simi Domini nostri Pii PP. IX editum, de receptione novitiorum ad habi-
« tum et professionem. »

« Regulari disciplinæ instaurandæ, ubi collapsa fuerit, vel
« servandæ ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admit-
« tendis novitiis ad habitum et ad professionem maximam cu-
« ram adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna voca-
« tione ducti, morum honestate, cæterisque dotibus prædi ti
« religionem ingrediuntur, cupientes Deo inservire, mundi
« pericula evitare, et spirituali proximorum saluti qua exem-
« plo qua opere ad præscriptum instituti, quod profitentur,
« consulere. Ex novitiis enim religionis bonum vel malum
« prorsus pendet : quandoquidem hi sunt religionum semina,
« hi sunt novi palmites Dei vineam novellantes. Sed si semi-
« na, si novitiæ vites infectæ sint, nonnisi fructus mali colligi
« possunt. Quapropter Romani Pontifices, et præsertim Six-
« tus V (1), Clemens VIII (2), Innocentius X (3), et Innocen-
« tius XII (4), saluberrima edidere decreta, quibus leges in
« admittendis novitiis servandæ constituebantur. Cum igitur
« Sanctissimus D. N. Pius PP. IX ab ipsis Pontificatus sui
« primordiis pastoralis vigilantiæ studia convertenda esse du-
« xerit ad religiosarum familiarum disciplinam totis viribus
« promovendam, prædecessorum suorum vestigia sectando,
« certam stabilemque legem constituendam esse existimavit,
« quæ in admittendis novitiis ad habitum et professionem
« servari omnino deberet. Re igitur demandata S. R. E. Car-
« dinalibus hujus S. Congregationis de statu regularium a

(1) Const. *Cum de omnibus* anni 1587.

(2) Decreto cui initium *Sanctissimus in Christo Pater*, diei 19 maii 1602.

(3) Instructione *ad propagandam*, diei 5 novembris 1654.

(4) Decreto *Sanctissimus in Christo Pater*, diei 18 julii 1695.

« Sanctitate sua institutæ, eminentissimis Patribus, universa « rei ratione sedulo diligenterque perpensa, necessarium vi- « sum est, in admissione novitiorum ad habitum et professio- « nem, partes concedendas esse nedum inferioribus Prælatis, « et superioribus generalibus, verum etiam nonnullis aliis « religiosis viris probatæ vitæ, regularis disciplinæ zelo fer- « ventibus, consilio et gravitate præstantibus, ut eorum, qui « religiosæ familiæ nomen daturi sint, indolem, ingenium, « mores, cæterasque necessarias dotes accurate explorent, et « sedulo investigent, quo consilio, quo spiritu, qua ratione « ad regularem vitam ineundam ducantur, et eos tantum « probent, quos secundum Deum idoneos esse revera consti- « terit. Sententiæ S. Congregationis Sanctissimus in Christo « Pater inhærens, ea quæ sequuntur, pro Italia et insulis « adjacentibus, hoc perpetuis futuris temporibus valituro de- « creto, Apostolica sua auctoritate statuit atque decernit.»

« Pars prima decreti. — *De lege servanda in probandis iis qui « ad habitum religiosum admitti postulant.* — Art. 1. Qui du- « plici scrutinio juxta modum inferius exprimendum proba- « tus non fuerit, ad habitum nullo prorsus modo admittatur « in quocumque ordine, congregatione, societate, instituto, « monasterio, domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive « simplicia, et licet agatur de ordinibus, congregationibus, « societatibus, institutis, monasteriis ac domibus, quæ, ex pe- « culiari privilegio etiam in corpore juris clauso vel alio quo- « vis titulo, in decretis generalibus non comprehenduntur, « nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat.

« Art. 2. In qualibet provincia habeantur octo examina- « tores, scilicet provinciales, et septem alii idonei religiosi « probatæ vitæ, prudentia, gravitate, ac zelo disciplinæ regu- « laris præditi. a capitulo seu congregatione provinciali per « secreta suffragia eligendi, ita tamen ut si in provincia sint « definitores, vel consultores vel assistentes, vel alii, quo- « cumque appellentur nomine, consiliarii provinciales, duo ex « ipsis in examinatores deligantur. Examinatores in præfato

« munere usque ad novum provinciale capitulum seu con-
« gregationem perdurabunt.

« Art. 3. Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, pro-
« vincialis omnia exquirat documenta et requisita ad præ-
« scriptum SS. Canonum, Constitutionum Apostolicarum, de-
« cretorum S. Congregationum, ac statutorum Ordinis, et
« diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab
« omni defectu et impedimento immunis sit, et necessariis
« dotibus præditus, religioso statui idoneus, ac etiam an amore
« perfectioris vitæ et Deo liberius in Religione serviendi,
« seu potius levitate aut necessitate, vel alio inordinato fine
« ductus admitti postulet. Deinde omnia præfata documenta
« et informationes tradat saltem tribus ex provincialibus
« examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint consangui-
« nei, vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio per-
« pendant. Indicto examinis die, provincialis cum delectis ab
« ipso examinatoribus conveniet, et postquam ipse et alii exa-
« minatores juraverint ad Sancta Dei Evangelia, *se quacumque*
« *humana affectione postposita fideliter munus executuros,* postu-
« lantem examinent, eoque ab examinis loco dimisso, ejus
« documenta, qualitates, et requisita, aliaque, quæ superius
« notata sunt, serio expendant, et deinceps per secreta suf-
« fragia judicent an dignus sit, qui approbetur; super quibus
« omnibus provincialis et aliorum examinatorum conscientia
« graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat
« intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem
« obtinuerit. Si postulans præfato scrutinio probatus fuerit,
« examen et scrutinium, scripto fideliter exaratum, provin-
« cialis et unusquisque ex examinatoribus manu propria sub-
« scribet, declarando etiam sese omnia requisita a SS. Cano-
« nibus, Constitutionibus et decretis Apostolicis et regulis,
« et statutis respectivi ordinis præscripta, debito modo exa-
« minasse : hujusmodi vero relationem examinis et scrutinii,
« et respectivam declarationem jurejurando confirment. Qui-
« bus peractis, provincialis præfatam relationem et declara-

« tionem, una cum authenticis documentis, ad superiorem « generalem, vel ad procuratorem generalem, prout inferius « in art. 11 explicabitur, transmittet. Ne autem hujus decreti « executio differatur usque ad celebrationem proximi capi- « tuli vel congregationis provincialis, interim examinatores « provinciales eligantur per secreta suffragia a provinciali, « una cum suis definitoribus, vel assistentibus, vel aliis con- « siliariis provincialibus ; et si hujusmodi definitores, assis- « tentes, consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a « provinciali una cum quatuor religiosis graduatis, vel gra- « vioribus, si graduati desint, ejusdem provinciæ, ab eodem « provinciali deputandis.

« Art. 4. In ordinibus, aliisque institutis, in quibus pro- « vinciales non existunt, vel provincialia capitula seu con- « gregationes non celebrantur, examinatores pro unaquaque « domo novitiatus eligantur juxta superius præscriptam me- « thodum a capitulo, dieta, seu congregatione generali ; et « superior ejusdem domus loco provincialis habeatur, cujus « erit convocare examinatores, et alia peragere, quæ in art. 3 « statuta sunt. Verum cum hoc in casu ob pauciorem religio- « sorum numerum contingere possit, ut septem examinatores « eligi minime valeant, examinatores numero minores, non « tamen citra quatuor, eligi poterunt. Si autem hujusmodi « capitula, dietæ, et congregationes generales statim non « convocentur, interim electio examinatorum fiat juxta mo- « dum in art. 5 designandum.

« Art. 5. Si institutum constet aliquo tantum separato mo- « nasterio, conventu, vel domo, nec in congregationem ere- « ctum sit, et capitulum, dietam, congregationem generalem « minime habeat, examinatores capitulariter per secreta suf- « fragia a superiore, et capitularibus ejusdem monasterii, « conventus vel domus eligantur, et quoad eorum numerum « serventur, quæ in art. 4, definita sunt, ac in officio ad « triennium perdurent.

« Art. 6. Præter memoratos examinatores provinciales in

« quolibet ordine, congregatione, societate, instituto, alii « septem examinatores generales constituantur, qui tamen « ad quatuor reduci poterunt in iis ordinibus et institutis, « in quibus ob pauciorem religiosorum numerum septem ha- « beri nequeant. Hi ex gravioribus, et prudentioribus reli- « giosis viris probatæ vitæ, ac zelo regularis disciplinæ præ- « ditis, per secreta suffragia in capitulo, dieta, vel congrega- « tione generali eligentur ; ita tamen ut si agatur de Ordine, « in quo sint definitores, assistentes, consultores, visitatores, « vel alii consiliari generales, duo ex ipsis in examinatores « deputentur. Examinatores generales in officio usque ad « futurum capitulum, dietam, vel congregationem generalem « perdurabunt. Superior generalis erit præses cum suffragio « in consilio examinatorum ; et procurator generalis uti exa- « minator natus præter electos habendus erit.

« Art. 7. Examinatores generales, in intervallo quod inter- « cedet a data hujus decreti usque ad celebrationem proximi « capituli, dietæ, vel congregationis generalis, eligantur per « secreta suffragia a superiore generali, una cum saltem tri- « bus religiosis graduatis seu gravioribus ordinis ab eodem « generali superiore deputandis et deligendis, ex definitori- « bus, visitatoribus, assistentibus, vel consultoribus genera- « libus si adsint.

« Art. 8. Si agatur de instituto, quod constituatur ex ali- « quo tantum separato monasterio, conventu, domo, nec in « congregationem erecto, et præter localem, alius major su- « perior non habeatur, superior localis probum et idoneum « deputet religiosum, ut primum scrutinium, de quo in art. 3, « perficiat cum examinatoribus electis juxta art. 5, et ipse « superior localis, cum iis capitularibus ejusdem domus, qui « locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum « scrutinium in art. 10 præscribendum exequetur.

« Art. 9. Quod vero attinet ad ordines et instituta, quæ « licet in congregationem et societatem erecta sint, tamen « in iis capitula, dietæ, et congregationes generales vel non

« celebrantur, vel raro convocantur, in iisdem ordinibus et « institutis auctoritas, quæ capitulis, dictis et congregationi- « bus generalibus circa electionem examinatorum superius « attributa est, conceditur superiori generali cum definitori- « bus, visitatoribus, assistentibus, consultoribus, aliisque, « quocumque nomine appellentur, consiliariis generalibus, ita « tamen ut si definitores, assistentes, aliique consiliari gene- « rales non sint saltem quatuor, superior generalis alios gra- « ves et idoneos religiosos eis adjungat ad enunciatum saltem « numerum constituendum : quæ religiosorum deputatio po- « tiori ratione fieri debeat, si in ordine et instituto definito- « res, assistentes, aliique consiliarii generales non reperiantur. « Quibus in casibus electio examinatorum fiat per secreta « suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos « definitores, assistentes, vel alios consiliarios generales inter « examinatores adnumerare.

« Art. 10. Cum autem superior generalis relationem exa- « minis et scrutinii ac enunciatam superius declarationem « cum authenticis documentis et præscriptum art. 3, rece- « perit, ipse omnia accurate percurrat, ac per singulas partes « expendat, per secretas etiam inquisitiones sedulo investi- « gando num tenor hujus decreti servatus fuerit, et an ad- « versus candidatum et primum scrutinium aliqua exceptio « inveniatur. Quibus peractis superior generalis præfatam « relationem, declarationem, et documenta, ac requisita tra- « dat procuratori generali, et saltem aliis duobus examinato- « ribus generalibus, qui cum candidato nullo consanguinita- « tis vel affinitatis vinculo conjuncti sint ; et quatenus pro- « curator generalis non adsit, tribus saltem examinatoribus « generalibus, ut omnia perpendant juxta modum in art. 3 « designatum. Postea vero indicto die conveniant, et præstito « tam a superiore generali quam a procuratore generali et « cæteris examinatoribus, ut supra, juramento, reque mature « perpensa, per secreta suffragia definiant an approbatio facta « in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda ; super

« quibus omnibus conscientia superioris generalis et exami-
« natorum graviter onerata remaneat. Tunc autem appro-
« batio confirmata intelligatur, quando ejus favore saltem
« unum suffragium supra medietatem habetur.

« Art. 11. Si superior generalis Romæ non resideat, acta,
« de quibus in art. 3, ad procuratorem generalem Romæ
« morantem transmittenda erunt (valde enim expedire visum
« est secundum scrutinium Romæ fieri), dummodo tamen
« idem procurator tres saltem examinatores generales Romæ
« habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in
« casu quoad præmissa omnia vices superioris generalis gerat.
« Quod si examinatores generales nec Romæ degant, nec
« commode vocari possint, eadem acta ad superiorem gene-
« ralem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat
« quæ in art. 3 statuta sunt.

« Art. 12. Superior generalis, sive ipse, sive procurator
« generalis secundo scrutinio præfuerit, poterit candidatum
« ex justis, et rationalibus causis rejicere, licet fuerit ab exa-
« minatoribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero
« admittere eum, qui fuerit ab examinatoribus reprobatus.

« Art. 13. Ut vero candidatus definitive ad habitum reci-
« piatur præter præscriptam legem, et formam, cui omnes
« omnino sese conformare debent, servanda etiam erunt,
« quæ a constitutionibus et statutis respectivi ordinis circa
« receptionem ad habitum ulterius præscribuntur, in ea ta-
« men parte dumtaxat, quæ huic decreto non opponitur.

« Art. 14. Superiores quolibet semestri ad hanc Sacram
« Congregationem super statu regularium summarie referant
« de singulis novitiis ad habitum receptis, de uniuscujusque
« ætate, patria, aliisque qualitatibus, et respectivis docu-
« mentis, necnon de actis confectis pro receptione, deque
« observatione hujus decreti.

« PARS SECUNDA DECRETI. — *De lege servanda in admittendis*
« *novitiis ad professionem.* — Art. 1. Quicumque ex religiosis,
« et novitiis alicujus ordinis, congregationis, societatis, ins-

« tituti, monasterii, domus, de quibus part. 1, decret. art. 1,
« cognoverit novitium sui instituti aliquo impedimento, vel
« gravi defectu præpeditum esse ad religiosum statum rite
« assumendum, impedimentum ipsum et defectum superiori
« conventus novitiatus, vel provinciali, vel superiori generali
« manifestare teneatur. Superiores vero denunciantis nomen
« secretum retineant.

« Art. 2. Prope terminum cujusque trimestris novitiatus
« magister novitiorum provinciali de agendi ratione cujusque
« novitii scripto referat.

« Art. 3. Duobus mensibus ante professionem provincialis
« sive per se, sive per alium idoneum religiosum sibi benevi-
« sum, novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, an
« seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an
« sciat quid agat, an obligationes status religiosi et regulæ
« agnoscat : secreto audiat tum magistrum novitiorum, tum
« novitios, necnon religiosos etiam conversos conventus seu
« domus novitiatus circa novitium ad professionem admitten-
« dum. Quo facto, capitulum conventuale ejusdem conventus,
« seu domus convocet, ut capitulares per secreta suffragia
« declarent an novitius ad professionem admitti possit. Dein-
« ceps omnium actorum et resultantium relationem scripto
« exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui se-
« creto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

« Art. 4. Hujusmodi relationem provincialis tribus saltem
« examinatoribus provincialibus communicet ; et condicto die
« convocet præfatos examinatores et novitiorum magistrum,
« et præstito ab omnibus superius enunciato juramento, ma-
« gister novitiorum referat de novitii agendi ratione in novi-
« tiatu servata, de ejus libertate, vocatione et idoneitate ad
« statum religiosum, et declaret utrum ipse in Domino exi-
« stimet novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero
« magister novitiorum vel ratione distantiæ, vel alia legitima
« causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, tran-
« smittat super præmissis relationem in scriptis, illamque ju-

« ramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincia-
« lis deinceps et examinatores per secreta suffragia definiant
« an novitius necessariis dotibus præditus sit, ut ad professio-
« nem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia gra-
« viter onerata remaneat.

« Art. 5. Si novitius probatus fuerit, provincialis de omni-
« bus instructum reddat superiorem generalem, qui ulterio-
« ribus informationibus, quatenus necessarium judicaverit,
« requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in
« Domino judicaverit, quin tamen unquam permittere possit
« professionem novitii, qui ab examinatoribus provincialibus
« reprobatus fuerit.

« Art. 6. In iis institutis, in quibus provinciales non exi-
« stunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, supe-
« riores domus novitiatus.

« Art. 7. Si quid ulterius exigant constitutiones, et re-
« gulæ alicujus ordinis et instituti in admittendis novitiis ad
« professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte
« quæ tenori hujus decreti minime contraria sit.

« Ut autem suprascriptum decretum quoad utramque ejus
« partem executioni omnino demandetur, Sanctitas sua om-
« nibus ad quos spectat etiam in virtute sanctæ obedientiæ
« districte præcipit plenam illius observantiam ; et quemlibet
« superiorem cujuscumque gradus sit, et instituti quantumvis
« exempti et privilegiati, etiam de necessitate exprimendi,
« qui non servata hujus decreti forma novitium ad habitum
« vel professionem receperit, pœnæ ipso facto incurrendæ
« privationis omnium officiorum, vocisque activæ, et perpe-
« tuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda plane sub-
« jicit, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.
« Mandat etiam singulis superioribus idem decretum quolibet
« anno in omnibus monasteriis, conventibus, collegiis et do-
« mibus, die prima januarii, et Dominica prima julii, in publica
« mensa legi sub pœna privationis officii, ac vocis activæ et
« passivæ, ipso facto incurrenda. Decernit insuper vi cuju-

« cumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, ap-
« probationis regularum et constitutionum, etiam in forma
« specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, institutum,
« superior, religiosus consequeretur, nunquam huic decreto
« derogatum esse censeri, nisi ei expresse, et nominatim de-
« rogetur, licet in concessione derogatoriæ generales quan-
« tumvis amplæ apponantur: quod si alicui instituto expresse,
« et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando
« concedi contigerit, aliis minime extendi posse vi cujuscum-
« que privilegii, et communicationis privilegiorum. Tandem
« Sanctitas sua ne hujus decreti observantia aliqua ratione,
« titulo, prætextu impediatur, quibuscumque in contrarium
« facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cujusvis or-
« dinis, congregationis, societatis, instituti, monasterii, do-
« mus, etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approba-
« tis, necnon cuilibet privilegio licet in corpore juris clauso,
« et apostolicis constitutionibus ac decretis confirmato, ac
« expressa, individua, speciali, et specialissima mentione di-
« gno, aliisque contrariis quibuscumque, Apostolica auctoritate
« prorsus derogat, et derogatum esse declarat. »

« Datum Romæ ex Sacra Congregatione super statu regu-
« larium, die 25 januarii 1840. — ANDREAS CAN. BIZZARRI *a*
« *Secretis.* »

II.

« *Decretum Sacræ Congregationis super statu regularium, auctoritate Sanctis-*
« *simi Domini nostri Pii PP. IX editum, de testimonialibus Ordinariorum*
« *litteris requirendis in receptione illorum qui ad habitum religiosum ad-*
« *mitti postulant.* »

« Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper
« regularium familiarum bono et splendori prospicere non
« omiserunt, illud superioribus pro viribus commendarunt,
« ut antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent,
« de illorum vita, cæterisque dotibus et qualitatibus sedulo

« inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine ma-
« maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum
« quamlibet moderatores ordinum diligentiam adhibeant in
« informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum
« versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistiti-
« bus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad
« habitum religiosum admitti postulant. Ordinarii enim vi
« pastoralis officii oves suas præ cæteris agnoscere possunt, et
« sæpe sæpius ea manifestare impedimenta, quæ alios latent.
« Hæc animadvertens sanctissimus D. N. Pius PP. IX, audito
« voto S. R. E. Cardinalium hujus Sacræ Congregationis su-
« per statu regularium, attentisque postulationibus nonnullo-
« rum Episcoporum, præsenti decreto ubique locorum per-
« petuis futuris temporibus servando, hæc, quæ sequuntur,
« Apostolica auctoritate statuit, atque decernit.

« I. In quocumque ordine, congregatione, societate, insti-
« tuto, monasterio, domo, sive in iis emittantur vota solem-
« nia, sive simplicia, et licet agatur de ordinibus, congrega-
« tionibus, societatibus, institutis, monasteriis, ac domibus
« quæ ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso,
« vel alio quovis titulo in decretis generalibus non compre-
« henduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa
« mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimo-
« nialibus literis tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii
« loci, in quo postulans post expletum decimum quintum
« annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit.

« II. Ordinarii in præfatis literis testimonialibus postquam
« diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de
« postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus,
« ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scien-
« tia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio
« canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus, vel
« reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius. Et
« sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate exposi-
« torum oneratam remanere; nec ipsis unquam liberum esse

« hujusmodi testimoniales litteras denegare; in eisdem tamen « super præmissis singulis articulis ea tantum testari debere, « quæ ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judica- « verint.

« III. Omnibus et singulis superioribus regularibus, aliisque « religiosis, ad quos spectat, cujuscumque gradus sint, et in- « stituti, licet exempti et privilegiati ac de necessitate expri- « mendi, etiam in virtute sanctæ obedientiæ hujus decreti « observantia districte præcipitur: et qui contra hujus de- « creti tenorem, aliquem ad habitum religiosum receperit, « pœnam privationis omnium officiorum, vocisque activæ, et « perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso « incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispen- « sari.

« IV. Vi cujuscumque privilegii, facultatis, dispensationis, « approbationis regularum et constitutionum, etiam in forma « specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis ordo, institutum, « superior, religiosus consequeretur, nunquam huic decreto « derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim « derogetur, licet in concessione derogatoriæ generales quan- « tumvis amplæ apponantur. Quod si alicui instituto expresse « et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando « concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cujus- « cumque privilegii et communicationis privilegiorum.

« V. Quolibet anno, die prima januarii, in publica mensa hoc « decretum legatur, sub pœna privationis officii, ac vocis acti- « væ et passivæ, a superioribus ipso facto incurrenda.

« Ne autem hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo, « prætextu impediatur, Sanctitas sua quibuscumque in con- « trarium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cu- « jusvis ordinis, congregationis, societatis, instituti, monaste- « rii, domus, etiam in forma specifica ab Apostolica Sede ap- « probatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore juris « clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confir- « mato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima men-

« tione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus de-
« rogat, et derogatum esse declarat.

« Datum Romæ ex Sacra Congregatione super statu regu-
« larium, die 25 januarii 1848. — ANDREAS CAN. BIZZARRI, *a*
« *secretis*. »

III.

« *Declarationes a Sanctissimo D. N. Pio PP. IX approbatæ, ad Decreta inci-*
« *pientia* Romani Pontifices *et* regulari disciplinæ, *a S. Congregatione super*
« *statu regularium edita, die* 25 *januarii* 1848. »

« *Declarationes super decreto* Romani Pontifices *ubique loco-*
« *rum servando*. — 1. An sufficiant testimoniales datæ ab Or-
« dinariis per litteras privatas? Respondetur affirmative.

« 2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non
« testantur in specie de iis omnibus, quæ in decreto *Romani*
« *Pontifices* præscribuntur, sed dumtaxat in genere referunt
« de qualitatibus postulantis?

« Ad. 2. affirmative, sed a superioribus regularibus serven-
« tur alia de jure servanda ad singulas qualitates postulantium
« cognoscendas.

« 3. Quid agendum si Ordinarii respondeant se postulantes
non agnoscere?

« Respondetur : posse postulantes admitti ad habitum, et
« novitiatum, si Ordinarius a superiore requisitus expresse
« respondeat sese circa qualitates postulantis informare non
« posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testi-
« monialium defectui per aliam accuratam informationem,
« et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia
« de jure servanda; ad postulantes antequam ad habitum
« admittantur maneant saltem per tres menses in conventu,
« ibique diligenter probentur.

« 4. Utrum superiores admittere possint ad habitum sui ordi-
« nis postulantem absque litteris testimonialibus Ordinarii,

« quando hic affirmat non posse eas dare, quia prohibitus ab « auctoritate civili?

« Respondetur : sufficere testimonium Ordinarii datum « etiam per privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius « a superiore requisitus testimoniales ob expositam superius « causam quovis modo dare renuat, posse postulantem ad- « mitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accu- « ratam informationem, et fide dignam relationem.

« 5. Utrum superiores possint ad habitum ipsum admittere « milites, de quibus Ordinarii affirmant se non posse in Gallia « informare, cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec « parochi ullam de his notitiam habere possint?

« Respondetur : affirmative si Ordinarius a superiore re- « quisitus respondeat se informare ob dictam rationem non « posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accura- « tam informationem et fide dignam relationem suppleatur, « et serventur alia de jure servanda; et insuper postulantes « antequam admittantur ad habitum saltem per tres menses « maneant in conventu, ibique diligenter probentur.

« 6. Quid agendum sit, quando Ordinarii nolunt dare litteras « testimoniales, non aliam ob causam, nisi quia opponuntur « ingressui postulantis in religionem?

« Respondetur : Ordinarios, prout in art. 2 decreti *Romani* « *Pontifices* præscribitur, non posse testimoniales litteras de- « negare : si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad « S. Congregationem super statu regularium.

« 7. In his ordinibus, in quibus præter conversos laicos ha- « bentur donati seu oblati, an testimoniales exigendæ sint « ante susceptionem habitus donatorum et oblatorum, vel « potius conversorum?

« Respondetur : ante susceptionem habitus donatorum et « oblatorum.

« 8. An sit nulla susceptio habitus sine litteris testimonia- « libus?

« Respondetur : susceptionem habitus esse illicitam, non

« tamen invalidam : testimoniales litteras omissas in recep-
« tione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias novitii
« ad professionem licite admitti minime poterunt.

« 9. Utrum sit invalida professio, si fiat omissis testimoniali-
« bus litteris?

« Respondetur : non esse invalidam, sed illicitam.

« *Declarationes super decreto* regulari disciplinæ, *in Italia et*
« *insulis adjacentibus servando.* — 1. Si superior generalis ali-
« cujus ordinis, in quo provinciales non habeantur, sit eodem
« tempore superior conventus, seu domus novitiatus, quo-
« modo se gerere debeat superior ipse in perficiendo primo
« scrutinio?

« Respondetur : superior generalis deputet ad effectum, de
« quo agitur, probum et idoneum religiosum, ut una cum
« præscriptis examinatoribus primum scrutinium perficiat.

« 2. Si aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia
« quacumque causa, numerus examinatorum provincialium,
« vel generalium, in parte, vel etiam totaliter deficiat, nec
« tempus celebrationis capituli, vel dietæ advenerit, quo-
« modo ad eorumdem examinatorum electionem proceden-
« dum erit?

« Respondetur : servetur methodus in decreto *regulari*
« *disciplinæ* (art. 3 et 4, *in fine,* et art. 7), præscripta pro
« electione examinatorum, qui eligendi erant statim post la-
« tum idem decretum, et ante celebrationem proximi futuri
« capituli, vel dietæ; et examinatores sic electi in officio
« perdurent usque ad celebrationem proximi capituli, vel
« dietæ. Quæ methodus etiam servetur quando, ex S. Sedis
« dispensatione, capitula, vel dietæ non celebrantur, et electio
« superiorum per decretum S. Sedis, vel per schedas fiat.

« 3. In aliquibus institutis capitula provincialia ordinarie
« celebrantur prope finem triennii, et in præparationem capi-
« tuli generalis, quin in ipsis eligatur superior provincialis.
« Quomodo hoc in casu ad electionem examinatorum provin-
« cialium procedendum erit?

« Respondetur : examinatores provinciales eligendi erunt a « capitulo provinciali, licet illud celebretur in fine triennii, et « dumtaxat in præparationem capituli generalis. Quod si ali- « qua vice capitulum provinciale non convocetur, electio ad « consultam provincialem ad hunc effectum convocandam « spectabit.

« 4. An ad officium examinatorum sive generalium sive « provincialium ita duo definitores, vel assistentes, vel con- « sultores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii « examinatores ex reliquis definitoribus, assistentibus, con- « sultoribus eligi nequeant?

« Respondetur : negative.

« 5. Utrum in ordinibus et congregationibus, quæ licet « habeant capitula provincialia, tamen religiosorum inopia « laborant, eligendi sint septem examinatores, vel quatuor « tantum sufficiant?

« Respondetur : negative ad primam partem ; affirmative « ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quæ ex « erronea decreti interpretatione originem habeat, auferatur, « sciant omnes ad quos pertinet, in ordinibus tam amplis, « quam exiguis, sufficere tres examinatores provinciales, præ- « ter superiorem procincialem ad primum scrutinium ; et tres « examinatores generales præter superiorem generalem ad « secundum scrutinium peragendum ; et alios examinatores « ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse.

« 6. In articulo III decreti *Regulari disciplinæ*, præscribi- « tur, ut postulantes accedere debeant ad locum primi scru- « tinii, ut ab examinatoribus provincialibus personali examini « subjiciantur. Sæpe sæpius accidit, ut hujusmodi examen « personale absque notabili incommodo postulantium fieri « nequeat, sive ob expensas, sive ob loci distantiam. Quapro- « pter nonnulli superiores regulares expostularunt, quomodo « in hujusmodi casibus sese gerere debeant?

« Respondetur : provincialis (et in institutis, in quibus provin- « cialis non existit, is qui ejus partes juxta decretum adimplere

« debet) cum tribus examinatoribus, ad peragendum examen « personale postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel « ob aliam rationabilem causam, postulantes ab accessu per- « sonali dispensari judicaverint, possint deputare religiosum « sui ordinis, quem in Domino idoneum revera existimave- « rint, si examen fiat in loco, ubi conventus ordinis reperi- « tur ; secus aliquam personam ecclesiasticam sive ex clero « sæculari, sive ex clero regulari ; dummodo Episcopus loci, « vel ejus vicarius generalis eam idoneam judicaverit, trans- « missa examinatori deputato instructione circa ea super qui- « bus postulans examinandus erit. Verum religiosus, vel alia « persona ad examen perficiendum, deputata transmittere « teneatur relationem examinis ab ipso subscriptam jura- « mento firmatam, *quo profiteatur sese fideliter munus suum « adimplevisse quacumque humana affectione postposita.* Quibus « peractis, provincialis dictam relationem tribus examinato- « ribus exhibere debeat, ut scrutinium, de quo in eodem « art. III decreti, in reliquis perficiatur, et cætera omnia, « quæ in decretis præscribuntur, omnino serventur.

« 7. Nonnulli examinatores nimis auxii sunt in præstando « juramento, quo declarare debent *se omnia requisita a Sacris « Canonibus, Constitutionibus, et decretis Apostolicis* præscripta « *debito modo examinasse*, cum non omnes tuto scire possint « quænam sint omnia hujusmodi requisita : expostularunt « propterea ut a Sacra Congregatione super præmissis ins- « tructio detur, qua tuto procedi possit.

« Respondetur : juramentum quoad requisita, et examen « qualitatum referri dumtaxat ad requisita et qualitates « *expresse* et *speciatim* præscriptas in Constit. Sixti V, inci- « piente, *cum de omnibus*, cum moderatione Gregorii XIV ; « et in decreto Clementis VIII, cui initium *cum ad regularem « disciplinam*, nec non in regulis et constitutionibus res- « pectivi ordinis, seu instituti. Et juramento satisfieri, si ea « moralis diligentia adhibeatur, quæ a viris probis et timo- « ratæ conscientiæ adhiberi solet.

« 8. An decretum *regulari disciplinæ* vim habeat in Sabaudia? — Respondetur : affirmative.

« Datum Romæ ex S. Congregatione super statu regula-
« rium, die 1 mai 1851. — Andreas Bizarri Protonot. Apost.
« a secretis. »

IV.

« *Instructio pro examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant,*
« *sive examen ipsum fiat ab examinatoribus provincialibus juxta art.* 3
« *primæ partis decreti* regulari disciplinæ, *sive ab examinatore deputato*
« *juxta declarationem ad dubium VI ejusdem decreti.* »

« 1. Examinatores provinciales seu examinator deputatus
« interrogent postulantem de ejus nomine, parentibus, patria
« et ætate. Diligenter postulantis voluntatem explorent, et
« præsertim an coactus, an seductus sit, et quo spiritu, quo
« consilio, qua ratione ad statum religiosum ducatur, et
« utrum aliquam cognitionem habeat obligationis votorum,
« quæ deinceps emittere debet.

« 2. Si recipiendus uti clericus religionem ingredi postu-
« let, inquirant examinatores vel examinator, an eam litterarum
« rum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indu-
« biam præseferat, ut minores, et suis temporibus majores
« ordines, juxta decreta sacri concilii Tridentini suscipere va-
« leat. Quod si agatur de admittendis ad habitum conversorum,
« rum, an saltem præcipua doctrinæ christianæ capita nove-
« rint. Quoad omnes vero, et præsertim relate ad postulan-
« tes provectioris ætatis, examinatores vel examinator saga-
« cius sed prudenter curent odorari si recte de catholica
« doctrina sentiant, prout conditio cujusque personæ pos-
« tulet.

« 3. Exquirant a postulante utrum ejus parentes, vel alter
« eorum adhuc vivat, quam artem et professionem exer-
« ceant, vel exercuerint, et an adeo pauperes sint, ut filii
« subsidio indigeant.

« 4. Exquirant etiam a postulante ejus conditionem et sta-
« tum, an habeat in sæculo media sufficientis sustentationis;
« si sit ære alieno gravatus; an, et quam artem, vel profes-
« sionem exerceat; an alicui religioso instituto nomen dede-
« rit, vel saltem uti novitius illius habitum induerit, vel ere-
« mitarum habitum susceperit; utrum fuerit inquisitus, aliqua
« nota, infamia, et irregularitate irritatus, gravi morbo affe-
« ctus.

« 5. Videant an postulans notabili deformitate laboret;
« utrum aliquod signum valde infirmæ valetudinis, vel fatui-
« tatem præseferat; et cætera exquirant, quæ in respectivis
« constitutionibus ab admittendis ad habitum in eorum per-
« sonali examine exquirenda præscribuntur.

« 6. Verum licet ex hujusmodi personali examine, si dili-
« genter fiat, plura agnosci possint, et in scrutinio, de quo in
« art. III primæ partis decreti *regulari disciplinæ*, de eodem
« personali examine ratio omnino habenda sit, tamen præter
« illud a provinciali exquirenda sunt documenta et informa-
« tiones, prout in eodem art. III præscribitur, et reliqua om-
« nia perficienda, quæ in enunciatis decretis cum suis decla-
« rationibus decernuntur. »

V.

Decretum quo statuitur ut novitii ad simplicia tantum vota primum admittantur; ad solemnia autem nonnisi post tres annos ab emissione simplicium computandos.

« Reverendissime Pater. Neminem latet, tristissimis hisce
« temporibus, quibus inimici crucis Christi humana divinaque
« omnia pessumdare, ac mores pervertere student, maximam
« adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eo-
« rum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia
« Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui sæculi
« contagione pollutus, tanquam ovis morbida electum Christi

« gregem inficiat, vel veræ vocationis expers, et suscepti in-
« stituti pœniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat, cum
« disciplinæ perturbatione, et regularis observantiæ discri-
« mine. Hinc porro evenit, ut qui ex adverso sunt contra re-
« gulares familias, licet de Christiana et civili republica optime
« meritas, pleno ore blaterent, et culpam, quæ paucorum
« est, in universum cœtum conferant. Ex quo non levi reli-
« gionis damno debita christiani populi erga religiosas fami-
« lias opinio et reverentia vel maxime imminuta. Siquidem
« regulares viri propriæ vocationis assidue memores esse de-
« bent, et omnium virtutum splendore fulgere, atque ex pro-
« prii instituti regula nullis curis nullisque laboribus par-
« cere, ut majorem Dei gloriam, ac sempiternam hominum
« salutem procurare queant. Quod si semper, hisce præsertim
« temporibus ab ipsis majore studio et contentione est præ-
« standum, cum populi licet omnigenis insidiantium hominum
« erroribus fraudibusque misere decepti, tamen et veritatis
« luce, ac sanctissimæ nostræ religionis auxilio se maxime
« indigere sentiant. Quocirca regulares viri, qui auxiliares
« Ecclesiæ milites merito semper dicti et habiti sunt, nihil
« nunc intentatum relinquere debent, ut qua opere, qua voce,
« qua exemplo errorum tenebras dissipent, hominumque
« mentes divinæ nostræ religionis lumine illustrent, errantes
« in omni bonitate, patientia ac doctrina ad veritatis et salu-
« tis semitas perducant, vitiorum germina radacitus evellant,
« ac pietatem, religionem omnemque virtutem ubique fo-
« veant, excitent ac propagent. Ut autem hæc prospere
« feliciterque agere et consequi valeant, caritatem in primis
« præseferant oportet, quæ virtutum omnium parens, et al-
« trix, quæque patiens, atque benigna omnia suffert, omnia
« sustinet, et idcirco necesse est, religiosos ipsos viros arctis-
« simo caritatis vinculo inter se esse conjunctos, quo concor-
« dissimis animis consociatisque studiis præliantes bella Do-
« mini, et quærentes unice quæ Christi sunt, possint Dei
« ejusque sanctæ Ecclesiæ regnum magis in dies extendere.

« Cum igitur Ecclesia prudenti quadam œconomia ingruen-
« tibus malis juxta rerum ac temporum adjuncta provide,
« sapienterque occurrere soleat, SSmus D. N. Pius Papa IX re-
« ligiosos ordines præcipua benevolentia prosequens, et ab iis
« hujusmodi mala avertere summopere cupiens, rem defe-
« rendam voluit ad S. Congregationem super statu regularium,
« ut Patres Cardinales, rebus accurate discussis, proponerent
« quidquid in Domino expedire existimassent. Itaque auditis
« eorumdem Cardinalium sententiis, universaque rei ratione
« sedulo perpensa, hæc quæ sequuntur, quoad religiosas viro-
« rum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex apo-
« stolicæ auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, et
« ab omnibus ad quos spectant, ex obedientiæ præcepto ob-
« servari et executioni demandari districte jubet, et contra-
« riis quibuscumque etiam speciali et individua mentione et
« derogatione dignis derogat, ac plene derogatum esse de-
« clarat.

« Peracta probatione et novitiatu ad præscriptum S. Con-
« cilii Tridentini, constitutionum apostolicarum, et statutorum
« ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emit-
« tant postquam expleverint ætatem annorum sexdecim ab
« eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam majorem,
« quæ forsan a statutis proprii ordinis a S. Sede approbatis
« requiratur; et quoad laicos et conversos postquam ad eam
« pervenerint ætatem, quæ in constitutione Clementis VIII,
« incipiente *In supremo* præfinita est.

« Professi post triennium, a die quo vota simplicia emise-
« rint computandum, si digni reperiantur, ad professionem
« votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus
« locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio voto-
« rum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Po-
« terit vero superior generalis, ac etiam superior provincia-
« lis, ex justis et rationabilibus causis, professionem votorum
« solemnium differre, non tamen ultra ætatem annorum vi-
« gintiquinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto

« provinciales non habeantur, eadem differendi professionem « votorum solemnium facultas attribuitur etiam superiori « domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum, « et duorum religiosorum, qui in instituto aliquo gradu insi- « gniti sint.

« Decreta S. Congregationis super statu regularium inci- « pientia *Romani Pontifices*, et *regulari disciplinæ*, anno 1848 « promulgata, omnino serventur in receptione ad habitum, « novitiatum et professionem votorum simplicium.

« Quæ de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, « servanda erunt relative ad eos, qui post datam præsentium « ad habitum admittentur.

« Hæc sunt quæ tibi ex mandato Sanctitatis suæ significanda « erant, ut ea religiosis tuo regimini subjectis denuncies, et « interim fausta a Domino adprecor.

« Datum Romæ ex S. Congregatione super statu regularium, « die 19 martii, anno 1857. — *Tui Studiosus*, — A. Ar- « CHIEPISCOPUS PHILIPPENSIS, *secretarius*. »

CAPUT VII.

DE SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

Dicemus 1° Quid sit et quænam ejus origo: 2° quibus personis constet: 3° quænam causæ ac negotia ad eam spectent: 4° Quisnam sit ipsius procedendi modus.

§ I.

Quid sit et quænam ipsius origo.

1° Inter varias Cardinalium congregationes extat una, cui proprium officium est negotia Episcopos et regulares concernentia dirimere. Vocatur autem Congregatio Episcoporum et regularium, non quod constet Episcopis et regularibus, sed

quia ad eam pro Episcoporum et regularium negotiis et consultationibus recurritur.

2° Primitus non una, sed duplex Cardinalium Congregatio, ad hocce munus explendum, constituta fuerat : altera nempe *super consultationibus Episcoporum*, et *super consultationibus regularium* altera. Prior sub Pontificatu saltem Gregorii XIII jam existebat ; siquidem in regestis Sacræ Congregationis Concilii (tomo 10, pag. 557) sic adnotatum reperitur : *Gregorius XIII dixit nunquam suæ intentionis fuisse committere Episcoporum Congregationi, ut de iis quæ ad interpretationem Concilii pertinerent, aut de ipsis Congregationis Concilii decretis cognosceret. Illud autem se recte meminisse, ait Sanctitas sua, commississe Congregationi Concilii ea omnia quæ ad Concilium interpretandum pertinent.* A Gregorio XIII erectam fuisse Congregationem illam super Episcoporum consultationibus, autumat auctor *Analectorum juris Pontificii* (n. 40, col. 2247). Posteriorem autem, id est, super regularium consultationibus, erexit Sixtus V, per Breve *Romanus Pontifex* 17 maii 1586, cujus textum reperies citato loco *Analectorum juris Pontificii*, necnon in nuper edita *Synopsi Congregationum* (pag. 120, Lovanii 1857, auctore Haine).

3° Quando postmodum idem Sixtus V, Constitutione sua *immensa*, 22 januarii 1588, quindecim Congregationes partim instituit, partim jam existentes firmavit, duas prædictas nondum univit, sed sejunctas confirmavit.

4° Postea tamen ob intimam utriusque connexionem (ut refert de Luca, *relat. Romanæ Curiæ*, discursu 1 ; *il Cardinal pratico*, c. 27) facta est ex duabus una, quæ *Episcoporum et regularium* est nuncupata.

§ II.

Quibus personis constet Sacra Congregatio Episcoporum et regularium.

1° Ex 24 Cardinalibus, et uno Prælato qui *secretarii* mu-
« nus gerit, constituitur. Antiquior inter illos Cardinales præ-

« ses est seu *Præfectus.* » (Plettenberg, *Notitia Congregationum*, pag. 695, edit. Hildesii 1693).

2° Habet insuper dicta Sacra Congregatio *subsecretarium*, qui pariter ex albo prælatorum assumi solet; necnon *summistam*, cujus officium est compendiosam causarum expositionem facere. Item habet *judicem relatorem*, cui incumbit, pro causis criminalibus quæ ad Sacram Congregationem in gradu appellationis deferuntur, ad congregatos Cardinales causæ statum referre, ut Eminentissimi Patres perspicere valeant, num episcopalis curiæ sententia confirmanda sit, an vero infirmanda aut reformanda. In iis criminalibus causis intervenit etiam *Procurator generalis fisci*, ad defendendam curiæ episcopalis sententiam.

3° Quoad cæteras majoris momenti causas, designatur a Sacra Congregatione Cardinalis qui de unaquaque *videat et referat*. Ille autem Cardinalis qui causam aliquam expendit, et de ea in Congregatione refert, *Eminentissimus relator* dicitur.

4° Ante Gregorii XVI Pontificatum dicta Congregatio *consultores* non habebat. Ast anno 1834 ei adjuncti sunt. Decretum tenoris est hujusmodi : « Cum negotia majoris momenti « et consultationes quæ ad S. Congregationem Episcoporum « et regularium deferuntur, fortasse ratione temporum ad- « modum frequentia sint, Eminentissimi Patres in generali « congregatione, habita in palatio Apostolico quirinali nonis « septembris 1834, rati sunt, rem utilem fore, si exemplo « aliquarum congregationum majorum nonnulli consultores « deligerentur, quorum esset super dubiis seu quæstionibus, « de quibus rogarentur, sententiam suam exponere; firmis « tamen manentibus antiquis institutionibus, ita ut de negotiis « alicujus ponderis, deque consultationibus omnibus in « pleno auditorio semper deliberetur et statuatur, designato « aliquo ex Eminentissimis Patribus *qui videat et referat*. Ita- « que Eminentissimi Patres decreverunt : *Supplicandum San- « ctissimo pro admissione consultorum juxta modum enuntiatum.*

« Et facta eadem die ad Sanctissimum Dominum Nostrum

« Gregorium XVI, per dominum secretarium, de præmissis « relatione, Sanctitas sua decretum Eminentissimorum Patrum « probavit atque sancivit. — C. Cardinalis Odescalchi Præ- « fectus. — J. Archiepiscopus Ephesinus secretarius. »

§ III.

Quænam causæ ac negotia ad hanc S. Congregationem spectent.

I. Ad ipsam generatim spectant causæ ac negotia quæ Episcopos et rectam diœcesum administrationem respiciunt, verbi gratia : recursus qui fiunt ad Sedem Apostolicam contra Episcopos, sive ab ipsorum subditis, sive a regularibus : item recursus contra Episcoporum vicarios generales, aliosve officiales : cognitio de *minoribus* Episcoporum causis criminalibus; ad quas discutiendas et terminandas ordinariam habet jurisdictionem; de quo vide tractatum meum *de Episcopo* (parte 3, sect. 1, cap. 2, § 3) : sese intromittit etiam in *majoribus* Episcoporum criminalibus causis; at nonnisi ex delegatione Summi Pontificis, id est, facto verbo cum Summo Pontifice, et actus ejus Romano Pontifice approbante et confirmante; de quo vide etiam citatum locum tractatus mei *de Episcopo* : item ad ipsam spectat modus providendi diœcesibus, quibus recte administrandis impares facti sunt Episcopi, sive ob adversam valetudinem, sive aliis de causis : item modus providendi, quando Sede episcopali vacante, oriuntur in eligendo vicario capitulari, vel circa ejusdem electionem, contentiones ac discordiæ.

II. Ad ipsam pariter generatim spectant causæ ac negotia quæ religiosas quascumque familias respiciunt, verbi gratia : contentiones quæ oriuntur inter diversas regularium familias : item quæ oriuntur intra eumdem ordinem, et generale ipsius regimen respiciunt, ut sunt dissensiones circa electionem generalis superioris aliorumve superiorum; ex diversis observantiis commotiones et querelæ; et hujusmodi : item conten-

tiones inter religionem et privatum aliquem religiosum : transitus ab uno instituto aut monasterio, ad aliud : alienandi facultates : monasteriorum et conventuum fundationes aut suppressiones.

III. Imo dici potest ad hanc Congregationem spectare universaliter causas omnes ecclesiasticas, eas etiam quæ simul spectant alias Congregationes, exceptis tantum quæstionibus fidei (utpote ad sacram Congregationem Sancti Officii propriis), interpretatione Tridentinorum decretorum (utpote sacræ Congregationi Concilii reservata), et nonnullis aliis materiis, quæ *privative* aliis congregationibus attributæ sunt.

Hinc de S. Congregatione Episcoporum et regularium dici solet, eam esse *occupatissimam,* et negotiorum multitudine præcipuam.

§ IV.

De proprio Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium procedendi modo.

Prout contingere solet in ejusmodi institutionibus, quæ paulatim, docente experientia, stylum suum seu procedendi modum, novis accedentibus ordinationibus perficiunt, videtur dictæ Congregationis in expediendis negotiis norma tractu temporis magis fixa ac determinata evasisse. Ut adeo inter auctores qui eam describunt, prout antiquiores vel recentiores sunt, nonnihil intercedat discriminis. Quapropter visum est aliquem ex iis paulo jam antiquioribus scriptoribus de præfato procedendi modo disserentem præmittere : tum et quid hodie vigeat subjicere.

Quæstio I[a]. — *Quomodo dictæ Congregationis procedendi modum describat Plettenberg.* — « In hac Congregatione, inquit, res formalem exigentes processum tractari non solent ; sed quæ in forma summaria et extrajudiciali expediuntur (Sixtus V constitutione *immensa ;* Cardinalis de Luca, discursu 1, n. 45 de regularibus). Ideoque controversiæ terminantur hic more

principum, absque strepitu et forma judicii, sed solum inspecta facti veritate, ac frequenter etiam sumpta tantummodo extrajudiciali ac secreta informatione.

« Duo vero sunt diversorum negotiorum genera, quæ ad hanc Congregationem pertinent : unum est cum controversiæ oriuntur inter Episcopos aliosve prælatos aut vicarios et officiales ex una, et subditos vel regulares ex altera parte... Alterum est cum contendunt inter se religiosi...

« In primo controversiarum genere hunc stylum Congregatio servare solet : si sint causæ contentiosæ, quæ processum et telam judiciariam exigunt, deputatur pro singularum causarum propositione Cardinalis aliquis, qui *ponens* (1) dicitur. Hic causam sibi commissam a se primum bene ponderatam breviter ac dilucide in Congregatione proponit, ut quod æquitati ac justitiæ consonum est, statui possit...

« In causis Episcopos concernentibus hic procedendi modus observatur. Cum Congregationis hujus institutum sit, juxta mentem institutoris, ut summarie negotia pertractentur, recipiuntur in forma extrajudiciaria subditorum recursus, eorumque querelæ audiuntur, quas in libello supplici proponunt adversus gravamina Ordinariorum aliorumque Prælatorum ac vicariorum aut officialium. Lecto in Congregatione libello, mittitur epistola familiaris subscripta a Præfecto et secretario, nomine Congregationis, ad Episcopum vel alium superiorem, cum copia porrecti a gravatis libelli, ut de contentis in eo sacram Congregationem informent. Accepta informatione, si ea non discrepet in facto ab iis quæ narrarunt gravati, proponitur negotium in Congregatione; eoque discusso fertur sententia ; pro cujus executione dantur pariter litteræ familiares ad Episcopum vel superiorem directæ Quandoque etiam, si causa postulet, committitur executio Metropolitano seu viciniori Episcopo, aliive Prælato, in forma extrajudiciali facienda, vel datur etiam aliquando decretum in forma authentica,

(1) Vocatur etiam Cardinalis *relator*.

manu præfecti et secretarii subscriptum, sigilloque munitum, ut partes adeant judices ordinarios pro judiciali executione sententiæ...

« Quod si ille a quo informatio petitur eam dare negligat, aut prætendatur non satis sinceram datam esse, injungi solet alicui Episcopo viciniori, vel Metropolitano, aliive Prælato iis in partibus existenti, ut informationem capiat, eamque ad S. Congregationem referat. Nonnunquam subordinantur etiam prælati aut religiosi, aliive probati viri, qui informationes dent secretas.

« Quod si vero de criminibus Episcoporum ac superiorum agatur, re collata cum Pontifice, committitur, juxta præscriptum Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum, alicui prælato formalis processus informatorius; vel injungitur auditori cameræ ut commissarium constituat. Et si Episcopus vel superior reus deprehendatur, tunc vel suspenditur ejus jurisdictio, ac deputatur vicarius Apostolicus; vel ad Curiam evocatur, et pro delicti qualitate vel includitur carceri in aliquo monasterio, vel committitur auditori Cameræ ut servatis servandis eum puniat etiam privando episcopatu, aut transferendo ad ecclesiam inferiorem, aut alia ratione in eum animadvertendo. » (*Notitia Congregationum,* pag. 695 et seq., edit. Hildesii 1693). Describit postea idem auctor modum procedendi quoad regulares. Tum ita subjungit :

« Congregatio hæc omnium est occupatissima, cum in ea « pertractentur quæ ad bonum regimen religionum et regu- « larium spectant, agatque etiam de negotiis, quæ aliis con- « gregationibus (excepta Concilii) communia sunt, contineat- « que regimen quoddam universale et politicum utriusque « cleri sæcularis et regularis. Omnia vero negotia, quamvis « gravissima, gratis (etiam pro scriptura) expediuntur. » (Ibid. pag. 701).

Quæstio II[a]. — *Quisnam hodie vigeat in dicta Congregatione procedendi modus?* — Describi posse videtur varia distinguendo negotiorum genera in hunc modum :

I. *De negotiis quæ in Congregatione non proponuntur.* — Quando negotia, utpote levioris momenti, aut quia moram non patiuntur, Eminentissimo præfecto et secretario non videntur in Congregatione proponenda, præmittuntur informationes necessariæ extrajudicialiter, atque etiam quandoque secrete ; et fit resolutio a præfecto una cum secretario, assumpto nihilominus nomine et auctoritate Sacræ Congregationis. Quæ resolutio per epistolas ab iisdem subscriptas transmittitur Episcopis, si causa eos respiciat ; vel intimatur procuratoribus generalibus ordinum, Romæ degentibus, si agatur de aliquo regularium negotio.

II. *De negotiis quæ per secretarium in Congregatione proponuntur.* — Alia sunt negotia quæ in Congregatione quidem proponuntur, et ab Eminentissimis Patribus dirimuntur ; at *non servato juris ordine*, id est, absque certis quibusdam formis, quæ in expediendis aliis, nempe contentiosis et majoris momenti causis, adhiberi solent. Porro quoad ejusmodi negotia, quæ expediuntur *non servato juris ordine,* sic proceditur : proponuntur in Congregatione a secretario ; qui libellorum supplicum a partibus porrectorum, ac etiam documentorum quæ ad rem faciunt compendium quoddam Eminentissimis Patribus exponit. Quibus ponderatis, sententiam suam quisque Cardinalium dicit ; et quod majori eorum parti opportunum visum est decernitur. Ipse autem secretarius votum non habet. Comitiorum locus est palatium Apostolicum ; in quo Eminentissimi hujus Congregationis Patres convenire solent singulis mensibus feria VI ; et tempore quadragesimæ singulis feriis sextis.

III. *De negotiis quæ expediuntur servato juris ordine.* — Si causa sit contentiosa, et Eminentissimis Patribus accuratiorem indaginem exigere videatur, decernunt ut procedatur *juris ordine servato.* Tunc deputatur Cardinalis *ponens* seu *relator*, et servantur regulæ in sequenti decreto præscriptæ : « In « generali congregatione, habita nonis septembris 1834, « Eminentissimi et Reverendissimi Patres decreverunt, ut

« vetus et propria S. Congregationis methodus seu ratio trac-
« tandi negotia, de quibus contentio est inter partes, accurate
« in posterum servaretur. Est autem hujusmodi :

« 1° Quotiescumque in negotiis, quæ apud S. Congrega-
« tionem Episcoporum et regularium aguntur, tum ex relatio-
« nibus Ordinariorum, tum ex partium deductionibus videa-
« tur expedire, ut res ad viam juris reducatur, rescribitur :
« *Partes deducant sua jura coram Eminentissimo N..., qui videat*
« *et referat ; citata parte et concordato dubio.*

« 2° Coram Eminentissimo relatore, vel ejus auditore,
« adhibito Sacrarum Congregationum notario, singuli actus,
« qui ad judicandum viam sternunt, conficiuntur.

« 3° Propterea pars diligentior coram eodem auditore
« partem adversam in jus vocat, *ad concordandum de dubio* (1),
« *alias videndum subscribi et disputari infra scriptum ;* quod
« nempe in calce citationis transcribitur.

« 4° Eminentissimus relator, sive ejus auditor, vel propo-
« situm, vel aliud dubium concordat de consensu partium :
« sin minus, mandat partes suis juribus uti per memoriale in
« Sacra Congregatione.

« 5° Si pars citata intra terminum præfinitum non compa-
« reat, citatur pro secunda vice, *ad concordandum de dubio,*
« *necnon destinari Congregationem.*

« 6° Si pars in sua contumacia perstiterit, Eminentissimus
« relator, vel ejus auditor concordat dubium, et Congrega-
« tionem pro causæ propositione destinat, ita tamen ut spa-
« tium triginta dierum intercedat ; et decretum adversæ
« parti per cursorem intimatur.

« 7° Jura autographa, quibus utraque pars utitur, quin-

(1) Causa nempe Sacræ Congregationi judicanda proponitur sub forma *dubii ;* et Eminentissimi causam dirimunt respondendo ad illud dubium, *affirmative* vel *negative*. Debet autem determinari formula dubii de consensu partium, si in hoc concordent : secus a Cardinali *ponente*, vel ejus auditore. Unde *dubii concordatio* nihil aliud est quam determinatio formulæ dubii Sacræ Congregationi proponendi.

« decim diebus ante diem propositionis causæ apud dominum « secretarium deponuntur ; transmissa utrinque intima- « tione.

« 8° Allegationes utriusque partis decem diebus ante con- « gregationem, tum ad Eminentissimos Cardinales, tum ad « dominum secretarium, et ad secretariam Sacræ Congrega- « tionis deferuntur.

« 9° Mutua inter partes allegationum et summariorum tra- « ditio fit eadem ipsa die in domo auditoris Eminentissimi « relatoris.

« 10. Responsiones triduo ante propositionem causæ « distribuuntur et communicantur, ut in articulo præce- « denti.

« 11. Resolutionem Sacræ Congregationis Eminentissimus « relator scriptis tradit, et suo nomine obsignat, eamque « domino secretario tradit partibus significandam.

« 12. Si intra decem dies pars victa iterum audiri postu- « let, Eminentissimus relator novæ audientiæ beneficium tri- « buere potest.

« 13. Quoties cunctis suffragiis res dijudicata fuerit cum « clausula *et amplius*, vel uno tantum suffragio discrepante « cum clausula *et non concedatur*, tunc venia redeundi non « tribuitur nisi a plena congregatione (1).

« 14. Causa denuo proponitur servato modo et terminis « primæ propositionis.

« 15. Dijudicata causa, authenticum resolutionis exemplar « ei traditur qui causam obtinuit.

« 16. Victor instat coram auditore Cameræ, qui ut merus « executor resolutionem S. Congregationis exequendam de- « cernit. »

IV. *De causis criminalibus, quæ per appellationem ad Sacram*

(1) Formula ***et amplius*** significat : ***et causa amplius non proponatur.*** Formula vero ***et non concedatur***, concedendam non esse novam causæ propositionem designat.

Congregationem Episcoporum et regularium deferuntur. — In iis proceditur juxta sequens decretum :

« Non ita pridem a Sacra Congregatione, negotiis et con-
« sultationibus Episcoporum et regularium præposita, non-
« nullæ regulæ præscriptæ fuerunt pro recta et expedita
« definitione causarum criminalium, quæ a curiis Episco-
« porum vel Ordinariorum ad eamdem Sacram Congrega-
« tionem in gradu appellationis deferuntur. Quas quidem
« præscriptiones, quoniam impedimenta sublata sunt, quæ
« aliqua ex parte earum executioni interposita fuerant, visum
« est Eminentissimis Patribus, in conventu habito 15 calendas
« januarii 1835, uberius explicare ; et cum assensu et appro-
« batione Sanctissimi Domini Nostri Gregorii XVI iterum pro-
« mulgare, ut ab omnibus ad quos pertinent accuratissime
« serventur. Sunt autem quæ sequuntur :

« 1° Reis a curiis episcopalibus criminali judicio damnatis
« spatium dierum decem conceditur, quo ad Sacram Con-
« gregationem Episcoporum et regularium appellare pos-
« sint. »

« 2° Decem dies numerari incipient, non a die qua sen-
« tentia lata est, sed a die quo reo vel ejus defensori per
« cursorem denuntiata fuit.

« 3° Eo tempore elapso, quin reus vel ejus defensor appel-
« laverit, latam a se sententiam Episcopus exequetur.

« 4° Interposita intra decem dies appellatione, curia epis-
« copalis acta autographa totius causæ ad Sacram Congrega-
« tionem continuo transmittat, nempe :

« Primo, *processum* ipsum in curia confectum : secundo,
« ejus *restrictum*, seu compendiariam expositionem eorum,
« quæ ex eodem processu emergunt : tertio, defensiones pro
« reo exhibitas : quarto denique sententiam latam.

« 5° Ipsa curia reo ejusque defensori denuntiabit, appel-
« lationem coram eadem Sacra Congregatione prosequendam
« esse.

« 6° Si nemo compareat, aut si appellationis acta negli-

« genter vel malitiose protrahantur, congruens tempus a « Sacra Congregatione præfinietur, quo inutiliter elapso, « causa deserta censeatur, et sententia curiæ episcopalis exe- « cutioni mandetur.

« 7° Reo, aut illi qui ejus defensionem suscepit tradendus « est *restrictus* processus, qui a judice relatore (1) confi- « citur.

« 8° Allegationes seu defensiones Eminentissimis Patribus « distribuendæ typis non committantur, nisi judex relator « imprimendi veniam dederit.

« 9° Causa definietur stata die ab Eminentissimis Patribus « in pleno auditorio congregatis.

« 10° Eidem congregationi procurator generalis fisci et « judex relator intererunt.

« 11° Judex relator de toto statu causæ ad Eminentissimos « Patres referet ; et procurator generalis fisci stabit pro « curia episcopali, suasque conclusiones explanabit.

« 12° Post hæc Eminentissimi Patres judicium proferent, « sententiam curiæ episcopalis aut confirmando, aut infir- « mando, aut etiam reformando.

« 13° Prolata sententia, una cum omnibus actis causæ, ad » eamdem curiam episcopalem remittitur, ut eam exequa- « tur.

« 14° *Revisio* seu recognitio rei judicatæ non conceditur, « nisi ejus tribuendæ potestas a Sanctitate sua facta fuerit, et « subsint gravissimæ causæ, super quibus cognitio et judicium « ad plenam congregationem pertinet...

« 15°..... — J. A. Cardinalis Sala præfectus — J. Patri- « archa Constantinopolitanus secretarius. »

(1) Non confundendus *judex relator*, qui in dictis criminalibus causis intervenit cum *Cardinali relatore* seu *ponente*, de quo supra.

CAPUT VIII.

DE S. CONGREGATIONE A PROPAGANDA FIDE NUNCUPATA.

Prout ipsa indicat denominatio, instituta fuit Congregatio hæc ad propagandam catholicam fidem in variis regionibus, quas misere involvunt infidelitatis aut hæreseon tenebræ. Dicemus 1° quomodo instituta sit : 2° qua potestate donata : 3° quibus adjumentis instructa : 4° qua forma in expediendis causis et negotiis procedere soleat.

§ I.

Quomodo instituta sit.

Auctorem habet Gregorium XV, qui, Constitutione *inscrutabili* 22 junii 1622, sic decernit : « Nonnullorum venerabilium « Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium peculiari sollici- « tudini negotium committendum duximus, prout tenore præ- « sentium committimus et demandamus. Volentes ut in unum « congregati, adhibitis etiam aliquot Romanæ Curiæ Prælatis « et religiosis viris, ac secretario,... in commune consulant..., « omniaque et singula negotia ad fidem in universo mundo « propagandam pertinentia cognoscant et tractent ; et gra- « viora quæ... tractaverint ad nos referant ; alia vero per « seipsos decidant et expediant pro eorum prudentia : mis- « sionibus omnibus ad prædicandum et docendum evange- « lium et catholicam doctrinam superintendant : ministros « necessarios constituant et mutent. Nos enim eis, tam præ- « missa, quam omnia et singula alia desuper necessaria et « opportuna (etiamsi talia fuerint quæ specialem, specificam « et expressam requirant mentionem) faciendi, gerendi, tra- « ctandi, agendi, et exequendi, plenam liberam et amplam « facultatem auctoritatem et potestatem, Apostolica auctori-

« tate earumdem tenore præsentium concedimus et impartí-
« mur. »

§ II.

Qua jurisdictione seu potestate donata sit S. Congregatio de propaganda fide.

I. Extenditur jurisdictio hæc ad regiones omnes in quibus *more missionum* (ut aiunt) res catholica regitur; id est, ad duas tertias, et amplius, orbis partes. Universi quippe orbis tractus, quoad ecclesiastici regiminis formam, bifariam dividitur: nimirum in regiones *hierarchiæ ordinariæ*, et in regiones *missionum*. Priores illæ sunt quæ canonice erectas episcopales sedes et diœceses habent, necnon Episcopos *ordinaria* jurisdictione instructos; ita ut unusquisque Episcopus suam administret diœcesim, non tanquam Summi Pontificis vicarius aut delegatus, sed tanquam Ordinarius: quam ordinariam jurisdictionem consequitur, ipsa sua ad aliquam ex istis episcopalibus cathedris promotione. Posteriores, id est, *missionum* regiones, illæ sunt, quæ cum careant dictis episcopalibus sedibus et diœcesibus, per Summi Pontificis delegatos ac vicarios quoad rem catholicam administrantur. Solent quidem ejusmodi vicarii Apostolici episcopali charactere insigniri, et donari titulo alicujus ex iis antiquis ecclesiis, seu episcopalibus sedibus, quæ, prævalente infidelitate aut hæresi, jamdudum non extant, nisi nomine; ex quo Episcopi *titulares*, seu in *partibus infidelium* nuncupantur: sed ex sua ad hos titulos promotione nullibi jurisdictionem consequuntur. Unde ipsorum in vicariatibus suis jurisdictio ex speciali Summi Pontificis delegatione tota quanta dimanat. Cæterum etsi per delegationis modum, amplissima tamen iis jurisdictio concedi solet, pro toto regionum tractu qui ipsis in vicariatum assignatur. Et hoc posteriori modo, idest, *missionum more*, provideri solet omnibus generatim regionibus, in quibus infideles aut hæretici numero ac præpotentia catholicos longe superant. Quæ regiones

cheu! si quoad materialem extensionem dimetiantur, plus quam duas tertias orbis partes, ut diximus, occupant. Ejusmodi autem regionum fideles, cum omnibus suis missionariis, præfectis ac Vicariis Apostolicis, Sacræ Congregationi *Propagandæ*, tanquam superiori suo subjiciuntur, ut evincunt citata Gregorii XV verba. Ex quo liquet quam late pateat dictæ Sacræ Congregationis territorialis jurisdictio.

Utinam in dies restringi posset territorium illud, ad quod sese extendit præfatæ Congregationis potestas; idest, ubique terrarum prævaleret fides catholica, ita ut in singulis missionum regionibus posset ordinaria hierarchia constitui!

Et nostris quidem temporibus, favente Deo optimo maximo, hierarchiam illam feliciter restituit Pius IX in Hollandia, in Anglia, et Hierosolymis. Erectæ tamen in iis regionibus diœceses, facultatem retinuerunt S. Congregationem de propaganda adeundi quoad sua apud Romanam Curiam negotia. Quod eis ad faciliorem et minus onerosam negotiorum expeditionem obtinendam concessum est.

II. Amplissima etiam est dictæ S. Congregationis potestas quoad materiarum et causarum species; siquidem Gregorii XV Constitutio hanc solam apponit limitationem, quod nequeant graviora statui aut expediri, nisi facta relatione ad Summum Pontificem, ac proinde nisi de ipsius assensu. Cæterum causæ omnes ecclesiasticæ ad missionum regiones spectantes, cujuscumque speciei sint, Sacræ Congregationis de propaganda jurisdictioni obnoxiæ sunt.

III. Dictæ autem Sacræ Congregationis potestas est simul legislativa, judiciaria et gubernativa. Id evincunt citata Gregorii XV verba. Facultatem quippe faciunt Sacræ Congregationi *omnia et singula faciendi* quæ opportuna existimaverit. Qua facultate comprehenditur non tantum potestas judiciaria ad dirimendas causas ac controversias omnes, sed etiam leges et decreta ferendi, necnon missionarios ac Vicarios ipsos Apostolicos, tanquam sibi subditos, regendi ac gubernandi. Triplicem tamen hanc potestatem semper attingit limitatio de

non expediendis *gravioribus*, nisi facta ad Sanctissimum relatione.

IV. Hinc decretis S. Congregationis de Propaganda, inest vis seu valor Constitutionis Apostolicæ. Quod sic exponitur apud Antoine (in appendice ad tractatum *de legibus*): « Decreta Congregationis generalis de propaganda fide, *quoties-cumque sint a præfecto ejusdem firmata, et a secretario subscripta, vim et valorem habere Constitutionis Apostolicæ* decrevit « Urbanus VIII; ejusque decretum confirmavit Innocentius X « die 30 julii 1625, occasione litterarum Fratris Antonii a S. « Maria, (ordinis Minorum strictæ observantiæ S. Francisci), « in quibus asserebatur in insulis Philippinis missionarios « fuisse qui spargerent, *decreta prædictæ Congregationis facere « tantum opinionem probabilem, ac esse puram et simplicem declarationem, unde posse etiam contrarium defendi.* Hanc autem vim habent decreta hujusmodi ex auctoritate quam « huic Congregationi concessit Gregorius XV, Constitutione « quæ incipit *incrustabili,* 22 junii 1622... Igitur quæ fiunt « ab hac Congregatione decreta habent Summi Pontificis « auctoritate vim Constitutionis Apostolicæ; atque ut vim « obligandi habeant, sat est, (inquit Verricellus, q. 224) ut « authentica copia petentibus detur, atque a præfectis missionum suis missonariis intimetur. »

V. Ergo rejiciendus omnino est error eorum, qui effutiunt non obligare S. Congregationis Propagandæ decreta, sive quod inscio Romano Pontifice sæpius ferantur, sive quod civilis auctoritatis placitum eis non accesserit. Sequitur ex eo quod decreta hæc vim Constitutionis Pontificiæ habeant. Præterea errorem hunc expresse confixit Pius Papa IX (in sua Constitutione *probe,* 9 maii 1853 his verbis: « Nil vero inanius quam « quod ad captivandam fidelium simplicitatem jactitare feruntur hi presbyteri, permulta esse quæ statuta sunt, non « ab Apostolica Sede et a Romano Pontifice, verum eo inscio « et in consulto, a S. Congregatione de propaganda fide « sancita, nonnullaque haud attendenda, eo quod civilis au-

« ctoritatis placitum defuerit... S. Congregationem nostram « non nisi Apostolicæ Sedis ministram esse norunt omnes. « Putidum vero impiumque commentum illud est, Aposto- « licæ Sedi divinitus collata jura, ac traditum a Christo Do- « mino supremi regiminis in Ecclesia clavum, et potestatem, « humanis placitis nutibusque arctari, præscribi, aut immu- « nui posse. » Inscribitur Constitutio hæc, *Episcopis, vicariis Apostolicis, ac dilectis filiis Christi fidelibus missionum Indiarum orientalium.*

§ III.

Quibus adjumentis instructa sit S. Congregatio de propaganda fide.

1. Statuerunt Summi Pontifices ut omnia in hac Congregatione *gratis* omnino expedirentur ; quod ut fieri posset, sufficientibus eam redditibus dotarunt.

2. Ei insuper extructum est Urbani VIII tempore amplissimum palatium, quod secretarius aliique inferiores officiales et ministri incolunt, et in quo generales S. Congregationis conventus habentur.

3. In eodem palatio constitutum est collegium juvenum, e missionum regionibus oriundorum, qui in humanioribus litteris, linguis variis, et sacra disciplina instituuntur, ut deinde in sua quique patria, vel ubi opportunum S. Congregatio existimaverit, tanquam operarii ac missionarii fidem catholicam conservare ac propagare possint. Quod collegium *de propaganda fide*, vel etiam *urbanum* vocari solet.

4. « Recipiuntur quoque in hoc palatio missionarii, qui e « provinciis suis veniunt Romam, ut Summum Pontificem « ipsamque congregationem de statu missionis informent, et « opportuna media fidem propagandi suggerant. Præterea « admittuntur ad illud conversi (ad fidem catholicam), qui « pietatis causa ad limina Apostolorum accedunt. Eodem « demum divertunt sacerdotes et Episcopi pauperes, quibus

« quæ ad sustentationem necessaria sunt large suppeditan-
« tur (1). »

5. « Habet quoque Congregatio eodem in loco peculiarem
« typographiam pro imprimendis missalibus, breviariis, aliis-
« que ad fidei catholicæ doctrinam spectantibus libris, in lin-
« guis etiam peregrinis et orientalibus, qui deinde per eas
« regiones disperguntur, in quibus usui esse possint. » (Plet-
tenberg, citato loco.)

6. Pontificiæ Constitutiones ac decreta, quæ propagandæ fidei negotium respiciunt, ab anno 1839 edi cœperunt in speciali collectione, quæ *Bullarium de propaganda fide* inscribitur.

§ IV.

Qua forma in S. Congregatione de propaganda procedi valeat.

1. Constat Congregatio hæc pluribus Cardinalibus (quorum unus *præfectus generalis* dicitur, alter *œconomiæ præfecturam* habet), secretario, consultoribus e clero sæculari et regulari electis, minutantibus, et aliis nonnullis officialibus.

2. Ipsius comitia duplicis generis sunt : *Ordinaria* et *generalia*.

3. *Ordinarii* conventus habentur apud Eminentissimum Cardinalem præfectum generalem : et eis non intersunt alii Cardinales, sed dumtaxat secretarius, cum aliis quibusdam officialibus. In hisce comitiis *ordinariis* exponuntur negotia per missionariorum litteras ac relationes transmissa : determinatur quænam ex iis causis ac negotiis ad generalem Con-

(1) Ita quidem Plettenberg (*Notitia Congregationum*, pag. 736, edit. Hildesii 1695), ea describens quæ tunc temporis fieri solebant. Ast hodie, ob imminutos (ut autumandum est) temporum calamitate redditus, ipsi etiam Vicarii Apostolici qui Romam veniunt aliud sibi hospitium comparare coguntur. Dolendum profecto, quod erga pauperes ejusmodi Vicarios Apostolicos ac missionarios, in collegio Propagandæ prisca hospitalitas exhiberi nequeat.

gregationem et ad Summum Pontificem deferenda sint : cætera minoris momenti per secretarium et Eminentissimum præfectum deciduntur et expediuntur.

4. *Generalis* congregatio habetur, ut dictum est, in collegio *de propaganda fide* nuncupato. Et in ea proceditur eo modo quem descripsimus quoad S. Congregationem Episcoporum et regularium. Si nempe gravior æstimetur causa, ponitur *in folio ;* quod folium pluribus diebus ante comitia singulis Cardinalibus distribuitur. Adunatis autem Eminentissimis Patribus unus ex ipsis, qui *ponens* dicitur, causam exponit ; et fertur decisio. Alia vero negotia non ponuntur *in folio ;* sed facta de iis a secretario relatione, ab Eminentissimis Patribus deciduntur.

CAPUT IX.

DE SACRA CONGREGATIONE SUPER NEGOTIIS ECCLESIASTICIS.

Congregatio hæc, quæ etiam *negotiorum extraordinariorum* nuncupari solet, instituta est a Pio VII, anno 1814. Nimirum tunc temporis, ob politicas quæ in tota ferme Europa rem ecclesiasticam perturbaverant commotiones, a Sede Apostolica expendenda ac componenda fuere quamplurima gravissimi momenti negotia, quæ dilationem non patiebantur, nec potuissent ea qua par erat celeritate per alias Sacras Congregationes de more expediri. Quapropter constituit Pius VII ad ejusmodi expedienda negotia specialem octo Cardinalium Congregationem, cum secretario, et quinque consultoribus. Voluit autem ut illius Congregationis secretarius votum haberet. Atque in eadem fixum locum obtinet Cardinalis secretarius status.

Non restricta est dictæ Congregationis competentia ad aliquam negotiorum speciem ; sed ei subjiciuntur cujuscumque generis negotia, quæ ob aliquam particularem circumstantiam hac potius via expedienda videntur. Præcipue vero ei com-

mitti solent quæcumque ad concordata, et alias cum variis guberniis Sedis Apostolicæ relationes spectant.

Ad secretum servandum tenentur sub juramenti religione et pœnis gravissimis omnia hujus Congregationis membra.

Habentur ipsius comitia, alia coram Summo Pontifice, alia in secretarii status ædibus.

Iis intervenit secretarius, non autem consultores. Officium consultoris est, ut privatim de proposito negotio sententiam in scriptis exprimat. Et quandoque etiam eodem modo requirit Summus Pontifex singulorum Cardinalium votum. Quæ scripta vota a secretario ad Sanctissimum deferuntur.

CAPUT X.

DE S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SACRARUM RELIQUIARUM.

I. Congregationem illam instituit Clemens IX, Constitutione *In ipsis,* 6 julii 1669; qua eidem facultatem concessit: « Omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis aut « indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non pertineat, Romano Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, « judicii forma plane posthabita, corrigendi et emendandi; « causas vero judicialem formam requirentes ad proprios « judices remittendi; falsas, apocryphas, indiscretasque « indulgentias typis imprimi vetandi; impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerint, « illius auctoritate rejiciendi; reliquias de novo inventas « recognoscendi quoque et examinandi; ac in concedendis « indulgentiis sanctorumque reliquiis donandis moderationem « adhibendi; omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi. » Notetur huic S. Congregationi non subjici causas *quæ ad dogma pertinent.* Hinc si quis negaret Ecclesiæ potestatem indulgentias concedendi, aut sustineret colendas non esse

sanctorum reliquias, non a S. Congregatione indulgentiarum, sed a S. Congregatione sancti officii esset judicandus.

II. Indulgentiarum generales concessiones (1) quæ a Summo Pontifice obtinentur, nullæ sunt et irritæ, nisi impetrantes exemplar concessionis ad dictæ S. Congregationis secretariam detulerint. Ita fert decretum ejusdem Congregationis, a Benedicto XIV approbatum 28 januarii 1756. Verba decreti tenoris sunt hujusmodi : « Cum experientia quotidie compe-« riatur, complures indulgentiarum concessiones generales « expediri inscia ipsa S. Congregatione, ex quo multi proma-« nant abusus ac confusiones, re mature perpensa, præsenti « decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi gene-« rales concessiones, teneri *sub nullitatis pœna* gratiæ obtentæ, « exemplar earumdem concessionum ad secretariam ejusdem « S. Congregationis deferre. »

Hujusce decreti observationem iterum præcipit aliud decretum ejusdem S. Congregationis, 14 aprilis 1856, Pii IX auctoritate munitum (quod relatum vide in *Synopsi Congregationum*, auctore Haine, pag. 161).

III. Constat dicta Congregatio Cardinali præfecto, pluribus aliis Cardinalibus, secretario, substituto, et consultoribus. Modus procedendi est, ut ununquodque dubium alicui e consultoribus expendendum committatur, et postea, audito ejusdem consultoris voto, ab Eminentissimis Patribus una congregatis resolvatur.

CAPUT XI.

DE S. CONGREGATIONE SUPER RESIDENTIA EPISCOPORUM.

QUÆSTIO I[a]. — *Qua forma et quem in finem Urbanus VIII dictam Congregationem instituerit ?* — Exstant multæ leges

(1) ***Particularis*** dicitur concessio quæ fit alicui vel aliquibus ***personaliter***.

ecclesiasticæ circa obligationem residendi qua obstringuntur Episcopi. Ad urgendam ejusmodi legum observationem, ab Urbano VIII instituta est Congregatio, constans Cardinali Vicario tanquam præfecto, datario, secretario status, secretario Brevium, secretario S. Congregationis Episcoporum et regularium, et secretario S. Congregationis Concilii ; qui postremus est etiam hujusce Congregationis *super Episcoporum residentia* secretarius.

Quæstio II^a^. — *Quid Benedictus XIV de eadem re statuerit ?* — 1° Confirmavit prædictam Congregationem ab Urbano VIII institutam. 2° Ei addidit promotorem fiscalem, eumdem nempe qui hoc munus gerit apud tribunal Cardinalis Vicarii. 3° Decrevit ab illa Congregatione non habenda esse regulariter seu periodice comitia, sed dumtaxat in sequentibus casibus : cum a Romano Pontifice « alicujus negotii cognitio « ipsi remissa et delegata fuerit : quoties de pœnis adversus « aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque « deliberandum fuerit ; siquidem hujusmodi pœnarum mo- « dus .. ab eadem Congregatione statuendus erit, ut facta « per ipsius secretarium Nobis seu successoribus nostris rela- « tione, approbataque Congregationis resolutione, ad hujus- « modi pœnarum executionem cum effectu procedatur : aut « denique cum aliquis Episcopus instantiam proponat abes- « sendi a propria diœcesi, ratione alicujus muneris sive offi- « cii, cujus ea dicatur natura esse, ut Apostolicum indultum « de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum.» (Constit. *ad universæ*, 3 septembris 1741.) 4° Eidem congregationi normam quamdam præscripsit laudatus Pontifex, circa concedendas aut denegandas certis in casibus abessendi licentias, ab Episcopis postulatas (vide citatam Constitutionem *ad universæ*).

CAPUT XII.

DE S. CONGREGATIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ.

« Instituta est hæc Congregatio ab Urbano VIII... Munus « hujus Congregationis proprium et præcipuum est, prote- « gere ac defendere jurisdictionem et immunitatem eccle- « siasticam, tam personalem quam localem et realem, ne « hæc (*nempe immunitas*) violetur, et illa (*nempe jurisdictio « ecclesiastica*) usurpetur a magistratibus vel communitatibus « sæcularibus... Constituunt hanc Congregationem Cardinales « et Prælati... Horum Prælatorum officium est instruere ac « referre summatim causas, prout faciunt in curia qui *po- « nentes* dicuntur... Proceditur in forma extrajudiciali sine « processibus : sed scribuntur epistolæ familiares ad Ordi- « narios, vel Nuntios Apostolicos, aliosve Prælatos ecclesia- « sticos, quos negotium concernit, pro informatione contro- « versiæ capienda, et executione decretorum et resolutionum « suarum facienda ». (Plettenberg, *Notitia Congregationum*, pag. 703, édit. Hildesii 1693).

Causæ quæ ad hanc Congregationem hodie perferuntur, fere omnes sunt e statu Pontificio. Quoad alias regiones, per concordata præcaventur ejusmodi conflictus et controversiæ, quæ circa immunitatem aut jurisdictionem ecclesiasticam oriri possent : aut si quæ excitentur, per secretarium status plerumque componi solent.

CAPUT XIII.

DE TRIBUNALI SACRÆ PŒNITENTIARIÆ.

§ I.

Quid sit, et quænam ipsius origo.

1° Quem in finem institutum fuerit sacræ Pœnitentiariæ officium seu tribunal, exposuit Benedictus XIV, (Constitutione

Pastor bonus 13 aprilis 1744) in hunc modum : « Prædeces-
« sores nostri Romani Pontifices, quemadmodum atrociora
« quædam et graviora crimina severe notanda ac districte
« vindicanda duxerunt, latis contra eorum auctores censuris
« aliisque ecclesiasticis pœnis, quarum absolutionem seu re-
« laxationem, pro suprema potestate in universa Ecclesia
« sibi concessa, suo peculiari judicio reservarunt..; ita, ne
« nimia obtinendæ veniæ difficultas pœnitentes ad despera-
« tionem propelleret, opportuna reversis ad cor offerre atque
« admonere remedia... nullo unquam tempore prætermise-
« runt. Ideo, præter alia plura pro variis causarum generibus
« constituta Romanæ Curiæ tribunalia, voluerunt imprimis,
« jam inde a vetustissimis usque temporibus, extare in ea,
« et nunquam defecturum perpetuo conservari, instar fontis
« patentis domui David in ablutionem peccatoris, Apostolicæ
« Pœnitentiariæ officium, ad quod universi fideles ex omni
« Christiani orbis regione pro suis quisque spiritualibus mor-
« bis quantumlibet occultis, sive per se, sive per arcanas lit-
« teras, propriis etiam suppressis nominibus, tuto confugere
« possent, et convenientem medicinam secreta et gratuita
« curatione protinus consequerentur. Cujus tam præclari tam-
« que salutaris instituti ratio Romanis pro tempore Pontifi-
« cibus magnopere cordi fuit. Tantamque ex hujus officii mi-
« nisterio in Ecclesiæ administratione utilitatem experti sunt,
« ut olim eidem officio, non modo causas ad interius pœni-
« tentiæ forum, sed alias etiam complures ad gratiam et ju-
« stitiam externi fori pertinentes, expediendas committere
« non dubitaverint. »

2° Dici ergo potest sacra Pœnitentiaria, tribunal ad hoc institutum, ut absolutiones a peccatis et censuris Sedi Apostolicæ reservatis, necnon varias dispensationes, votorum commutationes, condonationes, aliasque gratias, ad forum internum præcipue pertinentes, et quæ nonnisi a Sede Apostolica concedi possunt elargiri valeat. Et per ejusmodi tribunal Summus Pontifex suam in foro potissimum interno

jurisdictionem quotidie per universum mundum exercet.

3° Hujus institutionis quædam exordia, seu potius rudera nonnulli eruditi sibi videre visi sunt, in illis sacerdotibus, quibus, tempore sancti Cornelii et sancti Cypriani commissum est, ut christianis in persecutione lapsis varias pro modo culpæ pœnitentias imponerent, eosque Ecclesiæ reconciliarent. Hi presbyteri pœnitentiarii dicti sunt, atque elapso persecutionum tempore, eorum officium fuit pœnitentibus pœnas imponere, secundum canones pœnitentiales. (Vide apud Plettenberg, *Notitia Congregationum*, pag. 171, edit. Hildesii 1693).

4° Majoris Pœnitentiarii dignitatem, quæ jamdudum nonnisi Cardinali confertur, existimant nonnulli a Benedicto II primum fuisse institutam. (Vide Plettenberg, loco cit).

5° Sacræ Pœnitentiariæ et majoris Pœnitentiarii, jurisdictio, novarum facultatum a variis Pontificibus concessarum accessione paulatim aucta, ante Pium IV amplissima evaserat. Sed a dicto Pontifice, et præsertim a sancto Pio V (Constitutione *In omnibus*), et ab Urbano VIII (Constitutione *Regimini*, 10 *junii* 1634) restricta est, et multis negotiorum speciebus, quæ a proprio ipsius fine aliena erant, exonerata.

Sed in determinandis ejus facultatibus, præcipuus fuit et præcipue hac in re adeundus Benedictus XIV (Constitutionibus *Romanus Pontifex*, idibus aprilis 1744 ; *in Apostolicæ*, ejusdem diei ; *Quamvis jam*, idibus decembris 1747 ; *Pastoralis*, 5 Augusti 1748).

§ II.

Quibus personis constet Sacra Pœnitentiaria : quodnam sit proprium cujusque officium : et quomodo eligantur ac deputentur.

Quæstio I^a. — *Quibus personis constet sacra Pœnitentiaria ?* — Eas sic enumerat Benedictus XIV (Constitutione *in Apostolicæ*, § 2) : « Hi, et non alii, officium Pœnitentiariæ constituent, « videlicet : major Pœnitentiarius, regens, theologus, datarius,

« canonista, corrector, sigillator, procuratores seu secretarii « tres, et scriptores ordinarii tres. » Præter hos, ad sacram etiam Pœnitentiariam aliquatenus pertinent sequentes : minores Pœnitentiarii, qui in tribus Romæ basilicis ad audiendas confessiones, cum certis facultatibus a majori Pœnitentiario acceptis, constituuntur : capellanus Pœnitentiariæ : et prosigillator, qui ad auxiliandum sigillatori deputari potest et solet.

Quæstio II[a]. — *Qualis esse debeat major Pœnitentiarius : quomodo constituatur : et quodnam proprium ejus officium ?* — Hæc determinavit Benedictus XIV, citata Constitutione *in Apostolicæ :* « Major Pœnitentiarius, inquit, unus sit ex sanctæ « Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus presbyter, idemque magis- « ter in theologia, seu decretorum doctor. Atque a solo « Romano Pontifice eligetur per litteras, ut hactenus moris « fuit, in forma Brevis. Suum autem munus per seipsum « exercere debebit. Sed si ex causa legitima, a Romano Pon- « tifice admissa, absens seu impeditus fuerit, ipsemet unum « alium e S. R. E. Cardinalibus, prædictis qualitatibus insi- « gnitum, pro-pœnitentiarium subrogabit : qui interim hoc « munus pariter per seipsum prosequatur ; litterasque, non « Pœnitentiarii subrogantis, sed suo proprio nomine jubeat « expediri. » (§ 4.)

« Quod si contigerit ut major Pœnitentiarius tempore va- « cantis Pontificiæ Sedis e vita decesserit, tunc a majore nu- « mero Cardinalium in conclavi degentium, vel ante con- « clavis ingressum in congregatione generali convenien- « tium, eligendus erit per secreta suffragia alius Cardinalis « pro-pœnitentiarius, ad ejusdem Sedis vacantis tempus. » (§ 4.)

« Præcipuum vero majoris Pœnitentiarii munus in recto « ac prudenti exercitio facultatum sibi concessarum (1) po- « situm est. Sed est quoque ejus muneris, quatuor diebus « majoris hebdomadæ, dominica quidem Palmarum in basilica

(1) Quænam sint illæ facultates, sequenti capite exponitur.

« sancti Joannis in Laterano, feria vero quarta in basilica S. « Mariæ Majoris, et quinta et sexta feriis in basilica sancti « Petri Vaticana, fidelium confessiones in sede ad id constituta « excipere, necnon capita pie sese submittentium virga pœni- « tentiali tangere, indulgentias eisdem juxta facultatem in « prædictis aliis nostris litteris (1) contentam impertiendo... « Ad hoc Romano Pontifici, in supremo vitæ agone consti- « tuto, ad spiritualem eidem in tali articulo ferendam opem, « assistere. » (§ 5.)

Quæstio IIIa. — *Quænam qualitates in aliis sacræ Pœnitentiariæ officialibus requirantur : et quomodo iidem officiales constituendi sint ?* — « Officialium autem post majorem Pœniten- « tiarium superius enumeratorum hæ potissimum qualitates « erunt : regens, datarius, theologus, et decretorum doctor « eligentur viri eximia doctrina præstantes, casuumque con- « scientiæ periti. Corrector sit in decretis, stylo, cæterisque « Pœnitentiariæ rebus diligenter versatus et instructus. Sigil- « lator probatæ fidei, et uti id munus postulat, omnium offi- « cii expeditionum peritus. Procuratores quoque et scripto- « res vita moribusque integris ornati, et ad suum quisque « officium exercendum idonei. Ad hæc omnes prædicti offi- « cii Pœnitentiariæ ministri, etiam procuratores et scriptores, « sint presbyteri, vel certe in aliquo ex sacris ordinibus « constituti. » (Benedictus XIV, Constit. *in Apostolicæ ;* § 10.)

« In electione prædictorum officialium hæc ratio et metho- « dus servanda erit : regens, theologus, datarius, decre- « terum doctor, corrector et sigillator, majoris Pœnitentiarii « cura et sollicitudine delecti, ac Romano Pontifici ab eodem « præsentati, ubi Pontificiam confirmationem obtinere me- « ruerint, litteris patentibus ipsius majoris Pœnitentiarii, « electionis et confirmationis hujusmodi testibus, cum subs- « criptione alicujus secretarii expeditis, ad suum quisque « officium admittantur. Ad procuratorum vero et scriptorum

(1) Nempe in Constitutione *Romanus Pontifex*, infra citanda.

« officia ab eodem majori Pœnitentiario, non alii eligantur et « recipiantur, quam qui prius, indicto publice concursu, « et mora sex dierum interposita, a regente et correctore « super vita, moribus, ætate, scientia, cæterisque requisitis « qualitatibus diligenter examinati et comprobati fuerint : « alioquin omnes prædictorum officiorum concessiones, « etiamsi a Romano Pontifice ex aliqua causa aliter factæ « fuerint, pro irritis habeantur. Qui autem rite juxta præs- « criptam formam electi fuerint, suis pariter patentibus « litteris a majori Pœnitentiario muniantur. » (Loco citato, § 11.)

Quoad pro-sigillatorem, capellanum, necnon minores Pœnitentiarios, dum infra eorum munus describitur, simul adnotatur quomodo constituendi sint, et quænam in eis qualitates requirantur.

Quæstio IV[a]. — *Quodnam sit munus Regentis?* — « Regen- « tis porro munus, quod ex inveterata consuetudine uni ex « Pontificiis capellanis causarum palatii Apostolici auditori- « bus committi solet, in eo situm est, ut negotia universa, « ea qua decet puritate et diligentia, dirigi studeat et expe- « diri. Proindeque petitiones casusque omnes ad Pœniten- « tiariæ officium deductos inprimis diligenter examinet ; « quæque perspicua sint, et secundum communem in eodem « officio cursum absque difficultate expediri consueverunt, « eadem expediri jubeat ; cum nullius omnino negotii, quan- « tumvis ordinarii vel clari, expeditionem sine prævia ipsius « regentis recognitione et approbatione procuratoribus liceat « incipere. Quæ vero dubia vel obscura vel aliqua difficultate « involuta conspexerit, ea regens ipse ad majorem Pœniten- « tiarium referat, ut diligentius examinentur ; ac demum in « ejus signatura (1) proposita decidantur. Ut vero primi ge- « neris quæ diximus explicatiora negotia quam celerrime

(1) *Signatura* vocatur congregatio officialium Pœnitentiariæ cum majori Pœnitentiario, quæ statutis diebus haberi solet.

« conficiantur, idem regens singulis hebdomadis procuratori-
« bus apud se convenire jussis, ac precibus recurrentium
« consideratis, suoque ad singulas conveniente rescripto sub-
« notato, ab iisdem procuratoribus absque longiori mora expe-
« diri mandet. » (Benedictus XIV, Constit. *in Apostolicæ*, § 12.)

Quæstio V^a. — *Quodnam sit munus correctoris?* — « Cor-
« rector, ut expeditiones apto et convenienti stylo conscriptæ,
« sanæ et integræ emittantur, earum schedulas, sive minu-
« tas, seu supplicationes a procuratoribus confectas diligenter
« recognoscat, examinet, et corrigat etiam quoad fieri pote-
« rit, antequam litteræ partibus tradendæ scribantur ; quo ni-
« mirum litteræ ipsæ integræ et mundæ, ac lituris rasurisque
« prorsus carentes expediantur. » (Ibidem, § 13).

Quæstio VI^a. — *Quodnam sit munus datarii ?* — « Datarius
« in calce supplicationum datam loci, diei, mensis et anni,
« tam æræ christianæ quam Pontificatus, adscribat; vel Ro-
« mano Pontifice demortuo, notam Sedis vacantis apponat. »
(Ibidem, § 14).

Quæstio VII^a. — *Quodnam sit munus Theologi consultoris?*
— « Theologus consultor, quod quidem munus uni ex pre-
« sbyteris societatis Jesu diuturna nec interrupta successione
« commendari consuevit, super petitionibus et casibus magis
« arduis et implexis, qui ad ipsum a majori Pœnitentiario
« vel Regente maturius considerandi et examinandi remitten-
« tur, adhibito diligenti studio judicium suum, etiam in scri-
« ptis si hoc ab ipso requiratur, aperiet. » (ibidem, § 15).

Quæstio VIII^a. — *Quodnam sit munus canonistæ consultoris?*
— « Canonista item consultor, seu decretorum doctor, simili-
« ter a majori Pœnitentiario vel Regente requisitus, suum pa-
« riter consilium super casibus ad se remissis, post accuratum
« examen, etiam scripto ubi id ab eo postuletur, proferre
« debebit. » (Ibidem, § 16).

Quæstio IX^a. — *Quodnam sit munus sigillatoris?* — Ad eum pertinet recognoscere an litteræ servatis servandis confectæ sint, ac eis sigillum apponere. Præterea, cum extet in Can-

cellaria Apostolica collegium scriptorum et procuratorum pro litteris Apostolicis *minoris gratiæ*, ac pro ejusmodi litterarum Apostolicarum expeditione percipiantur proventus, qui solvendis officialium Pœnitentiariæ honorariis addicuntur, sigillatori commissa est earum expeditionum cura, proventuumque exactio et administratio. Tandem eidem sigillatori concredita est archivii et regestorum Pœnitentiariæ custodia ; in quo tamen pro-sigillatoris auxilio et opera utitur. Quæ omnia fusius tradita reperies a Benedicto XIV, citata Constitutione *in Apostolicæ*, § 17.

Quæstio X^a^. — *Quodnam sit munus procuratorum ?* — « Pro-
« curatores seu secretarii... libellos supplices litterasque a
« recurrentibus missas integre percurrant, attenteque per-
« pendant, earumque compendia, cum ita res feret, fideliter
« conficiant. Cuncta vero ad majorem Pœnitentiarium vel Re-
« gentem referant, nihilque penitus responsi scribere aggre-
« diantur, absque alterutrius mandato. Quo recepto ante-
« quam ad expeditionem litterarum partibus tradendarum
« quoquomodo procedant, supplicationes seu minutas super
« materiis, ubi illis opus erit, per extensum exarare de-
« beant, a correctore recognoscendas... Summopere conduce-
« cet formulas habere præ manibus, suo quamque generi pe-
« titionum accommodatas, et a majori Pœnitentiario, cum
« consilio sex majorum officialium superius memoratorum,
« prius comprobatas ; a quibus, nisi ex gravi causa per majo-
« rem Pœnitentiarium vel Regentem admissa, nullatenus re-
« cedere supradictis procuratoribus liceat. » (Ibidem, § 18).

Quæstio XI^a^. — *Quodnam sit munus scriptorum ?* — Ipsis incumbit litteras scribere, necnon in regesta referre quæ ipsis dabuntur eo referenda. (Vide ibidem, § 19).

Quæstio XII^a^. — *Quodnam sit officium pro-sigillatoris et a quo eligatur et deputetur ?* — « Pro-sigillator a majori Pœnitentia-
« rio eligetur, vir celebs, et prima saltem tonsura insignitus,
« ætate matura, morum probitate scientiaque ad suum obeun-
« dum munus necessaria præditus, quique bona in Urbe ha-

« beat, vel idoneam cautionem... Duplex porro erit hujus-
« modi pro-sigillatoris munus: alterum nempe exactoris et
« administratoris proventuum Pœnitentiariæ; et alterum re-
« gistratoris non unius generis rerum quæ infra exprimen-
« tur. » (Ibidem, § 30).

Quæstio XIII[a]. — *Quodnam sit officium cappellani?* — « Is
« itidem aut presbyter, aut in sacro aliquo ordine constitu-
« tus, a majori Pœnitentiario eligi, atque aulæ, in qua signa-
« tura Pœnitentiariæ habetur, janitorem agere debebit. Dies
« etiam et horas, tam signaturæ ipsius quam aliarum omnium
« Pœnitentiariæ functionum, datis ad singulos officiales sche-
« dulis indicet. » (Ibidem, § 28).

Quæstio XIV[a]. — *Quodnam sit officium minorum pœnitentia-riorum, et quomodo constituantur.* — Præsto esse debent ad audiendas quotidie in variis linguis confessiones, in basilica sibi assignata. Admitti nequeunt nisi fuerint a majori Pœnitentiario et a Pœnitentiariæ *signatura,* (id est, a Congregatione officialium Pœnitentiariæ) examinati et approbati. Ad majorem Pœnitentiarium pertinet eos in tribus Urbis basilicis constituere, et opportunas eis facultates concedere. Assumuntur e tribus religiosis ordinibus, ita ut omnes minores pœnitentiarii ejusdem basilicæ ex eadem religiosa familia sint. Habitant conventualiter haud procul a sua basilica, et conventui præest unus ex ipsis, qui Pœnitentiariæ superior nuncupatur. Sustentantur autem Pontificiis sumptibus. (Vide ibidem, § 6; necnon apud Plettenberg, *Notitia Congregationum,* pag. 74 edit Hildesii 1693).

Quæstio XV[a]. — *Perpetua esse Pœnitentiariæ officia?* — « Officia omnia memorata, perpetua sint, durante obtinen-
« tium vita; neque, secluso casu legitimæ privationis..., ali-
« ter vacare censeantur, quam per liberam puramque ipsorum
« dimissionem, vel per promotionem ad cardinalatum aut
« episcopatum residendi onus afferentem, vel per translatio-
« nem ad aliud ejusdem Pœnitentiariæ officium. » (Benedictus XIV Const. *in Apostolicæ,* § 24).

Quæstio XVI[a]. — *Quodnam juramentum ab officialibus sacræ Pœnitentiariæ sit præstandum?* — Præscripta juramenti formula tenoris est hujusmodi: « Ego N... Regens (1) ab hac « hora in antea ero fidelis et obediens B. Petro et Domino « nostro Papæ ejusque successoribus canonice intrantibus: « officium meum fideliter exercebo et gratis; ejusque ratione « nihil ab aliquibus, etiam sponte oblatum vel donatum acci- « piam, præterquam salarium mihi constitutum: secreta Sacræ « Pœnitentiariæ, et occultos casus, ac personas de quibus in « ea tractabitur, numquam cuiquam extra officium revelabo: « et ita juro ad sacrosancta Dei evangelia. » (Præscribitur hæc formula paragrapho 22 citatæ Constitutionis *in Apostolicæ*.)

§ III.

Quænam sit majoris Pœnitentiarii potestas seu jurisdictio.

I. Quoad materias etiam ad quas sese non extendit sua jurisdictio, potest semper major Pœnitentiarius adire Summum Pontificem, et postulatæ gratiæ concessionem, vivæ vocis oraculo a Pontifice pronuntiatam, transmittere. Et dum asserit aliquid a Summo Pontifice vivæ vocis oraculo fuisse pronuntiatum, ipsi credi debet. Ita expresse disponit et declarat Benedictus XIV (Constitutione sua *Pastor bonus*, 13 aprilis 1744, § 5). Hinc in praxi eos qui sacram Pœnitentiariam pro gratiarum concessione adire volunt, necesse non est prænoscere an Pœnitentiariæ potestas ad hos casus sese extendat necne: quia, si jurisdictionem suam non excedant, per se solum major Pœnitentiarius postulata concedet: si excedant, adibit Summum Pontificem, et habebitur concessio Pontificia vivæ vocis oraculo. Ipse autem apprime callere debet quænam sint ipsius facultates.

II. Ejusmodi autem facultates summa cura enumeravit ac determinavit Benedictus XIV in sua Constitutione *Pastor bonus*,

(1) Vel sigillator, vel consultor theologus, etc.

13 aprilis 1744. Nec possemus hic eas referre nisi totam fere illam Constitutionem transcribendo. Cumque bullarium dicti Pontificis facile sibi quisque comparare valeat, lectorem ad hunc textum remittere visum est. Enumeratis tamen in dicta Constitutione facultatibus addenda est dispositio, qua idem Pontifex (in alia Constitutione quæ incipit *Pastoralis*, 5 augusti 1748), majori Pœnitentiario committit, ut Episcoporum negligentiam suppleat, si statutis temporibus extraordinarios confessarios monialibus deputare omittant. In hoc autem casu nequit major Pœnitentiarius alios deputare in confessarios, quam ex eorum numero, qui fuerint ab Ordinario loci ad excipiendas monialium confessiones approbati.

III. Notetur nullam adjectam fuisse limitationem facultati quam habet major Pœnitentiarius, *dubia omnia in materia peccatorum* decidendi (vide dictam Constit. *Pastor bonus*, § 48).

IV. Utplurimum autem ad sacram Pœnitentiariam recurritur, pro casibus et censuris Sedi Apostolicæ reservatis; pro dispensatione in votis, Summo Pontifici pariter reservatis, eorumdemque commutatione; pro dispensatione in irregularitatibus et inhabilitatibus; pro condonatione fructuum male perceptorum; et quam frequentissime pro dispensatione in occultis impedimentis matrimonii; et pro dubiis forum pœnitentiale concernentibus.

Nota. — Frequentissime contingit ut confessarii pœnitentes reperiant, qui in miserrimo conscientiæ statu insordescunt, sive ob censurarum vincula, sive ob votorum violationem, sive ob matrimonii impedimenta, sive ob irregularitates et casus reservatos. Et quia quandoque iidem confessarii modum recurrendi ad S. Pœnitentiariam ignorant, remque difficilem existimant opportunas dispensationes et absolutiones obtinere, hærent anxii, et pœnitentes perplexos relinquunt; ex quo etiam accidere potest ut aliqui morte prævenli in suo pravo statu misere occumbant. Hinc visum est recurrendi ad S. Pœnitentiariam, necnon ab eo tribunali obtentas litteras intelligendi et exequendi, methodum seu praxim hic paucis describere.

§ IV.

Recurrere ad S. Pœnitentiariam esse rem facillimam; et quomodo scribendum sit.

1° Sciat confessarius, et pœnitentibus quos ad recurrendum inducit bene declaret, dispensationes et absolutiones aliasve gratias, a Sacra Pœnitentiaria *omnino gratis* concedi. Quandoque enim ab ejusmodi recursibus deterret falsa de faciendis expensis persuasio.

2° Pro recursu faciendo sufficit epistola, ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium directa; quam ipse etiam confessarius scribere potest.

3° Necesse non est epistolam istam latine scribi; sed potest scribi gallice aut in alio idiomate. Quod adnotamus, ne quosdam forte a recurrendo latinæ scriptionis difficultas deterreat.

4° Epistolæ apponatur hæc superscriptio : *Eminentissimo Cardinali majori Pœnitentiario, Romam,* vel æquivalens in alio idiomate. Intus vero sint hæc prima verba, *Eminentissime et Reverendissime Domine.*

5° Ubi agitur de casibus occultis non exprimitur nomen personæ pro qua recurritur. Sed designatur persona per litteram N...; hoc modo, verbi gratia : *N... mulier emisit votum simplex castitatis ; manet in periculo incontinentiæ nisi nubat : supplicat secum dispensari in voto, ad effectum contrahendi matrimonium.* Item necesse non est ut epistola subscribatur ab eo qui illam scribit.

6° Accurate autem sub finem epistolæ exprimatur nomen et cognomen illius ad quem dirigendum est responsum; itemque accurate ponatur nomen loci, ut tuto responsum perveniat. Hinc solet epistola sic terminari : *Dignetur Eminentia vestra rescribere ad...*

7° Debet clare exprimi casus cum circumstantiis necessariis, et gratia quæ postulatur; sed præsertim procuret confes-

sarius ut exprimatur *vera* causa recursus : si enim tacita vera, exprimatur falsa ad obtinendam dispensationem, dispensatio erit nulla.

8° Tandem sciant confessarii posse ipsos ad Sacram Pœnitentiariam recurrere, etiam pro absolutionibus et dispensationibus quas posset Episcopus concedere. Et quandoque, ob certas circumstantias et indicia extra forum conscientiæ habita, posset suspicari Episcopus quænam sit persona pro qua ad ipsum recurritur. Quo casu pœnitens, qui forsan a recursu ad Episcopum refugeret, recursum ad Sacram Pœnitentiariam ultro admittet. Tunc vero abs re non erit ut in epistola exprimat confessarius causam cur ad Sacram Pœnitentiariam potius quam ad Ordinarium recurratur.

§ V.

Quomodo S. Pœnitentiaria rescribere soleat ; et de recte intelligendis nonnullis quibus utitur clausulis ; necnon de formula qua cum potest confessarius commissionem sibi factam exequi.

Prænotanda. — 1° Quando petitur a Sacra Pœnitentiaria alicujus dubii declaratio, verbi gratia, an hoc vel illud sit licitum necne, litteræ quæ rescribuntur, nihil aliud continent quam dubii decisionem. De hujusmodi litteris non est cur disseramus, quia difficultatem non præbent.

2° Cæteræ vero dicti tribunalis responsoriæ litteræ, quibus nempe absolutiones, dispensationes, aliæve gratiæ conceduntur, nonnullas continent formulas et clausulas, quæ non adeo facile ab omnibus intelliguntur. Cumque soleant dictæ gratiæ concedi per formam *commissionis*, id est, committendo ipsimet confessario personæ recurrentis, vel alteri, ut concessionem exequatur, posset is circa modum explendæ commissionis anceps hærere. Ad quas explanandas difficultates, subjiciemus litterarum formulas quibus pro materiarum varietate Sacra Pœnitentiaria uti consuevit ; et post exhibitam

unamquamque formulam, quomodo variæ clausulæ intelligendæ sint, et quomodo confessarius commissionem exequi valeat, adnotabimus.

I.

De litteris, quibus a S. Pœnitentiaria conceditur commutatio voti simplicis castitatis, ad effectum contrahendi matrimonium.

I. *Quænam esse soleat formula.* — Ejusmodi litterarum formula solet esse in hunc modum (1) : « Leander, miseratione « divina tituli SS. Nerei et Achillei S. R. E. presbyter Cardi- « nalis Coloredus. — Discreto viro confessori, ex approbatis « ab Ordinario, per latorem præsentium ad infra scripta « specialiter eligendo, salutem in Domino. — Ex parte lato- « ris præsentium nobis oblata petitio continebat : quod ipse « alias simpliciter vovit castitatem servare. Cum autem dic- « tus lator continenter vivere posse diffidat, ideo pro suæ « conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam sibi votum « præfatum, ad effectum contrahendi matrimonium, in alia « pœnitentiæ opera commutari. Quare supplicari fecit nobis « humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio provi- « dere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini « Papæ curam gerimus, authoritate Apostolica specialiter « nobis concessa, discretioni tuæ committimus, quatenus, si « est ita, dictum latorem, audita prius sacramentali confes- « sione, injunctaque ei salutari pœnitentia, sibi votum præ- « fatum (ad hoc tantum ut matrimonium legitime contrahere « et in eo debitum conjugale exigere et reddere licite possit) « dispensando, commutes in sacramentalem confessionem « semel quolibet mense, et in alia pœnitentiæ opera per te « injungenda, tamdiu duratura, quandiu præfatæ commuta-

(1) Supponemus in hac et sequentibus formulis, Cardinali majori Pœnitentiario nomen esse Leandrum Coloredum, et assignatum ei esse titulum sanctorum Nerei et Achillei.

« tioni locus erit : inter quæ sint aliqua pietatis, quæ quotidie « facere teneatur, ad eum finem ut ea adimplens meminisse « semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringe- « batur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire « judicaveris : in foro conscientiæ et in ipso actu sacramen- « talis confessionis tantum, et non aliter neque ullo alio modo. « Ita quod, si mulieri cui conjungetur supervixerit, castita- « tem servet, utpote eodem voto ut prius obligatus : et si « extra matrimonium fornicatus fuerit, aut mortua dicta mu- « liere aliud matrimonium contraxerit, sciat se contra votum « hujusmodi facere, et debitum conjugale exigere non posse : « et ita illum moneas. Datum Romæ...»

II. *Adnotanda circa præmissam formulam.* — 1° Vir vel mulier ad Sacram Pœnitentiariam recurrens *latoris* vel *latricis* nomine in ejusdem S. Pœnitentiariæ litteris designatur.

2° Quandoque exequendæ committuntur litteræ, non cuilibet confessario ex approbatis, quem sibi recurrens eligerit, sed confessario qui simul sit doctor in theologia vel in jure canonico ; et tunc formulæ inseruntur verba hæc, « discreto viro confessori, *magistro in theologia* vel *decretorum doctori*, ex approbatis...» In hoc autem casu confessarius qui non est doctor nequit litteras ad executionem deducere.

3° Clausula *ex approbatis ab Ordinario*, si agatur de moniali, intelligendus est, ex approbatis *pro monialibus*, nisi aliter expresse in litteris statuatur.

4° Clausulam *si ita est* intelligas de veritate causæ finalis, propter quam scilicet petitur, et ob quam conceditur gratia. Debet nempe confessarius, antequam commissionem exequatur, inquirere an causa illa revera existat. Cæterum necesse non est ut notitiam illam sibi comparet per testimonia aut scripturas, sed sufficit ipsa assertio pœnitentis, cui in hoc credi debet. Quod si forte confessarius pœnitentem interrogando de causæ expressæ veritate, reperiat falsam allegatam fuisse ab ipso causam, eo fine verbi gratia, ut facilius intentum obtineret, monere eum debet nullam esse Pœnitentiariæ

concessionem. Sed potest iterum recurri, veram causam exprimendo,

5° Clausula *in foro conscientiæ tantum*, indicat concessionem non valere quoad forum externum.

6° Clausula *in ipso actu sacramentalis confessionis*, necessariam reddit prævium sacramentalem confessionem, ipsimet confessario executori factam. Quæ conditio nisi impleatur nulla evadit Sacræ Pœnitentiariæ concessio. Confessarius ergo primum absolvat de more pœnitentem a peccatis et censuris; et postea commissionem exequatur per formulam infra traditam.

7° Clausula *et ita illum moneas*, per se clara est. Debet nempe confessarius pœnitentem monere de effectibus gratiæ concessæ.

III. *Formula qua uti poterit confessorius ad exequendas prædictas Sacræ Pœnitentiariæ litteras.* — Post solitam absolutionem sacramentalem dicat confessarius : « Insuper, auctoritate « Apostolica mihi specialiter delegata, tibi votum castitatis « quod emisisti, ad effectum ut matrimonium contrahere et « debitum conjugale reddere et exigere licite valeas, in opera « tibi præscripta dispensando commuto. In nomine Patris et « Filii et Spiritus Sancti. »

II.

De litteris S. Pœnitentiariæ, ut is qui, nonobstante voto simplici castitatis vel ingrediendæ religionis, matrimonium contraxit, absolvi possit et debitum conjugale exigere.

I. *Quænam esse soleat harum litterarum formula.* — Quoad hunc casum necesse non foret ad S. Pœnitentiariam recurrere, siquidem posset dispensatio ab Episcopo loci concedi. Sed, prout supra adnotavimus, potest etiam obtineri a S. Pœnitentiaria. Et quando ad eam recurritur, litteræ concessionis eædem fere esse solent ac præcedentes. Discrimen

nempe est in hac phrasi : « Si ita est, dictum latorem, a « transgressione hujusmodi absolvas, injuncta ei pro modo « culpæ pœnitentia salutari, ipsumque in dicto matrimonio « remanere et debitum conjugale reddere posse et debere « declares ; et cum eodem, quatenus de illius incontinentia « timendum sit, ut idem debitum conjugale etiam exigere « licite valeat misericorditer dispenses, in foro conscientiæ, « etc. »

II. *Adnotanda circa illam formulam.* — Si apponatur dumtaxat clausula *injuncta pœnitentia salutari*, non est difficultas, quia sufficiens erit pœnitentia quam opportunam in casu existimabit confessarius. Sed quandoque apponitur clausula *injuncta ei gravi pœnitentia ;* et tunc quæritur quænam pœnitentia censenda sit *gravis*. Tenent doctores communiter id intelligendum esse juxta vires pœnitentis. Communius etiam recipitur gravem esse pœnitentiam si injungatur, verbi gratia, per sex menses jejunium semel in hebdomada, vel recitatio rosarii ter in hebdomada, et æquivalentia. De quo vide sanctum Ligorium (l. 6, n. 1143).

III. *Formula qua uti poterit confessarius ad exequendas ejusmodi litteras.* — Post solitam sacramentalem absolutionem, sic addat : « Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter dele- « gata, ut, non obstante voto castitatis quod emisisti et trans- « gressus es, in dicto matrimonio remanere, et debitum con- « jugale reddere et exigere possis, tecum dispenso. In nomine « Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

III.

Prænotanda circa litteras Sacræ Pœnitentiariæ super dispensationibus matrimonialibus.

I. *Quænam sint sacræ Pœnitentiariæ facultates quoad dictas dispensationes.* — Enumerantur a Benedicto XIV in Constitutione *Pastor bonus* 13 aprilis 1744 ; et sunt sequentes :

1° Pro matrimoniis contrahendis dispensare potest in foro conscientiæ tantum, super impedimentis *impedientibus* occultis, et super omissione denuntiationum, etiam ad effectum contrahendi secreto, seu ineundi matrimonium *conscientiæ*. Ejusmodi impedimenta impedientia tria tantum extant, nempe *votum*, *sponsalia* et *vetitum* ab ecclesia *tempus*.

2° Si agatur de impedimentis consanguinitatis, aut etiam de impedimentis affinitatis provenientis ex copula *licita* vel ex cognatione spirituali, et matrimonium sit contrahendum, dispensare nequit Pœnitentiaria, etiam in foro interno, quantumvis impedimenta sint occulta et periculum immineat.

3° Dispensare potest in foro conscientiæ super impedimento occulto affinitatis provenientis ex copula *illicita*, sive matrimonium sit contrahendum, sive sit jam contractum.

4° Quoad matrimonia contracta, dispensare potest super impedimentis occultis consanguinitatis et affinitatis in tertio et quarto gradu: non autem in primo et secundo, vel secundo tantum gradu consanguinitatis, aut affinitatis ex copula licita.

5° Si tamen impedimentum, in secundo gradu tantum existens, per decennium occultum remanserit, et conjuncti publice contraxerint et convixerint, poterit S. Pœnitentiaria dispensare.

6° Si in recursu ad Datariam super impedimento dirimente publico, non fuerit declarata copula carnalis secuta, et sic matrimonium nulliter contractum fuerit, potest S. Pœnitentiaria dispensare pro revalidatione matrimonii. Item si dicti recurrentes ad Datariam, carnalem quidem copulam declaraverint, sed non dixerint ea intentione habitam fuisse ut facilius dispensatio in impedimento publico obtineretur, potest major Pœnitentiarius dispensare pro revalidatione matrimonii; ita tamen ut iisdem, si pauperes non sint, solvendam Datariæ certam summam præscribat.

7° Tandem dispensare etiam potest S. Pœnitentiaria in impedimento occulto criminis: difficilius tamen eam dispensa-

tionem concedere debebit, si adfuerit etiam machinatio.

II. Ex dictis, non dispensat S. Pœnitentiaria nisi super impedimentis *occultis*. Pro publicis enim ad Datariam recurrendum est. Hinc in ejusmodi S. Pœnitentiariæ dispensationibus apponitur clausula, *dummodo impedimentum occultum sit*. Oritur autem quæstio, quodnam impedimentum censendum sit occultum.

« Occultum vero (ait Plettenberg) hic dicitur illud quod a « nemine vel a tam paucis scitur, ut neque sit manifestum « neque notorium notorietate juris vel facti; ideoque licet « aliquibus (verbi gratia in communitate duobus vel tribus, « in oppido quinque aut sex, in civitate septem aut octo) no- « tum sit, est adhuc occultum; dummodo ex circumstantiis « non appareat rem facile publicandam. » (*Notitia Congregationum*, pag. 203, edit. Hildesii 1693).

III. Quando dispensat Sacra Pœnitentiaria pro revalidando matrimonio nulliter contracto, exigit ut uterque conjux certior factus de impedimento, consensum renovet: apponit enim hanc clausulam: *Cum eisdem latoribus, de nullitate prioris consensus certioratis, ut inter se de novo, secrete ad evitanda scandala, contrahere valeant*. Vel, si alter conjux impedimentum ignoret, ponitur hæc alia clausula: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute ut latoris delictum nusquam detegatur*, etc.

At non raro imminet periculum ne pars impedimenti nescia, si de nullitate matrimonii certior fiat, jam a conjuge discedere velit, et ad alias nuptias convolare.

Tunc autem postulanda est dispensatio *in radice;* quæ in eo consistit, ut tollatur impedimentum et validum reddatur matrimonium, quin detegatur matrimonii nullitas illi parti quæ eam ignorat. Certum est posse a Summo Pontifice dispensationem ejusmodi concedi. Major autem Pœnitentiarius eam ex ordinariis suis facultatibus non concedit.

Nihilominus potest confessarius ad Sacram Pœnitentiariam pro illa obtinenda scribere. Quia major Pœnitentiarius, facto

verbo cum Summo Pontifice, ex oraculo Pontificio concessam dispensationem illam transmittet.

IV.

De litteris S. Pœnitentiariæ quibus dispensatur super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, pro matrimonio contrahendo.

I. *Quænam esse soleat formula.* — Ejusmodi litterarum formula solet esse in hunc modum: « Leander... Cardinalis. — « Discreto viro confessorii..., salutem in Domino. — Ex parte « latoris præsentium nobis oblata petitio continebat: quod « ipse de matrimonio contrahendo tractavit cum muliere, « quam et cujus matrem carnaliter cognovit. Cum autem « dicta carnalis cognitio, cum præfata mulieris matre habita, « sit occulta, et nisi lator cum dicta muliere matrimonium « contrahat periculum immineat scandalorum, ideo ad dicta « scandala evitanda et pro suæ conscientiæ quiete cupit per « Sedem Apostolicam absolvi secumque dispensari. Quare « nos... discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, « dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione, « ac sublata occasione amplius peccandi cum dicta mulieris « matre, ab incestu et excessibus hujusmodi absolvas, injun- « cta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia « salutari, et aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, « dummodo impedimentum ex præmissis proveniens occultum « sit, et aliud canonicum non obstet, cum eodem latore, ut « præmissis non obstantibus matrimonium cum dicta muliere « et uterque inter se publice, servata forma Concilii Triden- « tini, contrahere, et in eo postmodum remanere licite, mi- « sericorditer dispenses; prolem suscipiendam exinde legiti- « mam pronuntiando in foro conscientiæ: ita quod hujusmodi « absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus suf- « fragentur: nullis super his testibus adhibitis aut litteris « datis, seu processibus confectis; sed præsentibus lacera- « tis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ la-

« cerare tenearis, neque eas latori restituas: quod si resti-
« tueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum... »

II. *Adnotanda circa præmissam formulam.* — Clausula hæc, *et aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda,* indicat præscribendum etiam esse pœnitenti prout exigunt alia ipsius peccata et status ipsius animæ : verbi gratia, si teneatur ad restitionem, debet ei restitutio injungi, et sic de aliis.

Clausula *dummodo aliud impedimentum canonicum non obstet* bene attendenda est. Si enim aliud impedimentum dirimens detegeretur, pro illo nova obtinenda esset dispensatio.

Quoad clausulam *præsentibus laceratis* etc., sic adnotat S. Ligorius (l. 6, n. 1143, sub finem) : « Hæc laceratio statim
« facienda est; sed intellige moraliter, nempe saltem infra
« triduum post dispensationem executam. Si autem in litteris
« non sit opposita clausula lacerationis..., tunc non est obli-
« gatio eas lacerandi; sed hujusmodi dispensatio debet a pa-
« rocho caute adnotari in libro, qui non possit ab alio aspici,
« ad hoc ut ipse possit requisitus postmodum, si opus erit,
« fidem facere de dispensatione impetrata. » Ego tamen non bene video quomodo ex ejusmodi litteris, in quibus tacentur recurrentium nomina, fieri possit fides de obtenta quoad ipsos dispensatione. Videtur loqui S. Liguorius de casu quo eorum nomina expressa fuerint.

Clausula qua cavetur, ut litteræ, si latori restituantur, *nihil ei suffragentur,* intelligitur a Plettenbergio in eo sensu, quod *non suffragentur in foro externo ;* cæterum validam fore dispensationem *in foro conscientiæ,* etiamsi executor litteras traderet personæ quæ dispensationem obtinuit (*Notitia Congregationum*, pag. 238, edit. Hildesii 1693.)

II. *Formula qua uti poterit confessarius ad exequendas præmissas litteras.* — Post solitam sacramentalem absolutionem, subjungat in hunc modum : « Et insuper, auctoritate Aposto-
« lica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impe-
« dimento primi (seu secundi, seu primi et secundi), ex
« copula illicita a te habita cum matre (vel cum sorore) mu-

« lieris cum qua contrahere intendis proveniente; ut præ-
« fato impedimento non obstante matrimonium cum dicta
« muliere publice, servata forma Concilii Tridentini contra-
« here consummare ac in eo remanere licite possis. Insuper
« eadem auctoritate Apostolica prolem quam ex matrimonio
« susceperis legitimam fore nuncio et declaro. In nomine
« Patris et Filii et Spiritus Sancti : Amen. »

V.

De litteris sacræ Pœnitentiariæ quibus dispensatur super impedimento occultæ affinitatis ex copula illicita, pro validando matrimonio contracto.

In formula qua tunc S. Pœnitentiaria uti solet præcipue attendenda sunt verba hæc : « Ut dicta muliere de nullitate
« prioris consensus certiorata (sed ita caute ut latoris delic-
« tum nusquam detegatur) matrimonium cum eadem muliere
« et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala
« contrahere licite valeat, misericorditer dispenses. »

Juxta hanc formulam debet pars, nullitatis matrimonii nescia, de illa certior fieri. Quandoque autem, ut supra diximus, expedit ut relinquatur in hac ignorantia. At tunc obtinenda est dispensatio *in radice*. Si tamen non haberetur specialis illa Pontificia dispensatio, sed tantum Sacræ Pœnitentiariæ juxta præmissa verba, et simul adesset urgentissima necessitas, putat Sanctus Ligorius licitum fore confessario dispensationem exequi, non certiorata parte quæ matrimonii nullitatem ignorat, non obstante clausula contrarium præscribente in Sacræ Pœnitentiariæ litteris (l. 6, n. 1115 et 1116).

Nota, in casu revalidationis matrimonii nulliter contracti ob impedimentum occultum, non requiri ut consensus renovetur *coram parocho et testibus ;* ut palam faciunt citata verba formulæ, *secrete ad evitanda scandala.*

Ad exequendas autem ejusmodi S. Pœnitentiariæ litteras, facile ex jam dictis formulam sibi concinnare poterit confessarius. Eam tradit Plettemberg, loco citato, pagina 243.

VI.

De litteris S. Pœnitentiariæ quibus dispensatur super impedimento consanguinitatis vel affinitatis, quod a partibus notum non fuit nisi post publice contractum matrimonium.

I. Formula solet esse in hunc modum : « Leander... Cardi-
« nalis. — Discreto viro confessario salutem in Domino. —
« Pro parte viri et mulieris latorum præsentium nobis oblata
« petitio continebat, quod ipsi alias factis proclamationibus
« in Ecclesia fieri solitis, et nullo detecto seu denuntiato im-
« pedimento, quominus possent inter se matrimonium con-
« trahere, illud publice in facie Ecclesiæ contraxerunt et suc-
« cessive consummarunt. Deinde secrete resciverunt se tertio
« consanguinitatis (seu affinitatis) gradu esse conjunctos, seu
« se attinere, et forsan in carnali copula perseverarunt. Cum
« autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicti latores ob
« impedimentum ex præfato tertio gradu hujusmodi prove-
« niens, quod occultum remanet, in dicto matrimonio absque
« Sedis Apostolicæ dispensatione remanere nequeant ; ideo,
« ad evitanda scandala, quæ si divortium fieret inter eos,
« verisimiliter exorirentur, ac pro suæ conscientiæ quiete,
« cupiunt latores a præmissis, de quibus plurimum dolent,
« absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicarunt,
« etc... Nos igitur discretioni tuæ committimus, quatenus, si
« ita est, dictos latores, audita prius eorum sacramentali
« confessione, a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis eccle-
« siasticis, incestu et excessibus hujusmodi absolvas hac vice
« in forma Ecclesiæ consueta .. Demum, dummodo impedi-
« mentum occultum sit, et separatio inter eos fieri non possit
« absque scandalo, aliudque canonicum non obstet, cum eis-
« dem latoribus, ut matrimonium inter se de novo, secrete
« ad evitanda scandala, contrahere et in eo postmodum
« remanere licite valeant, misericorditer dispenses : prolem

« susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam « decernendo in foro conscientiæ...»

II. Formulam ad exequendas has litteras facile sibi concinnare poterit confessarius, ad instar supra propositarum.

Nota. — Haud utile existimamus cæteras subjicere formulas pro dispensationibus matrimonialibus ; verbi gratia, quando dispensatur ab impedimento criminis ; ab impedimento occulto quod non fuit declaratum in Dataria, dum petita est dispensatio pro publico, etc. Difficultates siquidem quæ occurrere possent in praxi, quoad intelligendas et exequendas illas dispensationes, satis per præmissa diluuntur. Cæterum ejusmodi formulas reperies apud Plettenberg (*Notitia Congregationum*, p. 244 et seq., edit. Hildesii 1693).

VII.

De litteris S. Pœnitentiariæ quibus absolvit a censuris et casibus reservatis.

I. Diximus supra Sacram Pœnitentiariam non *dispensare* nisi in casibus *occultis*. Atvero *absolvere* potest a culpis et censuris reservatis, sive sint occultæ, sive sint publicæ : cum hoc tamen discrimine quod absolutionem occultorum committat confessario, publicorum vero Ordinariis.

II. Pro absolutione, verbi gratia, illius qui publice in clericum manus violentas injecit, solet S. Pœnitentiaria rescribere in hunc modum : « Venerabili in Christo Patri Episcopo N... « (sive ejus vicario in spiritualibus generali). — Leander... « Cardinalis Colleredus, salutem et sinceram in Domino cha- « ritatem. — Pro parte N.., diœcesis N... latoris præsen- « tium nobis oblata petitio continebat quod ipse alias in pu- « blica platea præfatæ civitatis manus violentas in clericum « N.., illum præsertim lethaliter in capite vulnerando, in- « jecit. Propter quod lator excommunicationem incurrit. « Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus « lator de præmissis plurimum doleat, ad Urbem vero pro

« absolutione desuper obtinenda personaliter accedere ne-
« queat; ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem
« Apostolicam absolvi. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini
« Papæ curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati,
« auctoritate Apostolica specialiter nobis concessa, circums-
« pectioni vestræ committimus, quatenus, si ita est, dictum
« latorem, postquam præfato clerico, si nondum satisfecit,
« satisfecerit, vel per eum non steterit quominus arbitrio
« vestro satisfaciat competenter, ab excommunicationis sen-
« tentia, quam propter præmissa incurrit, sive per vos, sive
« per confessorem a vobis ad id specialiter deputandum, ab-
« solvatis hac vice, in forma Ecclesiæ consueta ; injuncta ei
« pro modo culpæ pœnitentia salutari; quodque ad Urbem
« quamprimum poterit personaliter accedat ; et aliis quæ de
« jure fuerint injungenda. Ita tamen, ut si lator sententiæ
« sive ordinationi vestræ super præmissis forsan latæ seu
« ferendæ parere, et ad Urbem ut præfertur venire contemp-
« serit, in dictam excommunicationem relabatur eo ipso.
« Datum... »

VIII.

De litteris S. Pœnitentiariæ quibus dispensat in irregularibus remisswe.

1° S. Pœnitentiaria non dispensat in irregularitate cum sæcularibus viris, nisi casus sit *occultus :* quoad religiosos vero dispensat super irregularitate etiam in casibus publicis.

2° Irregularitas ex homicidio voluntario est reservata S. Pœnitentiariæ.

3° Formulas pro dispensationibus super irregularitate vide apud Plettenberg (*Notitia Congregationum*, pag. 273 et seq., edit. Hildesii 1693).

IX.

De litteris S. Pœnitentiariæ quibus condonantur fructus male percepti.

1° Fructus male percipiuntur, ob non recitatas horas canonicas, vel ob nullitatem tituli beneficialis. In utroque casu non fit condonatio per S. Pœnitentiariam, nisi obligatio restituendi sit occulta. Nam in casibus publicis recurrendum est ad Datariam.

2° Sacra Pœnitentiaria fructus male perceptos condonat clericis pauperibus, imposita aliqua eleemosyna : divitibus autem per compositionem.

3° Formula condonationis fructuum male perceptorum ob omissam horarum canonicarum recitationem, fit in hunc modum : « Leander... Cardinalis. — Discreto viro confessario « salutem in Domino. — Pro parte latoris præsentium nobis « oblata petitio continebat, quod ipse alias beneficium eccle- « siasticum possidens, horas canonicas recitare omisit, et « tamen fructus ex præfato beneficio semper percepit. Cum « autem, sicut eadem petitio subjungebat dictus lator de « præmissa omissione recitationis officii, quæ occulta est, plu- « rimum doleat, fructusque male perceptos ob suam pau- « pertatem restituere nequeat, ideo pro suæ conscientiæ « quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi et sibi fructus « hujusmodi condonari. Quare Nos... discretioni tuæ com- « mittimus quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius « ejus sacramentali confessione, ab omissione recitationis « hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta ; « injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, et aliis quæ « de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo occultum « sit latorem teneri ad hujusmodi fructuum restitutionem, et « adeo pauper sit, ut nec prout de jure fructus restituere, « ne cum S. Pœnitentiaria componere possit, eidem latori « fructus omnes male perceptos, mediante aliqua eleemo-

« syna, a te arbitrio tuo taxanda et distribuenda in pau-
« perum subventionem et utilitatem Ecclesiæ in qua est situm
« beneficium, gratiose remittas et condones in foro conscien-
« tiæ... »

§ VI.

De abbreviationibus quæ in litteris S. Pœnitentiariæ reperiuntur.

Est stylus, id est, consuetudo Sacræ Pœnitentiariæ ut quædam verba non scribantur integre, sed per aliquas solummodo litteras. Qui usus olim generalis fuit, ut testantur vel ipsi libri sæculo decimo quinto impressi. Hodie vero nonnullis confessariis ad quos S. Pœnitentiariæ commissiones diriguntur, difficultatem ejusmodi abbreviationes facere possent. Quapropter visum est harum abbreviationum catalogum, cum integris correspondentibus verbis, subnectere.

Archiepus. . . . , ...	Archiepiscopus.
Alr.	Aliter.
Als	Alias.
Alsoluo	Absolutio.
Aplica.	Apostolica.
Appbatis.	Approbatis.
Autte	Auctoritate.
Cartlis.	Cadinalis.
Canice.	Canonice.
Cen.	Censuris.
Circumpeoni	Circumspectioni.
Xpus.	Christus.
Confeonc.	Confessione.
Confeori	Confessori.
Coione	Communione.
Consciæ.	Conscientiæ.
Constituonibus	Constitutionibus.
Discreoni.	Discretioni.

Dispensao.	Dispensatio.
Dnus.	Dominus.
Ecclæ.	Ecclesiæ.
Effus.	Effectus.
Exit.	Existit.
Ecclis.	Ecclesiasticis
Epus.	Episcopus.
Excoc.	Excommunicatione.
Fr.	Frater.
Frum.	Fratrum.
Gnali.	Generali.
Humoi.	Hujusmodi.
Humilr.	Humiliter.
Infraptum.	Infrascriptum.
Irregulte.	Irregularitate.
Igr.	Igitur.
Intropta.	Introscripta.
Lia.	Licentia.
Ltima.	Legitima.
Lræ.	Litteræ.
Lite.	Licite.
Mrimonium.	Matrimonium.
Magro.	Magistro.
Mitaone.	Miseratione.
Mir.	Misericordia.
Nulltus.	Nullatenus.
Ordio.	Ordinario.
Ordinaoni.	Ordinationi.
Pp.	Papa.
Pr.	Pater.
Pontus.	Pontificatus.
Ptus.	Præfatus
Ptur.	Præfertur.
Pntium.	Præsentium.
Pbter.	Presbyter.

Pœnia	Pœnitentia.
Pœniaria	Pœnitentiaria.
Poe.	Posse.
Pror	Procurator.
Qtnus	Quatenus.
Qmlbt	Quomodolibet.
Qd	Quod.
Relari.	Regulari.
Relione.	Religione.
Roma.	Romana.
Sntæ vel stæ	Sanctæ.
Saluri.	Salutari.
Sentia.	Sententia.
Spealr	Specialiter.
Supplionibus	Supplicationibus.
Spualibus	Spiritualibus.
Tn.	Tamen.
Tm	Tantum.
Thia vel theolia	Theologia.
Tli	Tituli.
Venebli.	Venerabili.
Vræ	Vestræ.

CAPUT XIV.

DE CANCELLARIA APOSTOLICA.

Dicemus 1° quid sit et quibus officialibus constet : 2° de Cardinali vice-cancellario et de ipsius jurisdictione : 3° de nonnullis aliis Cancellariæ officialibus : 4° de Cancellariæ regulis.

§ I.

Quid sit Cancellaria Apostolica, et quibus officialibus constet.

Cancellaria Apostolica est tribunal seu auditorium, per quod recta forma expediuntur Pontificiæ Bullæ, ac litteræ

Apostolicæ *sub plumbo*. Ejusmodi autem Bullas ac litteras concinnat et expedit, *juxta supplicam a Papa subsignatam in Dataria*, si agatur de materia beneficiali aut matrimoniali, et *juxta schedulam consistorialem a Papa subsignatam in Secretaria Brevium*, si agatur de negotiis consistorialibus, verbi gratia, de provisionibus episcopatuum, abbatiarum etc.

Præcipui officiales, juxta reductionem a Pio Papa VII factam, sunt sequentes: 1° Cardinalis vice-cancellarius, qui simul est summista: 2° regens: 3° pro-summista seu sub-summaria: 4° substitutus pro-summistæ: 5° præses plumbi: 6° notarius secretarius: 7° collegium abbreviatorum de parco majore, cum suo secretario (abbreviatores de parco minori suppressi sunt): 8° custos Cancellariæ: 9° substitutus contradictarum: 10° registratores Bullarum: 11° præpositi regesto: 12° computistæ, qui procurant ut pro unaquaque Bulla solvatur taxa debita. (Vide dictionarium Moronii, verbo *Cancellaria Apostolica*).

§ II.

De Cardinali vice-cancellario, ejusdemque jurisdictione.

1° Antiquissimum est in curiis sæcularium principum cancellarii nomen et officium. In Curia Romana officium quidem antiquissimum. A primis nempe sæculis utebantur Romani Pontifices aliquot clericorum opera, quorum officium esset varias Pontificis nomine litteras scribere ac expedire. Quo munere sese functum testatur S. Hieronymus (Epist. ad Gerantiam, *de Monogamia*) his verbis: *Ante annos plurimos, cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem*, etc. Ad nomen autem *Cancellarii* quod attinet, recentius introductum videtur. Antiquitus enim qui dictum officium explebant, *notariorum, regionariorum, scriniariorum*, et potissimum *bibliothecariorum* appellatione designati repe-

riuntur. At nono saltem sæculo jam inducta erat *Cancellarii* denominatio. De quo vide apud Thomassinum aliosque eruditos. Cæterum distincta olim non erant in Romana curia, cancellarii, secretarii et datarii officia.

2° Jam a multo tempore uni e Cardinalibus id officii committitur. Is vero non *Cancellarii*, sed *Vice-Cancellarii* nomen assumit. In assignanda autem ratione cur ita vocari consueverit, non concordant doctores (vide apud Plettenberg, *Notitia Congr.*, pag. 336, edit. Hildesii 1693). Sed dicendum videtur (cum Card. de Luca, *Relatio Romanæ Curiæ*, discursu 10) ita inductum esse ob cardinalatus præstantiam : officia nempe quædam, quæ a non-Cardinalibus expleri solent, ipsis etiam Cardinalibus quandoque committuntur. Nuntius Apostolicus, verbi gratia, etsi ad cardinalatum jam promotus, quandoque pergit per aliquod tempus hoc Nuntii munus obire. At tunc sese vocat *pro-nuntium :* ad significandum nempe Nuntiaturam cum dignitate Cardinalitia non quadrare ; seque officium illud, ob Ecclesiæ utilitatem et donec provisum sit, explere. Unde hoc *pro-nuntii* vocabulum non inferioritatem relative ad cæteros nuntios, sed superioritatem denotat. Eadem porro de causa inducta videtur *Vice-Cancellarii* et *Pro-datarii* denominatio. Ea enim officia olim non committebantur Cardinalibus, sed aliis dignitate inferioribus. Hinc quando primum Cancellariæ Cardinalis aliquis præfectus fuit, autumandum est ab ipso assumptum fuisse, non Cancellarii, sed *Vice-Cancellarii* nomen, ne Cardinalitiæ celsitudini detrahi videretur : usu autem postea firmatam denominationem.

3° « Est vice-cancellarius major post Papam in curia Ro-
« mana... quia vice-cancellarius justitiæ sceptrum gerit... Est-
« que judex in iis quæ pertinent ad expeditiones juridicas
« Bullarum; omnesque litteras Apostolicas cujuscumque ma-
« teriæ (exceptis illis quæ per Breve dantur sub annulo pisca-
« toris) signat littera L, qua significat lectas esse, et ex altera
« parte littera majuscula R, qua mandat ut registrentur. Ad
« hæc traduntur vice-cancellario in consistoriis secretis de-

« creta collationum titulorum factarum Cardinalibus, et pro-
« motionum Episcoporum...; ut litteræ factarum provisionum
« in Cancellaria conficiantur, quas ipse deinde promotis ex-
« tradit. » (Plettenberg, *Notitia Congregationum*, pag. 339, edit. Hildesii 1693.)

Mortuo Summo Pontifice, ipso facto suspenditur Cardinalis vice-cancellarii jurisdictio ; et sigillum Pontificium coram Cardinalibus, quando prima vice conveniunt, Sede vacante, rumpitur.

Cardinalis vice-cancellarius constituitur simul *Vice Cancellarius* et *Summista*, duabus diversis bullis, quæ consistorialiter expediuntur post novi Pontificis creationem.

Quatenus vice-cancellarium, ad ipsum spectat præcipuorum negotiorum cura, eorum præsertim de quibus in consistorio statuendum est. Hinc quando celebrandum est consistorium, pridie recipit ab auditore Summi Pontificis vel a substituto consistorii, folia consistorialia, id est, compendia præconizationum. Ad ipsum siquidem, tanquam Sacri Consistorii notarium, pertinet eas provisiones, sicut et alia quælibet Consistorii acta, registrare in Cancellaria.

Ipsius etiam officium est hæc et similia decreta, a Summo Pontifice in Consistorio edita, extendere.

Item ipse testimonium scribit quo fidem facit de istis decretis consistorialibus : vi cujus testimonii postea in secretaria Brevium concinnatur *schedula consistorialis*, cui Papa subscribit, et vi cujus postea Bullæ expediuntur.

Litteræ Apostolicæ provisionum, sub plumbo datæ, a Cardinali vice-cancellario subscribuntur. Ipsæ etiam episcopatuum provisiones, etsi per supradictam schedulam ab ipsomet Papa subscriptam firmatæ, adhuc tamen convalidari debent per Bullas ab officialibus Cancellariæ extensas.

Quatenus *summista*, præsidet idem Cardinalis expeditioni Bullarum, quæ per Cameram expediuntur. Cætera quæ ad Vice-Cancellarii dignitatem jurisdictionemve spectant, vide in dictionario Moronii, verbo *Cancellaria*.

§ III.

De nonnullis officialibus vice-cancellario inferioribus.

I. *De regente.* — Exordium sumpsit regentis officium anno 1305, quando Gregorius XI, relicta Avenionis residentia, Romam rediit. Tunc nempe Cardinalis Monturcus, qui vice-cancellarium agebat, obsecundante Caroli V, regis Galliæ, patrocinio, Romam redire noluit, et Avenione remansit. Id tolerare maluit Gregorius XI, quam contra ipsum procedere. Quapropter sub *regentis* nomine alium constituit, qui absente præfato Cardinali vice-cancellario, vices ejus expleret. Postea vero, licet Romæ adessent Cardinales vice-cancellarii, retentum est *regentis* officium.

Cancellariæ regens primum locum obtinet post Cardinalem vice-cancellarium. Ad ipsum spectat abbreviatoribus de parco majore supplicas distribuere, ut *minutas* conficiant. Unamquamque Bullam signat prima littera nominis vice-cancellarii. Circa mediam et extremam Bullæ partem apponit litteras L et C ; quæ significant lectam et correctam fuisse Bullam. Tum Bullam consignat præfecto plumbi, ut is consuetum plumbeum sigillum ei appendat. Potest regens appellationum causas variis curiæ Prælatis judicandas committere, apponendo hanc clausulam: *de mandato D. M. D. P. P., audiat magister*. Absente Cardinali vice-cancellario, recipit juramentum fidelitatis, ab Episcopis noviter provisis et Romæ præsentibus præstandum.

Olim regentis officium erat venale, sicut et alia plura Cancellariæ officia. Nimirum qui officia hæc obtinebant poterant aliis ea vendere, eodem ferme modo quo hodie in Gallia vendere possunt notarii officium suum. Sed a tempore Pii VII venalitas officiorum Cancellariæ sublata est.

II. *De collegio proto-notariorum participantium.* — Eo sensu collegium istud ad Cancellariam pertinet, quod Bullæ per

quas conferuntur beneficia majora, verbi gratia episcopatus, expediri nequeant, absque subscriptione unius e protonotariis participantibus. Quam subscriptionem hodie apponit dicti collegii secretarius.

Olim venalia erant protonotariorum participantium officia. Hinc quando Pii VII tempore suppressa sunt venalia officia, hoc ipso extinctum remansisset protonotariorum participantium collegium, nisi illud restituisset Gregorius XVI. Sed restitutum est absque officiorum venalitate.

III. *De abbreviatoribus.*— Ipsis scribendæ committuntur eæ litteræ Apostolicæ, quæ *Brevia* vocantur. Duplex olim extabat eorum classis, nempe *de parco majore*, et *de parco minore*, quæ denominotio *de parco*, desumpta est e loco quem in Cancellariæ ædibus occupabant. Varius variis temporibus extitit eorum numerus. Hodie undecim sunt abbreviatores de parco majore ; et abreviatores de parco minore suppressi sunt.

IV. *De substituto contradictoriarum.* — Olim extabat in Cancellaria tribunal *contradictoriarum*, constans auditore seu judice, correctore, procuratore et nonnullis aliis officialibus. Quando fiebat oppositio provisionibus aut aliis gratiis a Papa concessis, ne effectum sortirentur, causa ad istud tribunal deferebatur. Hodie totam hujus tribunalis jurisdictionem exercet unicus officialis, qui *substitutus contradictoriarum* dicitur : quia nempe valde imminutus est ejusmodi causarum numerus. Hæc breviter de Cancellariæ officialibus adnotanda duxi. Plura autem reperiet lector in sæpe citato Moronii opere (*Dizionario di erudizione ecclesiastica*, verbo *Cancellaria*).

§ IV.

De Cancellariæ regulis.

Hoc nomine dicuntur quædam leges Pontificiæ, circa modum disponendi de beneficiis, provisiones expediendi, et sententias ferendi in processibus beneficialem materiam con-

cernentibus. Quia juxta illas leges procedi debet in Cancellaria, *regulæ Cancellariæ* dictæ sunt. Obligant dumtaxat durante vita Pontificis. Et ideo unusquisque Pontifex eo die qui ejus electionem proxime sequitur, regulas illas confirmare et quando que etiam eis addere aut demere solet.

Vim legis universalis habent regulæ Cancellariæ ; ac proinde obligant ubicumque eis derogatum non est, sive per concordata, sive per legitime præscriptam contrariam consuetudinem. Inter eos qui regulas Cancellariæ commentariis illustrarunt, eminet clarissimi Riganti opus quatuor voluminibus in folio constans, disciplinæ canonicæ studiosis omnino commendandum.

CAPUT XV.

DE DATARIA.

Dicemus 1° quid sit et quandonam instituta : 2° quænam per Datariam expediri soleant : 3° de annatis et aliis taxis pro gratiarum concessione solvendis, et in quas causas ii redditus expendantur : 4° quibus personis seu officialibus constet Dataria, et quodnam sit uniuscujusque officium.

§ I.

Quid sit Dataria et quandonam instituta.

I. Dataria est tribunal Pontificium per quod Papa certas quasdam gratiarum species concedere solet. Et quia illo tribunali utitur Summus Pontifex, non ad exercendam justitiam, sed ad *gratias* impertiendas, *curia gratiosa* nuncupari solet.

II. Quo præcise tempore Dataria instituta fuerit omnino in compertum est. « Probabile autem videtur, inquit Moroni, « Datariam et Cancellariam Apostolicam primitus unum et « idem dycasterium fuisse ; postea vero, tractu temporis ac

« crescente negotiorum copia, in duo distincta tribunalia di-
« visum. Vocari potest Dataria tribunal *gratiæ concessæ;* Can-
« cellaria autem tribunal *gratiæ expeditæ*.. Etsi autem assi-
« gnari nequeat Datariæ origo, seu ipsius a Cancellaria Apos-
« tolica separatio, certum est jam a tempore Honorii III, qui
« anno 1216 ad Pontificiam cathedram evectus est, eam exti-
« tisse. » (Moroni, *Dizionario di erudizione ecclesiastica* verbo *Dataria*, tomo 19, pag. 110 et seq.. editionis Venetæ 1843.)

§ II.

Quænam gratiæ ac negotia per Datariam expediri soleant.

Quæ per Datariam impertiuntur gratiæ sunt : collationes beneficiorum, reservationes pensionum ex beneficiis, concessiones coadjutoriarum, concessiones insignium prælatitiorum (verbi gratia cappæ magnæ, et hujusmodi), dispensationes in irregularitatibus, dispensationes matrimoniales, et aliæ similes. Cæterum Benedictus XIV, Constitutione *Gravissimum*, 6 decembris 1745, determinavit quænam gratiæ et negotia per Datariam, quænam per secretariam Brevium, et quænam per Pœnitentiariam expediri deberent ; atque ibidem Datariæ attribuit concessiones omnes, pro quibus aut taxa aliqua Cancellariæ, aut compositio aliqua Datariæ solvenda est.

§ III.

De annatis et aliis taxis pro gratiarum concessione solvendis : et in quas causas ii redditus expendantur.

1. Decrevit Bonifacius IX anno 1392, ut pro quibuslibet beneficiis a Sede Apostolica collatis Pontificio fisco ad subveniendum Ecclesiæ necessitatibus, solveretur dimidia pars reddituum primi anni. Quæ taxa *annatæ* nomine postmodum nuncupata est. Annatas, et alias taxas, pro certarum gratiarum concessionibus a Sede Apostolica statutas, illegitimas, imo et

simoniacas dicere ausi sunt Febronius et alii venenatæ ac seditiosæ doctrinæ scriptores. Quam autem immerito, suus erit dicendi locus in tractatu *de Papa*. Hic tantum adnotabimus ejusmodi annatarum et taxarum disciplinam a pluribus conciliis œcumenicis fuisse approbatam ; et lectorem remittemus et opus clarissimi Zaccariæ (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 7, cap. 6).

2. Redditum ex ejusmodi taxis provenientium aliqua pars impenditur in solvenda Datariæ officialibus justa salaria. Quod autem superest in causas pias expenditur ; quod sic annotat Moroni (*Dizionario di erudizione ecclesiastica*, verbo *Dataria*, pag. 121, editionis Venetæ 1843) : « In quanto alle rendite « della Dataria, esse non sono copiose come anticamente, « ma tenui, a cagione dei concordati e delle concessioni fatte « dai Romani Pontifici. Per ciascuna grazia pagansi in Data- « ria delle tasse, che passano come in mano di un elemosi- « niere, il quale, tolte le spese per i suoi uffiziali ed impie- « gati subalterni, ne versa il remanente per soddisfare le « cose che diremo : esse servono a soddisfare le pensioni che « i Papi assegnarono a religiose corporazioni dambo i sessi ; « alle penitenzerie Lateranense e Vaticana ; ad alcuni collegi « ed utili instituti ; ad alcuni sacri tribunali e congregazione « Cardinalizie ; ad alcuni ministri della santa Sede ; ad eccle- « siastici orientali ; a diverse pie oblazioni, ed altre limosine « ordinarie e straordinarie. Inoltre la Dataria paga alcune « giubilazioni (id est, *pensiones*) alle famiglie bisognose degli « uffiziali della medesima defonti ; non che somministra gra- « ziosi assegni alle famiglie povere degli spedizioneri Apos- « tolici ; supplisce alle spese per le cave ed estrazioni dei « corpi santi ne' cimiteri e catacombe de Roma, ed altro. La « Dataria paga altresì diverse pensioni, come a luoghi pii, a « vescovi, prelati, ed ecclesiastici bisognosi, e benemeriti « della chiesa ; somministra i fondi per l' elemosineria Apos- « tolica, e per alcune pensioni che pago el palazzo Apos- « tolico ; allo straordinario sovenimento de' poveri ; nonche

« per supplire alle disposizioni benefiche dei Pontefici sem-
« pre per cause pie ; ed al mantenimento della sagra persona
« del medesimo ; che, per antichissima disposizione, consiste
« nella mite somministrazione d' annui scudi sei mila...; cio
« che fa grande onore alla moderazione dei Papi, sebbene
« la cassa della Dataria sia interamente a loro disposizione. »

§ IV.

Quibus personis seu officialibus constet Dataria, et quodnam sit uniuscujusque officium.

Datariæ officiales sunt : 1° datarius, qui totius dycasterii caput est, quique, si Cardinalis sit (ut plerumque est) non vocatur datarius, sed pro-datarius : 2° sub-datarius : 3° præfectus officii quod vocatur *per-obitum* : 4° præfectus officii quod vocatur *concessum* : 5° præfectus *componendarum* : 6° præfectus datarum : 7° revisor dispensationum matrimonialium : 8° secundus revisor supplicarum : 9° primus revisor earumdem : 10° officialis *de missis* : 11° substitutus sub-datarii : 12° substitutus officialis *per-obitum* : 13° officialis Brevium : 14° revisor computorum seu taxarum : 15° scriptor Bullarum per viam secretam expediendarum : 16° judex criminalis quo utitur Cardinalis pro-datarius ad judicanda et punienda delicta officialium Datariæ : 17° custos supplicarum : 18° custos regesti Bullarum : 19° collator transumptorum ex Brevibus et Bullis : 20° computista : 21° præfectus ærarii : 21° nonnulli alii inferioris ordinis officiales.

Quid proprium sit unicuique ex enumeratis officiis fuse expositum reperiet lector in dictionario Moronii, verbo *Dataria*. Nos hic pauca dumtaxat de præcipuis adnotabimus.

I. *De datario seu Cardinali pro-datario.* — 1° Datarii nomen derivatum existimant nonnulli a *data* (id est, diei, mensis et anni scriptione) quam dispensationibus aliisque gratiis a Papa concessis datarius apponit. Alii autem non solum a *datare*,

sed simul etiam a *dare* ortum istud vocabulum putant : eo quod nempe licet dictæ gratiæ Summi Pontificis auctoritate concedantur, per datarium tamen concessio fiat ; ita ut ab ipso plurimum pendeat.

2° Cur Datariæ caput, quando est Cardinalis, non datarius sed *pro-datarius* vocetur, inde repetendum est, quot initio ejusmodi officium committi soleret Prælatis non Cardinalibus. Hinc quando a Cardinalibus expleri cœptum est, ne cardinalitiæ dignitati aliquatenus derogari videretur, pro-datarii vocati sunt ; prout supra de Cardinali *vice-cancellario* adnotavimus. Et ex eadem ratione Nuntius qui purpura decoratus est, si pergat Nuntii munus gerere, jam non vocatur Nuntius, sed pro-Nuntius.

3° Quoad omnia quæ per Datariam expediuntur, Papæ personam repræsentat Cardinalis pro-datarius ; ita ut quæcumque ab ipso in hoc munere gesta perinde valeant ac si a Pontifice ipso agerentur.

4° Summi Pontificis obitu expirat Cardinalis pro-datarii jurisdictio. Et tunc omnes libelli supplices, et gratiæ nondum expeditæ, licet concessæ, in capsa sigillo munita reponuntur ; ac duorum Prælatorum cameralium custodiæ traduntur ; quæ traditio fieri solet, quando prima vice, post Sedis vacationem, conveniunt Cardinales.

II. *De sub-datario.* — Is Cardinalem pro-datarium coadjuvat, eumque supplet, etiam quoad ferenda negotia ad audientiam Summi Pontificis. Subscribit Brevibus et transumptis ; primum locum obtinet post Cardinalem pro-datarium, inter Datariæ officiales, et degit in ipso Datariæ palatio. Hoc munere fungitur Prælatus domesticus.

III. *De præfecto officii quod vocatur* per-obitum. — Dicitur *per-obitum,* ob præcipuas partes quas habet circa collationes beneficiorum quæ vacant per beneficiatorum obitum. Ejus officium per minuta describitur in dictionario Moronii, (verbo *Dataria*).Notetur autem cœtum illum, qui *Datariæ Congregatio* vocatur, constare Cardinali pro-datario, subdatario, et offi-

ciali *per-obitum*. Quotidie mane habetur Congregatio illa in palatio Datariæ apud Cardinalem pro-datarium ; et in ea dictus Cardinalis cum voto consultivo sub-datarii et officialis *per-obitum*, Datariæ negotia resolvit ac determinat.

CAPUT XVI.

DE ROTA ROMANA.

Dicemus 1° de ipsius origine et antiquitate : 2° quale tribunal sit Romana Rota : 3° quomodo auditores Rotæ eligantur et admittantur : 4° quænam sit hujus tribunalis competentia : 5° quisnam proprius procedendi modus : 6° de Rotæ Romanæ decisionibus et sententiis : 7° de casu quo ab altero tribunali causa judicanda præscribitur *cum voto*, vel *de voto* Rotæ : 8° de secreto ab auditoribus Rotæ servando, et de auditoribus *studii* : 9° de officio auditorum Rotæ quatenus sunt cappellani Summi Pontificis : 10° quomodo vacet auditoratus, et quatenus officium istud incompatibile sit cum episcopatu : 11° an Romana Rota qualis hodie existit, ab essentiali sua constitutione defecerit.

§ I.

De Rotæ Romanæ origine et antiquitate.

« Sacri Palatii Apostolici auditorium esse antiquissimum, « omnibus notum, et extra controversiam est. Quando autem « præcise originem duxerit, non æque constat. Hoc certum « est, Pontifices, pacata Ecclesia, multos ex omni christiani « orbis parte viros, doctrina et probitate insignes, in cappel- « lanos adscripsisse, ad quorum relationem ipsi de jure con- « sulti respondebant, quorumque consilio causas seu contro- « versias, ad Sedem Apostolicam devolutas, matura delibera- « tione definiebant...

« Initio igitur isti cappellani seu auditores, non ad pronun-
« tiandum seu definiendum, sed ad *audiendum* referendumve
« tantum deputabantur ; et ex eorum prudentissimis respon-
« sis emanarunt decretales, quæ quarumve fragmenta postea
« opportunis locis seu titulis per S. Raymundum, tunc unum
« ex iisdem cappellanis seu auditoribus, ex mandato Grego-
« rii IX disposita, corpus juris canonici conflarunt...

« Postea vero, auctis Sedis Apostolicæ negotiis, et Summis
« Pontificibus per scipsos gravioribus occupatis, cœpit ipsis
« concedi *definiendi* quoque facultas...; et tandem per Joan-
« nem XXII aliosque ejus successores quædam ipsis præfigi
« statuta et ordines, quibus commissa sibi negotia in figura
« judicii expedirent.

« Crevit itaque successu temporis in tantam eminentiam
« sacrum hoc et ex omni parte laudabile tribunal, ut ex illo
« omni tempore prodierint viri virtute et vitæ integritate
« eximii..; utque non solum Papæ ad illud omnes graviores
« causas, ad Sedem Apostolicam delatas referant, sed etiam
« imperatores et reges, ac reliqui principes et reipublicæ
« christianæ controversias ad ipsos quoquomodo pertinentes,
« sano illius judicio libenti hilarique animo supponant ; ut non
« mirum sit, si hodie tribunal hoc, tum integritate judicum,
« tum doctrina, modo et ratione judicandi, super omnia
« Urbis et orbis tribunalia emineat.

« Appellatur autem ea ratione, quod auditores, in orbe se-
« dentes, controversias rotant et examinant. » Ita Emerix junior, Sacræ Rotæ decanus, in opusculo nunquam typis mandato, et in archivio Rotæ asservato, cui titulus *Notitia Sacræ Rotæ Romanæ,* parte 1, tit. 1 : quod opusculum (cujus copia apud me exstat) sæpius in præsenti sectione citabo.

§ II.

Describitur quale tribunal sit Rota Romana.

1° Constat judicibus qui *auditores* vocantur ; desumpto scilicet nomine ab antiquo eorum officio *audiendi* dumtaxat causas, et referendi ad Summum Pontificem, qui sententiam ferebat.

2° Ante Sixtum IV, modo pluribus modo paucioribus ejusmodi auditoribus hocce tribunal constabat. Sed præfatus Pontifex sancivit ut in posterum nunquam plures aut pauciores essent quam duodecim ; quod perpetuo dein servatum est, et hodiedum servatur (Emerix, in citato manuscripto, lib. 1, titulo 3).

3° Auditores Rotæ sunt simul cappellani et subdiaconi Summi Pontificis ; et quatenus tales proprium habent officium in sacris functionibus explendum. Unde ipsorum munus duplex est : sacri nempe ministerii, et judiciale.

4° Tribunali Rotæ præsidet, sub decani nomine, antiquior ex duodecim auditoribus.

5° De nullis aliis causis cognoscit Rota, quam quæ ipsi a Summo Pontifice judicandæ committuntur, ut dicetur infra. Non solent autem ipsi a Papa committi causæ criminales ; sed dumtaxat civiles, quæ ad Sedem Apostolicam deferuntur.

6° « Illud speciale est in Rota, quod causæ in prima seu « ulteriori instantia semel in illa terminatæ, in gradu appel- « lationis in tertia seu in ulterioribus instantiis in eadem ite- « rum committi debeant. » (Emerix, in supra citato manuscripto, parte 1, tit. 27.) Neque id absonum videbitur, si attendatur ordinarie causas in Rota non judicari ab omnibus auditoribus, sed ab uno juxta pluralitatem suffragiorum a quatuor aliis exhibitorum. Committuntur nempe singulæ causæ singulis auditoribus per turnum : et unusquisque quoad determinandam decisionem et sententiam in causa sibi com-

missa, debet sequi vota quatuor auditorum qui post ipsum a sinistris sedent. Quando causa sic ab illis quinque auditoribus, judicata fuit, si appelletur, causa in gradu appellationis, cum debeat, sicut aliæ, committi illi auditori qui est de turno, non continget plerumque committi illi, cui jam in præcedenti instantia commissa fuit, sed alteri : et hic alter eam judicabit cum quatuor a sinistris sedentibus. Et sic illi quinque judices qui causam terminant in gradu appellationis, diversi sunt ab aliis quinque qui eam in præcedenti instanstia terminarunt. Unde propric tunc non appellatur ab eodem ad eumdem.

Diximus *ordinarie* causas in Rota non judicari ab omnibus auditoribus. Aliquando tamen id contingit : quoties nempe in commissione exprimitur ut *videatur ab omnibus*. Sed tunc non fit appellatio ; nisi forte pars quæ succubuit nova media sibi comparaverit, et speret tribunal a priori sententia recessurum.

7° Auditores sunt in officio suo perpetui. Hinc quando petiit rex Galliæ Ludovicus XVIII ut removeretur auditor qui a Napoleone I nominatus fuerat, haud morem gessit Summus Pontifex, eo quod semel admissi Rotæ judices, in officio suo perpetui sint, nec valeant nisi ob delictum aliamve justam causam amoveri.

§ III.

Quomodo auditores Rotæ eligantur et admittantur.

1. Eliguntur ex variis nationibus. Nimirum ante politicam perturbationem anni 1793 assumebantur ut sequitur : tres ex urbe Roma : unus e Tuscia : unus e civitate Bononiensi : unus e ducatu Ferrariensi : unus ex imperio Austriaco : unus e Gallia : duo ex Hispania : unus e republica Veneta : unus e Ducatu Mediolanensi. Adhuc hodie Gallia suum auditorem habet, cui gubernium Gallicum convenientem pensionem suppeditat. Decedente aut munus dimittente auditore aliquo, ejus successor ex eadem natione esse debet.

2. Sex priores supra enumerati auditoriatus ad liberam Papæ collationem spectant. Ad quatuor sequentes respective nominant imperator Austriæ, rex seu imperator Galliæ, et rex Hispaniæ. Respublica Veneta proponebat tres aut quatuor viros, inter quos auditorem eligebat Summus Pontifex. Et idem servabatur quoad auditorem ducatus Mediolanensis. Quid recentioribus temporibus immutatum sit quoad nonnullas e dictis regionibus e quibus desumi auditores solebant, scissitari omisi, et ideo hic adnotare nequeo.

3. Tametsi auditores modo præmisso quoad officium aliis ejusdem nationis substituantur, quoad causas tamen ipsis committendas, ad nationes nullatenus attenditur. Hæc de eligendis seu nominandis auditoribus.

4. Ad ipsorum receptionem seu admissionem quod attinet, tot necessariæ sunt formalitates, postulationes, visitationes, circumcursationes, ut exercendæ nominatorum patientiæ mirum in modum aptæ sint. Eas postquam sub primarum functionum nomine descripsit Emerix (in supra citato opere manuscripto, parte 1, tit. 5), sic adnotat : « Occasione pri-
« marum functionum, quæ quandoque durant *per annum in-*
« *tegrum*..., auditores sustinent varias et graves expensas, a
« quibus Pontifices pro tempore ipsos levare solent per assi-
« gnationem alicujus pensionis... etc. » Ejusmodi cœremonias hic describere haud utile visum est. Et quamvis non mere cœremonialia ista existimet citatus auctor, in hoc ei assentire non possum. Si enim agatur de probanda idoneitate et scientia, id serio examine intra unius diei spatium expediri potest. In cæteris ferme nihil aliud ego perspicere possum quam mere cœremonialia, magnam temporis jacturam secum trahentia : tametsi dici queat, haud abs re olim hæc inducta fuisse, quo magis tribunalis dignitas et majestas splendesceret.

§ IV.

Quænam sit Rotæ Romanæ jurisdictio et competentia.

1° Acriter olim disputata fuit quæstio, ordinariane an delegata censenda sit S. Rotæ jurisdictio. Esse ordinariam in procedendo, et delegatam in pronuntiando communius admittitur.

De quo sic Emerix (citato manuscripto, parte 1, titulo 6): « Fuit ab antiquo acris inter doctores disputatio, an jurisdictio Rotæ sit ordinaria, vel potius delegata. Nonnulli « enim æstimarunt illam esse ordinariam, quia auditores Rotæ « in causis in ea introductis habent et exercent omnes facultates tanquam ordinarii, et signanter hodie ex Constitutionibus Pii IV et Pauli V supra relatis. Alii vero censuerunt « eam, tanquam non cohærentem territorio, nec personis, sed « attributam de die in diem singulis auditoribus per particularem commissionem Papæ, esse delegatam. Donec tandem « prævaluit opinio utrosque concilians auctores, in cognoscendo seu procedendo auditores Rotæ esse ordinarios, et « in sententiando seu pronuntiando delegatos. »

2° Quamvis unaquæque causa uni ex auditoribus committatur, jurisdictio in illam causam non est huic auditori exclusive propria, sed pertinet ad totum auditorum collegium, seu ad totam Rotam. Id probat, loco citato, Emerix ; estque communiter a doctoribus admissum.

3° Competentia Rotæ non versatur nisi circa illas causas, quæ ipsi ex commissione summi Pontificis cognoscendæ et terminandæ committuntur. « Causæ, ait Emerix, sive in prima, « sive in secunda aut alia ulteriori instantia, ut in Rota introducantur, semper commissione opus est. » (In citato manuscripto, Parte 1, tit. 9).

Loquimur autem in hypothesi quod tribunal Rotæ quoad essentialia ac primævam suam institutionem immutatum non

fuerit. Nam si mutetur Rota in tribunal, ad quod *de jure* et absque speciali commissionne Papæ devolvantur, sive appellationes a tribunalibus inferioribus, sive certæ quædam causarum species, jam non erit Rota proprie dicta seu in stricto sensu, quamvis Rotæ nomen et solitum procedendi modum retineat.

An autem hodierna Rota, ob temporum circumstantias, ejusmodi transformationem passa sit, infra expenditur.

4° « In Rota committendæ sunt omnes causæ beneficiales, « quarum fructus valorem annuum 24 ducatorum excedunt : « item profanæ valorem ducatorum 500 attingentes, si fuerint « citra montes : si ultra, valorem mille. » (Emerix in citato manuscripto, Parte 1, tit. 9.)

§ V.

De modo procedendi Rotæ Romanæ proprio.

1° Non introducuntur causæ in Rota, nisi per commissionem summi Pontificis, ut dictum est. Ad obtinendam ejusmodi commissionem scribitur latine libellus, ab ea parte quæ vult causam in Rota judicari ; in quo libello petitur a Papa ut dignetur causam alicui S. Rotæ auditori committere. Si causa sit primæ instantiæ, debet poni in libello nomen ipsius diœcesis, et specificatio actionis. Si causa sit secundæ instantiæ, debet inseri sententia jam pronuntiata.

Ejusmodi libellos expendit qui in sacro Palatio *revisoris* munere fungitur ; qui revisor, pro diversitate causarum, sive per Eminentissimum Cardinalem signaturæ præfectum, sive per auditorem Cameræ Apostolicæ, clausulas opportunas libello apponi curat. Quando libellus a Sanctissimo signatus fuit, expeditur (servatis nonnullis formalitatibus) illi auditori Rotæ qui est in turno. Et postquam notarii Rotæ publicarunt citationem ad dicendum contra commissionem illam, si nemo intra terminum reclamet, causa censetur introducta et dicitur in Rota pendere.

2° Auditores Rotæ non possunt recusari tanquam suspecti (Emerix, in citato manuscripto, parte 1, tit. 10.)

3° Ad modum causam expediendi quod attinet, eum per minuta non describemus; quia res valde complexa est, nec ad scopum præsentis tractatus necessaria. Pauca hæc dumtaxat adnotamus :

Auditor cui causa commissa est, procurat determinari *positionem dubiorum*. Formula istorum dubiorum exprimere debet an tale aut tale jus, quod prætendit actor, ad ipsum revera pertineat. Si ambæ partes admittant dubia, qualia proponuntur a dicto auditore, ea subscribit auditor; et postea in Rota dubia ista proponit, ut decidantur.

Si partes in formula dubiorum, quam proponit auditor, non conveniant, refert de hoc idem auditor in Rota, ut decidatur num ita, an aliter dubia poni debeant. Et Rota hoc ipsum determinat.

Quando determinata fuit, prædicto modo, dubiorum formula, partibus assignatur ad parandas defensiones terminus, qui unius mensis esse solet. Curant partes defensiones illas, in scriptis per suos procuratores et advocatos confectas, tradi illis auditoribus qui judicaturi sunt; id est, illi cui causa commissa est, et quatuor ad sinistram ipsi proxime assidentibus. Habent autem omnes fixum in sedendo locum juxta antianitatem, ut aiunt : ita ut statim ac causa alicui auditori commissa est, scire facile sit, quinam sint quatuor ex quorum voto causa decidenda est.

Expleto termino, in Rota (id est, in prædictorum auditorum coadunatione) ille cui causa commissa est, quique dicitur *Ponens* seu relator, exponit si quid significandum habet, ex processu et scripturis quæ in ejus manibus relinqui solent. Deinde unusquisque ex ejus corresponsabilibus, id est, e quatuor aliis prædictis auditoribus, disserit et sententiam dicit. Vota seu suffragia in scriptis traduntur domino ponenti.

Quando causa commissa fuit cum clausula *videatur ab om-*

nibus, eodem modo proceditur ; cum hoc discrimine, quod omnes votum dent.

Ipse autem ponens, seu auditor cui causa commissa fuit, votum non habet ; sed debet decisionem extendere seu scribere juxta pluralitatem votorum, a suis corresponsalibus emissorum.

Concinnat ergo decisionem juxta illam pluralitatem ; et postea decisio hæc publicatur et traditur partibus.

Quoad incidentia, quæ utplurimum in singulis causis multa oriri solent, eodem ferme modo proceditur, ac in causa principali. Nimirum circa causam incidentem determinantur dubia ; ab ipso quidem auditore cui causa commissa est, si partes consentiant : secus ex pluralitate votorum ab ipsius corresponsalibus emissorum. Postea dubia hæc circa causam incidentem, juxta eamdem votorum pluralitatem deciduntur.

Quoad decisionem et sententiam, servat Rota, ut sequitur :

§ VI.

De Rotæ Romanæ decisionibus et sententiis.

« I. Decisiones rotales non sunt sententiæ, ut erronee nonnulli, præsertim extra Curiam, existimant ; sed tantun « quædam compilatio consiliorum dominorum auditorum, « quæ per ponentem seu relatorem panditur utrique parti « litiganti ante sententiam, ad hoc ut antequam ad illius prolationem deveniatur, deducant in facto et in jure quidquid « pro illarum (decisionum) confirmatione vel revocatione respective deducenda habent : ita ut multoties, re melius delucidata, ab illis recedatur : suntque extrajudiciales, et « fiunt ad investigandam veritatem... Ac propterea cessat « in Rota objectum resultans ex propalatione animi judicantis, quæ regulariter est prohibita, ut firmant uno ore « canonistæ.

« Debent auditores in eis (decisionibus) extendendis esse « quantum fieri potest breves et clari, se abstinendo ab alle- « gationibus superfluis, et non laudando auctores modernos, « nisi graves et communiter approbatos.

« Debent præterea induere personas suorum corresponsalium, illorumque menti et opinioni se conformare, tamet- « si opinio ab illis probata videatur ipsis minus vera aut facto « non recte applicata. Cum enim ipsi ordinarie in causa « votum non habeant, non congruit ut resolutionem, quam, « si corresponsales fuissent, impedire directe non potuissent, « indirecte impediant, decisiones contra vel præter suffragia « compilando...

« Illud vero quod nonnulli in decisionibus rotalibus repre- « hendunt, id vel maxime laudabile est, nempe quod Rota « eis tenaciter non adhæret, sed quandocumque illas vel in « facto vel in applicatione juris non subsistere animadvertit, « sine difficultate revocat. Imo quandoque antiquas opinio- « re melius considerata et ex professo discussa, ad formam « Constitutionis Pauli V, cum votis omnium, vel saltem dua- « rum ex tribus partibus, in melius immutat; ut non mirum « sit quod inveniantur plures decisiones inter se contrariæ « seu pugnantes, quia id contingit tum amore veritatis, tum « necessitate conditionis humanæ...

« Cæterum decisionum rotalium omni tempore maxima « fuit auctoritas; ita ut multi insignes jurisconsulti... volue- « rint eas prævalere *communi* opinioni. » (Emerix, in citato manuscripto, parte 1, tit. 21.)

II. « Postquam fuit ordinata expeditio causæ, et servati « termini ad sententiam, solent procuratores conficere sche- « dulam sententiæ, quam. . notarius defert *ponenti* sub- « scribendam.

« Debet autem ipse illam deligenter examinare, an sit rite « et recte juxta stylum concepta, et conformis decisionibus « ante expeditionem emanatis.., nec unquam subscribere « schedulam, nisi bene et lecta et relecta ,atque cum eis de-

« cisionibus combinata sit ; ne alioquin excedendo earum « limites, contra disposita in Constitutione Pii IV et Pauli « V, incidat in nullitatem.

« Debet præterea idem ponens se præbere promptum et « facilem ad subscribendam sententiam, juxta tenorem deci- « sionum et ordinis sibi in expeditione dati ; tametsi forsan « ipsi videatur juri et æquitati minus consentanea : quia, « cum id faciat, non ex propria opinione, sed de coauditorum « suorum consilio seu voto, tenetur idem ponens submittere « intellectum suum in obsequium dominorum coauditorum, « et illorum votum reverenter sequi ; ne alioquin confunda- « tur ordo collegii, et sit in potestate unius invertere quod « majori parti juri consentaneum visum fuit. » (Emerix, in citato manuscripto, l. 1, tit. 24). Sententiam autem, postquam subscripta fuit a ponente, id est, ab eo auditore cui causa commissa fuit, notarius publicat.

Ex his patet diversas quidem a decisionibus esse sententias. Sed cum sententia debeat esse conformis decisionibus, nisi pars contra quam sunt decisiones eas immutari obtineat (quod rarum est), prolatis decisionibus jam causa pro judicata haberi potest.

§ VII.

De casu quo ab altero tribunali causa judicanda est, sed ***cum voto***, vel *de voto* Rotæ.

Quandoque causæ a Summo Pontifice alicui Sacræ Congregationi vel alteri tribunali commissæ valde graves sunt et simul valde difficiles. Quo casu nonnunquam olim, contingebat ut juberet Papa eas nonnisi de voto, vel cum voto Rotæ dirimi. Quomodo tunc ad votum illud emittendum procedere soleret Rota, sic exponit Emerix (in citato manuscripto, parte 1, tit. 25) : « Quando causæ reperiuntur commissæ aliis « judicibus *de voto Rotæ,* solent illi remittere partes ad do-

« minum decanum, vel ad alium auditorem quem voluerint, « ad exquirendum votum. Et tunc in Rota nulla fiunt acta « judicialia, sed solum informationes extra-judiciales pro « dubiis subscribendis et disputandis. Eaque eo modo dantur, « proponuntur et resolvuntur, quo aliis in causis in Rota « directe commissis : excepto quod relator, seu ille cui judex « commisit executionem voti, debet primo in causa suffra- « gium ferre. Et idem servatur in omnibus aliis negotiis, in « quibus Sanctitas sua, vel Sacræ Congregationes, aut data- « rius, aliique, votum Rotæ exquirunt. Postquam autem dis- « putata fuerunt dubia, et causa jam adducta est ad terminos « tradendi voti, facit relator verbum pro expeditione : et « subinde... relator subscribit decisiones, hoc vel simili « modo : *Domini, ex rationibus in supra scripta* (vel) *supra* « *scriptis decisionibus fuerunt in voto...;* apponendo nomen et « cognomen suum. Et postmodum partes illud deferunt ad « judicem ; qui bene debet advertere, ut ferat sententiam « illi conformem : alioquin nulliter procederet. »

Ibi citatus auctor non satis distinguit casum quo procedendum præscribitur *de voto* Rotæ, a casu quo procedendum injungitur *cum voto* Rotæ. In priori casu tenetur utique judex in ferenda sententia Rotæ votum sequi : at non in posteriore. Quod sic exponit Cardinalis Petra (tomo 4, ad Constitutionem 5, Martini V, n. 8 et 9) : « Quatenus commissio con- « tineat ut aliquis judex procederet *de voto Rotæ*, debet om- « nino sequi illud : secus si commissio fuerit cum clausula « *cum voto Rotæ*. Sacris autem Congregationibus solet rescribi « in commissionibus, *cum voto Rotæ :* aliis vero judicibus *de* « *voto Rotæ*. Hinc aliquando Sacræ Congregationes votum se- « cutæ non fuere ; vel denuo causam eidem Rotæ reviden- « dam remiserunt. »

§ VIII.

De secreto ab auditoribus Rotæ servando, et de auditoribus studii quorum opera utuntur.

1° Tenetur quilibet Rotæ auditor, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, secretum servare circa vota seu suffragia tum sua, tum aliorum auditorum; ac etiam circa alia dicta et tractata collegialiter in Rota. Ita decrevit Urbanus VIII. Et quilibet Rotæ auditor de hoc secreto servando juramentum præstat.

2° *Auditor studii* vocatur ille jurisperitus cujus auxilio utitur auditor Rotæ ad studendum causis, ut facilius et citius eas penetret; necnon ad censcribendas decisiones, et peragenda alia multa ad munus suum pertinentia. Hinc quilibet auditor Rotæ habet suum *auditorem studii*. Et, præter istum, licet ipsi alium etiam habere cujus opera utatur.

3° Isti autem duo eadem qua ipse Rotæ auditor servandi secreti obligatione constringuntur: de quo servando secreto jurare tenentur in manibus auditoris cui inservire volunt, antequam ad ejus *studium* (ut dicitur) admittantur. Ita pariter decretum fuit ab Urbano VIII.

§ IX.

De officio auditorum Rotæ, quatenus sunt capellani summi Pontificis, et de variis eorumdem privilegiis.

1° « In divinis auditores Rotæ inserviunt Papæ tanquam « cappellani, et etiam tanquam subdiaconi Apostolici... Et « propterea quoties Papa solemniter celebrat, unus per tur- « num illi inservit tanquam subdiaconus. Decanus semper « gestat mitram: duo alii ex senioribus semper assistunt, « quando se induit et exuit vestibus sacris: et duo ex senio-

« ribus sustentant fimbrias : reliqui cum cotta et rochetto « adstant prompti ad ea, quæ a magistro cœremoniarum, « prout solemnitates pro tempore postulant, injunguntur.

2° « Quando autem Papa per se non celebrat, sed tantum « assistit, tunc auditores non inserviunt celebranti tanquam « subdiaconi, sed ultimus ex illis solum defert calicem : et « decanus et alii quatuor supra nominati inserviunt respec- « tive Papæ ad fimbrias et vestes, cum cappa et rochetto...» (Emerix, in citato manuscripto, parte 2, tit. 1.)

3° Ut sciant auditores Rotæ quid sibi incumbat officii in variis per annum sacris functionibus, particularis quædam instructio, procurante citato Emerix, ab uno e magistris cœremoniarum accurate exscripta fuit ; eamque in extenso refert idem Emerix in sæpe citato opere manuscripto, *Notitia sacræ Rotæ* inscripto (parte 2, tit. 1).

4° Invaluit consuetudo ut pluribus sacris Cardinalium Congregationibus interveniant tanquam consultores aliqui ex auditoribus Rotæ. Contingitque frequenter ex auditoribus Rotæ assumi Episcopos et Archiepiscopos, datarium, necnon Pontificios Nuntios qui ad reges et imperatores mittuntur.

5° Jus habent auditores Rotæ subtanam violaceam necnon galerum eodem colore redimitum deferendi : item cappa, mantelletta et mantellone, pro variis functionibus, utendi : item deferendi rochettum palam et publice ubique terrarum et coram quibuslibet.

§ X.

Quomodo vacet auditoratus, et quatenus officium istud incompatibile sit cum Episcopatu.

1° « Auditoratus Rotæ vacat ordinarie per mortem, vel per « promotionem non solum ad cardinalatum, sed etiam ad ec- « clesias patriarchales, metropolitanas vel cathedrales, ut « expresse disponit Innocentius VI in ejus Constitutione quæ

« incipit *circumspecta.* » (Emerix, in citato manuscripto, parte 2, tit 11.)

2° Contingit tamen quandoque ut auditor ad episcopatum promotus, obtineat a Papa facultatem retinendi ad tempus auditoratum, et interea diœcesim suam per vicarium regendi. Tunc vero non jam vocatur auditor, sed *locumtenens.* Cum enim factus sit Episcopus, et frater Summi Pontificis, hoc ipso desinit esse ejus cappellanus, ac proinde etiam desinit esse auditor Rotæ in proprio sensu. Et hac de causa vocatur solummodo locumtenens. Nec potest aliquis ejusmodi locumtenens, id est, officium auditoris cum Episcopatu retinens, esse Rotæ decanus; quia repugnat esse caput corporis, eum qui ne membrum quidem est, nisi lato et minus proprio sensu.

§ XI.

An Romana Rota, qualis hodie extat, a propria et essentiali Rotæ forma et constitutione defecerit.

1° Quatenus auditores Rotæ cappellani ac subdiaconi sunt Summi Pontificis, haud intervenit immutatio : hodiernis nempe auditoribus, sicut et antiquis, jus et officium illud competit.

2° Nec etiam immutatus est (substantialiter saltem) proprius hujusce tribunalis in causis expediendis stylus.

3° Item adhuc hodie perpetuum est ipsorum officium; et ad illud sicut olim assumuntur e variis nationibus; ita ut hodie in Rotæ auditorio sedeat dominus La Tour d'Auvergne, ab imperatore Galliæ, Napoleone III, pro veteri more, nominatus.

4° Atvero quoad propriam et distinctivam hujusce tribunalis jurisdictionem, videtur substantialis intervenisse immutatio. Prout nempe mihi assertum fuit, ad Rotam hodie *de jure* perferri debent appellationes a tribunalibus inferioribus status Pontificii; neque alias jam præter ejusmodi status Pontificii in gradu appellationis causas civiles Rota cognoscit.

Porro, ut vidimus, id institutioni Rotæ proprium et distinctivum est, 1° ut nulla causa *per se*, et seclusa speciali commissione Summi Pontificis, hujus tribunalis jurisdictioni subjaceat : 2° ut eas solas causas judicet, quæ ex toto mundo ad Sedem Apostolicam perlatæ, per specialem Summi Pontificis commissionem ei cognoscendæ et terminandæ committuntur.

PARS III

DE ROMANARUM CONGREGATIONUM AUCTORITATE.

SEU

QUAM VIM OBLIGANDI HABEANT IPSARUM DECLARATIONES AC DECRETA.

Disceptationem ingredimur qua nulla forsan, in tota juris sacri disciplina, utilitate præstantior. Exstat siquidem, et hodiedum a minium multis propugnatur erroneum systema, Sacrarum Congregationum decretis ac declarationibus legis universalis vim ac rationem prorsus denegans ; quod si semel practice admitteretur, maxima sane ex parte præpedita atque inermis remaneret Romani Pontificis, Christi in terris Vicarii, regendæ universalis Ecclesiæ auctoritas. Ecquis enim non perspiciat imparem esse Pontificem edendis *per seipsum* tot decretis ac declarationibus, circa Tridentinarum legum sensum, circa ritus sacros, circa libros pravos, aliaque quamplurima rei ecclesiasticæ capita? Quibus tamen decisionibus ac statutis nisi controversiæ ac dubia dirimantur, abusus coerceantur, ac cæteris universalis Ecclesiæ necessitatibus opportune consulatur, ingens secuturum rei catholicæ detrimentum in aprico est. Manca sane ac insufficiens foret Romani Pontificis auctoritas nisi valeret, non tantum per seipsum ista præstare, sed etiam per dicasteria seu prudentum virorum

cœtus, quorum decreta, ob commissam ipsis potestatem, perinde valeant et ligent, ac si per Pontificem ipsum pronuntiarentur.

Hanc autem de Romanarum Congregationum auctoritate gravissimam quæstionem expendemus dumtaxat quoad Sacras Congregationes Concilii, Rituum, Inquisitionis et Indicis. De his quippe præcipua movetur difficultas; et exposita de illis quatuor sana ac tenenda doctrina, hoc ipso satis patebit quid et de cæteris sentiendum sit.

SECTIO I.

De auctoritate Sacræ Congregationis Concilii.

Ut facilius pandamus quænam sit vera ac tenenda doctrina circa ejusmodi declarationum valorem atque obligandi vim, instituenda visa est sequens capitum series : 1° exponemus quæstionis statum : 2° expendemus an certum sit promulgationem ad legis essentiam pertinere, ac esse rigorose ac semper necessariam ut lex obliget : 3° probabimus necessariam non esse promulgationem, ut obligare valeant declarationes legum dubiarum, legislatoris auctoritate factæ : 4° concludemus declarationes S. Congregationis Concilii vim legis universalis habere, quamvis non promulgentur : 5° dicemus de conditionibus quas multi auctores requirunt, ut obligatoriæ sint dictæ declarationes : 6° inesse dictis declarationibus vim legis universalis, auctoritatibus confirmabimus : 7° concludemus oppositam sententiam hodie non esse probabilem nec tutam in praxi : 8° solvemus objectiones.

CAPUT I.

STATUS QUÆSTIONIS EXPONITUR.

QUÆSTIO I^a^. — *An et quatenus S. Congregatio Concilii a Sede Apostolica constituta fuerit Tridentinorum decretorum interpres?* Et si jam supra (parte 2, capite 4) de Sacræ Congregationis Concilii institutione et variis ipsi tributis facultatibus breviter dixerimus, quia tamen ad recte intelligendam ejusdem Con-

gregationis declarationum auctoritatem plurimum confert apprime perspectum habere quid potestatis ei Sedes Apostolica contulerit, inserenda hic visa est accurata relatio, quam hac de re præclarus Fagnanus edidit (ad caput *Quoniam, de Constitutionibus,* nº 6 et sequentibus) : « Pius IV anno 1563, « 7 calendas februarii, in Constitutione quæ incipit *Benedictus* « *Deus,* posteaquam confirmavit œcumenicam Tridentinam « Synodum, mox ad evitandam perversionem et confusionem « quæ oriri posset, si unicuique liceret in decreta Concilii « commentaria et interpretationes suas edere, inhibuit om- « nibus tam ecclesiasticis quam laicis, (Prælatis quidem sub « interdicti ingressus ecclesiæ, aliis vero sub excommunica- « tionis latæ sententiæ pœnis) ne quis sine ejus authoritate « auderet ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, « ullumve omnino interpretationis genus super ipsius Con- « cilii decretis quocumque modo edere : difficultatesque et « controversias quæ ex eis decretis orirentur, sibi ac Sedi « Apostolicæ declarandas et decidendas reservavit...

« Hoc ipso tempore (anno 1564) initium habuit S. Congre- « gatio Concilii sub eodem Pontifice Pio V ; qui cum paulo « ante edidisset nonnullas Constitutiones et ordinationes..., « deputavit octo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui « easdem Constitutiones et pariter decreta Tridentini Con- « cilii per quoscumque... servanda curarent ; nisi tam in « executione dictorum decretorum Concilii quam dictarum « Constitutionum aliqua dubietas aut difficultas emergeret ; « quo casu ad Sanctitatem suam referrent ; ut in motu pro- « prio incipiente *Alias nos,* edito eo anno 1564, 4 nonas Au- « gusti.

« Itaque Sacra Congregatio, ab initio, Tridentini Concilii « decretis non *interpretandis*, sed *exequendis* dumtaxat præ- « fecta est.

« Sed paulo post, cum multis consultationibus respondisset, « et dubitatum esset de illius facultate, ob prohibitionem « Pii IV in Constitutionibus supradictis, Pius V indulsit eidem,

« ut posset decidere casus, quos tanquam claros putaret de-
« cidendos : quos vero tanquam dubios existimaret referen-
« dos Sanctitati suæ, referret...

« Sixtus V, in bulla quæ incipit *Immensæ æterni Dei*, edita
« 11 calendas februarii 1587, eorum quidem decretorum
« quæ ad fidei dogmata pertinent interpretationem sibi ipsi
« reservavit ; ac postea subdidit : *Cardinalibus vero præfectis*
« *interpretationi et executioni Concilii Tridentini, si quando in*
« *his quæ de morum reformatione, disciplina ac moderatione, et*
« *ecclesiasticis judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, du-*
« *bietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, No-*
« *bis tamen consultis, impartimur*. Ac deinde attribuit eidem
« Congregationi alias facultates ; nempe, provinciales et diœ-
« cesanas synodos in usum inducendi : item provincialia
« concilia expediendi et recognoscendi : Prælatorum limina
« visitantium postulata audiendi... Præterea statuit ut Con-
« gregatio haberet authoritatem promovendi reformationem
« cleri et populi, nedum in Urbe et statu ecclesiastico tem-
« porali, sed etiam in universo christiano orbe...

« Ac demum, ut omittamus alias facultates quæ ad rem
« præsentem non pertinent, Gregorius XIV, per litteras in
« forma Brevis, eidem Congregationi impertitus est authori-
« tatem scribendi nomine Papæ. His ita constitutis, manife-
« stum videtur declarationes Sacræ Congregationis Concilii
« vim legis obtinere, et in utroque foro ligare. »

Documenta hæc a Faguano allegata plane evincunt, auctoritate Apostolica constitutam fuisse Sacram Congregationem Concilii ad interpretanda Tridentinæ Synodi decreta, eique proinde ex eadem Pontificia auctoritate potestatem competere hujusmodi interpretationes seu declarationes faciendi. Et hoc est extra controversiam omnem.

Num autem dictæ declarationes auctoritate Apostolica non promulgatæ, vim legis universalis habeant, an vero potius sint tantum doctrinales, et ad summun obligent in casu particulari et eas personas pro quibus eduntur, valde fuit inter doctores controversum, ut mox videbimus.

Quæstio II[a]. — *Quotupliciter distinguantur legum dubiarum declarationes?* — I. Ratione interpretantis, distingui solent quatuor interpretationum species : 1° *interpretatio principis* seu legislatoris; et hæc est generalis, obligatoria et in scriptis redigenda : 2° *interpretatio consuetudinis ;* et hæc est generalis, et obligatoria, sed non in scriptis redigenda : 3° *interpretatio judicis;* et hæc est in scriptis redigenda, sed non est generalis, nec generaliter obligatoria : 4° *interpretatio doctrinalis* seu doctorum privatorum ; et hæc nec generalis, nec in scriptis redigenda, nec obligatoria est, sed tantum valet quantum privatorum ejusmodi doctorum opinio. (Vide apud Fagnanum, ad caput *Quoniam*, de *Constitutionibus*, n. 60).

II. Prout fiunt vel non auctoritate legislatoris, distinguuntur in *legales* et *doctrinales* seu magistrales. *Legalis* interpretatio ea est quæ fit, vel ab ipso legislatore ejusve successore, vel ad ejus mandatum ab aliis, sed nomine et auctoritate ipsiusmet principis. Hujusmodi olim fuerunt in imperio romano *responsa prudentum*, id est, illorum jurisconsultorum, quos imperator ad interpretandas leges dubias constituerat. Quibus *responsis* tanta erat, ex imperiali voluntate, auctoritas, ut vim legis haberent, nec liceret judicibus ab eis recedere. Interpretatio *doctrinalis* seu magistralis ea est quæ fit a privatis et privata auctoritate.

III. Iterum distingui solent ejusmodi declarationes in *comprehensivas* seu proprie dictas, et *extensivas* seu improprie dictas. *Comprehensivæ* dicuntur, quando declarant dumtaxat sensum legis, nihil novi juris inducendo, nec ulla additione vel restrictione legem immutando. Dicuntur *extensivæ*, quando legislator ita legem interpretatur, ut simul eam ex parte moderetur, aliquid addendo vel immutando. Hinc extensivæ declarationes, non sunt meræ seu propriedictæ declarationes, sed potius legum immutationes.

IV. Inter Sacræ Congregationis Concilii declarationes, nonnullæ fuerunt decreto Pontificio confirmatæ ac promulgatæ ; cæteræ autem Pontificia illa promulgatione destituuntur. De

paucis illis quæ decreto Pontificio promulgatæ sunt, nulla extat controversia. Certum nempe est Apostolica illa decreta vim legis universalis habere, sicut habent cæteræ Pontificiæ Constitutiones. Unde tota quæstio versatur circa ordinarias illas Sacræ Congregationis declarationes, quæ casuum particularium occasione Tridentinarum legum sensum definiunt, et absque promulgatione remanent.

Quæstio III[a]. — *An et quænam exstet controversia circa auctoritatem declarationum Sacræ Congregationis Concilii?* — I. Non extat controversia circa declarationes *extensivas* seu improprie dictas. Nam ejusmodi declarationibus, quæ textum legis ampliant vel restringunt, et sunt legum immutationes, non meræ declarationes, non inesse vim legis, nisi auctoritate Pontificia promulgentur, conceditur ab omnibus. (Vide apud Zamboni, *Collectio declarationum, supplementum introductionis,* ad calcem ultimi voluminis, Romæ editi 1816, pag. 89 et 103). Equidem potest Sacra Congregatio Concilii decreta etiam edere quæ novum jus inducant, nec sint meræ declarationes; quia nempe, ut supra ostensum est, data ipsi fuit potestas legislativa in iis quæ morum reformationem respiciunt : sed ejusmodi decreta S. Congregationis more legum promulgantur. « Solemnitas publicationis, ait Fagnanus, exigitur quidem « in legis editione ; idque servat etiam S. Congregatio in de- « cretis quæ *per modum novæ legis* ab ipsa eduntur ; ut patet « in decretis de apostatis et ejectis, de rebus regularium non « alienandis, de celebratione missarum, et aliis hujusmodi : « at secus est in legis declaratione. » (Ad caput *Quoniam, de Constitutionibus,* n. 43).

II. Nec extat controversia circa declarationes Sacræ Congregationis auctoritate Pontificia *promulgatas ;* sive sint declarationes proprie dictæ, sive non. Iis enim, si talis accesserit promulgatio, inesse vim legis universalis, ab omnibus conceditur.

III. Extat vero controversia inter doctores catholicos circa declarationes *proprie dictas et non promulgatas :* nimirum,

Prima sententia tenet, illis declarationibus inesse vim legis universalis, dummodo tamen tribus conditionibus vestiantur, videlicet : 1° ut emanatæ sint consulto Papa ; siquidem apposuit Sixtus V hanc clausulam, *Nobis tamen consultis :* 2° ut sint revera declarationes proprie dictæ, id est, *comprehensivæ* seu meræ interpretationes Tridentinarum legum ; non autem *extensivæ,* seu novum aliquod jus inducentes : 3° ut producantur in forma authentica, id est, a secretario subscriptæ et consueto sigillo obsignatæ.

Pro hac sententia, quam *communem* inter canonistas esse dicit Zamboni (*Supplementum introductionis*, in fine ultimi voluminis, pag. 83, editi Romæ 1816), stant Benedictus XIV (Institutione 10, n. 1 ; et Institutione 80, n. 17) ; Castro Palaus ; Clericatus ; Diana ; Engl (Proemium, n. 19) ; Fagnanus (in caput *Quoniam, de Constitutionibus*, n. 8 et seq.) ; Ferraris (verbo *Resolutiones) ;* Garcia ; Leurenius (*Forum ecclesiasticum*, libro 1, quæstione 24) ; Cardinalis de Luca (adnotationes ad Concilium Tridentinum, discursu 1, n. 17) ; Pignatellus (tomo 1, consultatione 86, n. 19 ; et tomo 9, consultatione 144, n. 8) ; Reiffenstuel (Proemium, § 8, n. 126) ; Schmalzgrueber (Dissertatio proemialis. § 8, n. 370) ; et alii multi, quos vide simul cum his citatos apud Zamboni. Est autem ipse Zamboni, in defendenda illa sententia præcipuus, et præcipue legendus. Qui cum prohibitus fuisset, ob Josephismi tyrannidem, totam hac de re veritatem dicere in introductione primi voluminis, Viennæ editi anno 1812, omissa edidit in *Supplemento*, quod subjunxit ad calcem ultimi voluminis, Romæ impressi anno 1816.

Cæterum supradictæ tres conditiones reduci possunt ad hanc unicam, *ut certo constet ejusmodi declarationes esse authenticas*, id est, a S. Congregatione revera pronuntiatas. Nam prima conditio, de consulendo Papa, inutiliter apponitur ; tum quia constans praxis est ut consulatur ; tum quia, ex quo Gregorius XIV dictæ Congregationi potestatem fecit decreta edendi *nomine et auctoritate* Summi Pontificis, semper adest

assensus Papæ, et valeret declaratio etiamsi Papa non consuleretur.

Item supprimi potest secunda conditio ; exigens ut dictæ declarationes sint proprie tales seu *comprehensivæ ;* quia versatur controversia circa comprehensivas dumtaxat, non circa alias. Tandem adnotant dictæ sententiæ defensores multi, necessarium non esse ut declarationes producantur cum subscriptione secretarii et sigillo consueto, si aliunde certo constet eas revera esse authenticas ; verbi gratia, si auctores plures et omnino fide digni testentur se eas excripsisse ex regesto authentico, nec ullæ adsint circumstantiæ quæ suspectas illas reddant. Unde huic tertiæ conditioni bene substitui potest ista : ut constet eas esse authenticas. De hac trium dictarum conditionum ad unicam reductione disserimus infra, capite 5. Dici ergo brevius potest *primam sententiam* eorum esse qui tenent, Sacræ Congregationis Concilii declarationibus, etsi non promulgatis, inesse vim legis universalis, dummodo constet eas esse authenticas.

Secunda sententia negat hisce declarationibus inesse vim universalis legis. Vult nempe eas esse mere *doctrinales,* obligandi vi destitutas, nisi Pontificia auctoritate promulgentur ; vel saltem eas non esse obligatorias, nisi in casu particulari proposito, et quoad personas quæ casum proposuerunt.

Hanc sententiam amplexati sunt, non tantum gallicani, et alii ex variis erroribus suspecti, sed etiam graves et probati doctores. Sic habet Suarez *(de Legibus,* l. 6, cap. 1, n. 3) : « Ut « ergo authentica sit interpretatio, oportet ut habeat omnes « legis humanæ conditiones ; atque adeo ut sit justa, procc- « dens a legitima potestate, *sufficienter promulgata* etc. » Vocat ibi Suarezius *authenticam* illam interpretationem quæ fit auctoritate legislatoris et habet vim legis, per oppositionem ad *doctrinalem,* quæ fit ex privata cujusque auctoritate. Notandum tamen est ibi a Suarezio non expendi quæstionem particularem de S. Congregationis Concilii declarationibus. Imo

sub citato numero videtur loqui de interpretationibus quæ legem ex parte *mutant*.

Bonacina de iis est qui aperte secundam sententiam sequuntur. Sic enim habet (*de Legibus*, disp. 1, quæst. 1, puncto 8, n. 4) : « Dubium est quam vim habeant declarationes illus-« trissimorum Cardinalium : utrum videlicet vim legis ha-« beant et obligent tanquam leges ; an potius censeantur « tantummodo interpretationes, et probent solum tanquam « opiniones sapientissimorum patrum et doctorum.

« Respondent aliqui (1) doctores, declarationes illustrissi-« morum Cardinalium vim legis habere... Ego vero... censeo « vim legis non habere, antequam sufficienter proponantur « et publicentur. » Pro eadem sententia citantur Sanchez, Diana, Laymam, Pellizzarius et alii nonnulli theologi.

Quæstio IV^a. — *Quænam sit sancti Ligorii doctrina ?* — I. Sic habet libro I, n. 106 : « An declarationes Sacræ Con-« gregationis Cardinalium vim legis habeant ? Nulli dubium, « quod pro casibus particularibus pro quibus fiunt, obligant « ut leges... Dubium est an obligent pro casibus similibus ? « Duplex est sententia ; utraque probabilis, ut recte dicunt « Salmanticenses...

« *Prima sententia* asserit, quod tales declarationes, si sint « munitæ sigillo et subscriptione Eminentissimi Cardinalis « præfecti, robur habent obligandi omnes... Nec obstat non « esse promulgatas...

« *Secunda* vero *sententia* dicit, quod licet tales declara-« tiones magni sint ponderis, non obligent tamen universe, « nisi non solum Papa consulto et mandante editæ, sed etiam « ejus mandato speciali solemniter promulgatæ pro tota Ec-« clesia, ita ut præcipiat Pontifex ab omnibus illas obser-« vari. »

Pariter in opere *Homo Apostolicus* (tractatus *de Legibus*, c. 3, n. 34) utramque sententiam exponit tanquam probabilem.

(1) Haud recte utitur Bonacina vocabulo ***aliqui***, si revera ita sentiant ***communiter*** graviores ac præcipui canonistæ, ut asserit Zamboni.

Ibidem autem (n. 73 et 74), ad quæstionem, « an declaratio quæ fit a Papa circa aliquam legem indigeat promulgatione, » ita respondet : « In hoc distinguendum : declaratio « altera est *pure talis*, altera *non pure talis*, et potius dicenda « interpretatio. Declaratio pure talis ea est cujus sensus a « principio est imbibitus clare in lege ; verbi gratia, si dubi- « tatur an sub nomine *filii* veniat filius naturalis tantum, an « etiam adoptivus, et legislator declarat intelligi tantum « naturalem : tunc declaratio est de sensu clare imbibito in « lege. Declaratio *non pure talis*, seu interpretatio, est illa « cujus sensus non est imbibitus clare in lege, sed circa illum « plures adsunt opiniones, et solum percipitur ex argumentis : « verbi gratia, si sub nomine *patris* comprehenditur avus; et « an sub nomine *mortis* intelligenda sit mors civilis, perpe- « tuus carcer etc., cum recurratur ad impropriam significa- « cationem.

« Hoc posito, dicemus, cum Suaresio..., declarationem *pure* « *talem* non opus habere promulgatione, sed obligare omnes « ad quos illius pervenerit notitia : cum non sit lex nova. « Declaratio *non pure talis* indiget promulgatione ut obliget, « quemadmodum quælibet alia lex, quia hæc habetur tan- « quam nova lex. » .

Hanc sancti Ligorii distinctionem, inter declarationes pure tales, et non pure tales, intellexit auctor dissertationis cujusdam (in opere *Mélanges théologiques*, 1re série 1847, pag. 72, editionis 1851), ita ut *pure tales* eæ essent quæ declarant legem *claram* et nulla declaratione indigentem. Unde concludit Sacræ Congregationis declarationes, utpote quæ versantur circa leges de quarum sensu controvertitur et extat dubium, esse referendas ad eas, quas sanctus Ligorius vocat *non pure tales*, et pro quibus dicit necessariam esse promulgationem : sicque sanctum Ligorium iis annumerat, qui S. Congregationis declarationibus vim legis denegant. At S. Ligorius per illa verba, *cujus sensus est imbibitus clare in lege*, non videtur intellexisse sensum legis ita clarum ut dubitationem excludat,

siquidem supponit e contra dubitari de sensu legis ; controverti, v. g., an sub nomine *filii* comprehendatur necne filius adoptivus. Unde potius dicendum, sanctum Ligorium idem intellexisse per declarationes *non pure tales*, quod Fagnanus et alii intelligunt per declarationes *extensivas*, seu legem aliqua ex parte mutantes ; quas concedunt vim legis non sortiri, nisi promulgentur.

II. Nisi ergo Sanctus Ligorius, qui plura scriptorum suorum loca ipsemet retractavit et reformavit, illud ipsum quod de prædictarum declarationum auctoritate dixerat, correxisset ac emendasset, recensendus foret inter scriptores, qui utramque sententiam habent tanquam probabilem. Atvero,

III. Intellexit sanctus vir, se a vero errasse, tradendo tanquam probabilem, opinionem eorum qui dictis declarationibus non promulgatis vim legis denegant. Quapropter, in *elencho quæstionum reformatarum*, (serie secunda, sic inscripta : *Adduntur aliæ recentes retractationes opinionum, quæ in præcedente editione recensentur*), id correxit in hunc modum :

« *Quæres II*, an declarationes Sacræ Congregationis Cardi-
« nalium vim legis habeant? Plures auctores negant, nisi editæ
« sint, non solum consulto Pontifice, sed etiam mandante ut
« ipsæ solemniter per totam Ecclesiam promulgentur (libro 1,
« n. 116, versus *Quæres* 2°).

Addendum tamen est, quod hujusmodi declarationes, quæ jam
« *in Ecclesia universaliter divulgatæ, et facto sic promulgatæ fue-*
« *rint usu plurium, vel relatione auctorum communiter ipsas re-*
« *ferentium, hæ satis omnes fideles obstringunt.* »

Valde notatu digna est hæc retractatio, quam ignorasse videtur auctor supradictæ dissertationis, in opere periodico *Mélanges théologiques* insertæ. Ibi enim expresse docet Sanctus Ligorius, obligatorias esse dictas declarationes, ex hoc ipso quod *communiter* a privatis auctoribus *referantur*. Proinde tenet, necessariam non esse promulgationem proprie dictam ; cum divulgatio declarationum Sacræ Congregationis per privatorum scriptorum citationes, nequaquam sit vera promul-

gatio ; quam tamen veram et proprie dictam promulgationem requirunt secundæ sententiæ defensores. Unde ibi Sanctus Ligorius non jam ut *probabilem* tradit hanc secundam sententiam ; sed aperte illam deserit ac proscribit.

IV. Exposita S. Ligorii doctrina quoad rem fere non differt ab ea quam et nos hic sustinemus. Nostra enim thesis hæc est : « Universaliter obligant dictæ declarationes, etsi non « promulgatæ, *dummodo de ipsis certo constet.* » Ordinarie autem non certo constat de istis declarationibus, nisi saltem a pluribus scriptoribus ac libris fide dignis referantur ; ac proinde nisi adsit hoc ipsum, quod sufficiens existimat Sanctus Ligorius *ad obstringendos fideles omnes.*

Equidem juxta nostram thesim, certo etiam constabit de declaratione a secretario subscripta et sigillo consueto obsignata, iis omnibus qui eam videbunt ; quamvis nondum per notos libros et scriptores cœperit citari ac referri. At, si obliget declaratio ex eo quod a pluribus auctoribus referatur, non est cur non obliget personas omnes, quæ propriis suis oculis authenticum ejus instrumentum viderint. Posito enim quod non requiratur ad obligandum proprie dicta promulgatio, sufficere debet quilibet modus certitudinem de ipsis acquirendi. Nullus autem melior modus, quem authenticum instrumentum propriis oculis conspicere.

Quæstio V[a]. — *Quis sit præcipuus difficultatis modus?* — Hujusce controversiæ difficultas in eo præcipue versatur, quod, ex recepta communiter doctrina, leges humanæ promulgandæ sint, ut obligare incipiant ; ita ut ante promulgationem, ne eos quidem qui illas norunt, obstringant : aliunde vero legis dubiæ interpretatio seu declaratio, principis auctoritate facta, novæ legi prorsus videatur æquivalere ; ita ut et ipsa ad obligandum promulgatione indigere censenda sit.

CAPUT II.

EXPENDITUR AN CERTUM SIT, PROMULGATIONEM AD LEGIS ESSENTIAM PERTINERE, AC ESSE RIGOROSE ET SEMPER NECESSARIAM UT LEX OBLIGET.

In præsenti controversia circa valorem declarationum Sacræ Congregationis Concilii, non desunt scriptores, qui tanquam inconcussum et indubitatum principium ponant, *ad legis essentiam pertinere promulgationem*, ita ut nunquam obligare ulla lex humana valeat, nisi promulgata. Verum in hoc ipsos errare, ac contrarium potius tenendum, sequentibus propositionibus evincitur.

PROPOSITIO I^a^. — *An promulgatio ad ipsammet legis essentiam pertineat, inter doctores controvertitur.* — I. Sic habet Leurenius : « Constat ex ipsa voluntate legislatorum seu ex ipsa « determinatione principum, non obligare leges humanas, « tam canonicas quam civiles, nisi adhibita aliqua solemni « promulgatione : quidquid sit de eo, utrum hoc ideo voluit, « quia aliter non possunt, quia aliter iis jurisdictio a Deo vel « a republica collata non fuerit, quam cum hac limitatione, « ut si velint obligare subditos, manifestent exterius hanc « suam volitionem hac vel illa solemnitate : uti de facto con- « tigisse non incongrue præsumitur, vel ex hoc quod lex sit « regula publica totius communitatis ; adeoque conveniens « sit ut ea sensibili applicatione applicetur toti communitati, « hoc est, ita uno actu publicetur, ut dein omnia communita- « tis membra facile in ejus notitiam devenire possint. Cum « interim negari non possit, potuisse rempublicam tali modo « dare legislatori jurisdictionem, ut, si vellet, obligaret sub- « ditos, cum primum illis constaret de ejus volitione, etiam « sine solemni promulgatione. » (*Forum ecclesiasticum*, libro 1, quæstione 40, n. 1.)

Admittit ergo Leurenius necessariam esse promulgationem

ex ea ratione, quod legislatores de *facto nolint* aliter obligare : an autem possent, si vellent, per leges suas non promulgatas obligare, tanquam dubiam quæstionem relinquit. Imo tanquam certum admittit posse a republica legislatori conferri potestatem per leges non promulgatas obligandi : ac proinde tanquam certum admittit, dari posse veram legem quæ obliget, licet non promulgata : ac consequenter tanquam certum admittit, promulgationem ad legis essentiam proprie non pertinere. Quod enim ad essentiam alicujus rei pertinet, semper necessarium est, ut res illa existat.

II. Sic habet Fagnanus (ad caput *Quoniam, de Constitutionibus*, n. 51) : « Nova Constitutio, quamvis ante publicationem « non liget ignorantes, saltem respectu pœnæ, valet tamen « et ligat eos qui illius habent notitiam ; ut videtur textus in « capite 1, *de Concessione præbendæ*, libro 6. Et videtur *com-* « *munis traditio*, ut patet ex allegatis per Felinum... Quando- « quidem, secundum Federicum de Senis.., ne nova quidem « lex seu Constitutio requirit *ad sui essentiam* publicationem ; « sed tantum ad effectum ut liget ignorantes : et sequitur Ab- « bas, *Consilio* 5, in principio libri 2. »

Ergo revera tenent doctores multi, promulgationem ad legis essentiam non pertinere.

III. At nec desunt qui contrarium defendant ; prout satis testantur hæc Suaresii verba : « Hæc conditio (*nempe ut lex* « *promulgetur*) fere ab omnibus doctoribus ad complementum « legis postulatur, ut videre licet in divo Thoma (q. 90, « art. 4), et aliis scriptoribus... Ut lex plene constituta sit, « oportet ut habeat efficaciam obligandi ; sed hanc non ha- « bet donec promulgetur; ergo, donec promulgetur non « est vera lex, ac subinde promulgatio est de ratione legis. « *Major* constat quia... *Minor* etiam probatur, quia ut regula « de se obliget, oportet ut quantum ex parte sua sit suffi- « cienter proposita. Est autem lex regula non pro una vel al- « tera persona, sed pro tota communitate lata ; ergo debet « esse proposita publico modo et communitati accommodato ;

« talis porro publicatio seu propositio promulgatio appella-« tur » (*de Legibus*, libro 1, cap. 9, n. 1 et 3).

Ergo revera, num promulgatio ad legis essentiam pertineat, inter doctores controvertitur.

Propositio II[a] — *Hodie pro vera tenenda videtur sententia, quæ negat promulgationem ad legis essentiam pertinere.* — Quando enim, extante doctorum controversia, Sedes Apostolica alteram e duabus sententiis aperte suam facit per Pontificiam aliquam Constitutionem, deseranda est opposita. Id porro contigit quoad Pontificias illas Constitutiones, quæ *regulæ Cancellariæ* vocantur, quas edit, aliquid immutando vel addendo, unusquisque Pontifex, proximo post assumptum summum Pontificatum die, ad suum usque obitum duraturas. Vehementer ab antiquis canonistis fuit disputatum, an ante promulgationem, et a quo tempore obligare incipiant. « Alii dixerunt a die publi-« cationis : alii a die earum editionis seu compositionis : alii « vero a die assumptionis ad Pontificatum... Hodie vero *cer-« tum est*, quod regulæ statim usque a crastino assumptionis « ad Pontificatus apicem ligare incipiunt, *licet non sint adhuc « promulgatæ* » (Riganti ad *proœmium*, n. 37 et 38). Constat ex ipsarum *proœmio*, in quo sic decernitur : « Sanctissimus in « Christo Pater et Dominus Noster N, divina Providentia « Papa N, in crastinum suæ assumptionis ad summi Apostola-« tus apicem.., reservationes, Constitutiones et regulas infra « scriptas fecit, quas etiam.., *ex tunc, licet nondum publicatas*, « et suo tempore duraturas, observari voluit. » Voces istæ *licet nondum publicatas*, ab Urbano VIII primum appositæ fuerunt, ad tollendam supradictam controversiam. « Cæterum « quamvis regulæ nondum publicatæ ligent, id tamen intel-« ligitur quoad effectum nullitatis actus in contrarium gesti; « secus quoad pœnas incurrendas » (Riganti, ad *proœmium*, n. 41).

Remanet ut ostendamus, merito inde concludi, universaliter obligare posse leges non promulgatas.

1° Controvertitur an *veræ leges* sint illæ Constitutiones quæ

non feruntur in perpetuum. Et in particulari extat controversia quoad regulas Cancellariæ, ob hoc ipsum quod expirent per mortem uniuscujusque Pontificis. Quam controversiam sic exponit Suarez (*de Legibus*, l. 1, c. 10, n. 4): « Duæ pos-« sunt referri opiniones : *Prima* negat perpetuitatem aliquam « esse de ratione legis humanæ. Ita sentit glossa .. Expres-« sius id docet Gomez (in proœmio ad *Regulas Cancellariæ*, « q.2,ad 2). Potestque probari primo, quia nec Isidorus, nec « divus Thomas hanc conditionem posuerunt inter requisita « ad legem humanam. Secundo, quia sola duratio est valde « accidentaria, pendetque ex principis voluntate ; unde si « lex generaliter feratur, licet pro certo tempore feratur, « erit vera lex : nam æque obligabit et habebit omnes alios « effectus legis. Tertio afferuntur exempla, ex capite..., et « ex regulis Cancellariæ, quæ leges sunt, licet non sint per-« petuæ. *Secunda* sententia affirmat perpetuitatem esse de « ratione legis, statuti seu constitutionis. » Allatis hujus posterioris sententiæ rationibus, concludit Suarez legem ad certum tempus duraturam non esse legem, in strictiore hujus vocis acceptione ; esse tamen legem in vero aliquo sensu : « Potest supremus princeps decretum seu præceptum ferre, « declarans velle ut duret pro tempore vitæ suæ et non am-« plius, et quod in cæteris habeat virtutem et efficaciam « legis... Tunc autem revera illa non esset simpliciter lex, « *qualis nunc significatur hoc nomine absolute sumpto*, sed esset « lex *secundum quid*, vel (ut sic dicam) per dispensationem « quamdam. » (Loco citato, n. 16). Quod ergo regulæ Cancellariæ sint proprie dictæ leges, controvertitur.

2° Controversia hæc nequaquam impedit quin ab ipsis ad veras leges fieri possit illatio, quoad excludendam promulgationis necessitatem. Nam, excepta hac circumstantia, quod cessent per mortem Pontificis, in reliquis eamdem habent efficaciam, fatentibus omnibus, ac cæteræ proprie dictæ leges. « Hujusmodi Constitutiones et regulæ *vim legis* habent », ait Riganti (ad *proœmium*, n. 26). Et in particulari certum est

eas esse *universaliter obligatorias*. Hinc si necessaria esset promulgatio ut lex obligaret, necessaria etiam foret, ut regulæ Cancellariæ obligarent. Nulla enim allegatur ratio ad probandam promulgationis necessitatem quoad leges, quæ eodem modo non urgeat quoad regulas Cancellariæ. Sed necessaria non est promulgatio ut regulæ Cancellariæ obligent, prout constat expressa Sedis Apostolicæ sanctione ; ergo nec essentialiter requiritur ut proprie dictæ leges obligare possint.

Hinc citata verba Urbani VIII, *observari voluit, licet nondum publicatas*, mihi videntur probabilitatem omnem ademisse opinioni quæ tenebat, promulgationem ad legis essentiam pertinere.

Propositio III[a]. — *Ordinarie necesse est leges promulgari ; non ob legis essentiam ; sed quia si secus fieret, sequerentur plerumque notabilia quoad communitatem detrimenta.* — Nam si lex absque promulgatione obligaret subditos statim ac de ipsa notitiam haberent, sequeretur regulariter loquendo aliquid injustum vel communitati noxium. Supponamus legem aliquod onus imponentem ; verbi gratia, qua prohibeatur sub pœnis venatio aut piscatio certis anni temporibus: si ejusmodi lex obligaret absque promulgatione, ea obstringerentur ii subditi ad quorum notitiam pervenisset, non alii, proinde onus non æque omnibus imponeretur, quod est contra justitiam distributivam. Insuper causa multis præberetur eludendi legem, fingendo se eam ignorasse. Item supponatur lex contractum aliquem irritans ; verbi gratia, lex clandestina matrimonia annullans : si obliget absque promulgatione, et statim ac lata est matrimonia irritet, multa nulliter contrahentur matrimonia ; quia, nisi fiat solemnis publicatio hujus legis, multi eam ignorabunt. Ex illa autem tot matrimoniorum irritorum quanta oriri possint mala ac detrimenta, nemo non videt. Et generatim si variæ recenseantur humanarum legum species, reperietur secuturum regulariter loquendo aliquid injustum, vel communitati noxium, si absque promulgatione obligarent.

Dicimus tamen *regulariter loquendo* : nam tales esse possunt alicujus legis materia et circumstantiæ, ut nihil injusti, nihil quoad communitatem nocumenti sequatur, ex eo quod illa lex ante promulgationem vim habeat : et tales sunt regulæ Cancellariæ, de quibus supra dictum est. Quia nempe solent singuli Pontifices, statim post assumptum Pontificatum, eas renovare, et hoc notum est in toto christiano orbe, nullum sequitur detrimentum ex eo quod ante promulgationem vim habeant.

CAPUT III.

UT UNIVERSALITER OBLIGENT LEGUM DUBIARUM DECLARATIONES, LEGISLATORIS AUCTORITATE FACTÆ, NECESSARIA NON EST EARUM PROMULGATIO.

Propositio I^a^. — *Requirit jus naturale ut penes legislatorem sit aliquod medium universaliter obligatorias reddendi legum dubiarum declarationes.* — Nam id vult Deus et requirit jus naturale, quod omnino necessarium est ad bonum commune, atque ad rectam communitatis gubernationem. Atqui revera exigit bonum commune et recta communitatis gubernatio, ut possit legislator legum dubiarum sensum declarare, et ejusmodi declarationes obligatorias reddere. « Nam hæc est hu-« mana conditio, ut vix possit homo tam perspicuis verbis « sensum suum explicare, quin ambiguitates et dubia nas-« cantur ; præsertim quia lex humana loquitur breviter et in « generali ; et in applicatione ad varios casus in particulari « oriuntur frequenter dubia. » (Suarez, *de Legibus*, l. 6, cap. 1, n. 5.) Aliunde autem lex dubia, ex hoc ipso quod sit dubia et controversa, non obligat neque ad culpam neque ad pœnam. Aliunde, quandiu lex remanet dubia, hoc ipso dubium et controversiis obnoxium remanet, an validi vel irriti sint actus contra illam gesti; ex quo facile orientur et perpetuo recurrent lites. Ergo nisi posset legislator legum dubiarum sensum declarare,

et ejusmodi declarationes universaliter obligatorias reddere, non haberet sufficientem potestatem ad promovendum bonum commune et recte gubernandam communitatem. Ergo debet extare aliquis modus, quo valeat dictas declarationes, universaliter obligatorias reddere. Estque id cæteroquin extra controversiam; et disputatur dumtaxat, quisnam sit iste modus; aliis asserentibus necessariam esse promulgationem, et aliis id ipsum negantibus. « Certum est, inquit Suarez, dari posse « interpretationem aliquam legis quæ auctoritatem legis ha- « beat ; hanc vero fieri non posse nisi vel ab ipsomet legis- « latore, vel successore... Tota assertio facile probatur, *quia « interpretatio hæc sæpe est necessaria ad bonum commune.* »(*De Legibus,* libro 6, c. 1, n. 2).

Propositio II^a^. — *Requirit jus naturale ut legum dubiarum declarationes, legislatoris auctoritate factæ, universaliter obligare valeant, quin promulgentur.*—Nam requirit jus naturale vultque Deus legislatorem ea muniri potestate, sine qua sequeretur communitatis detrimentum, et quia posita non sequitur detrimentum sed magna utilitas. Atqui,

I. Nisi posset legislator per declarationes non promulgatas universaliter obligare, sequerentur incommoda et detrimenta. Nam tunc non posset legislator ejusmodi declarationes universaliter obligatorias reddere, nisi eas solemniter promulgando. Et cum aliunde, ex dictis sub præcedenti propositione, tolli debeant dubia ejusmodi circa sensum legum, deberet legislator tot Constitutiones solemniter promulgare ad diluenda illa dubia, quot essent leges interpretatione indigentes et de quarum vero sensu controverteretur. Porro id ingens secum traheret incommodum, præsertim si agatur de Ecclesia, quæ tanto legum numero regitur. Etenim summum onus foret, si deberet Summus Pontifex omnes legum dubiarum interpretationes, per totidem Pontificias Bullas solemniter publicare. Perpendatur quot intervenerint declarationes quoad Tridentina decreta recte intelligenda : item quot emanaverint a S. Rituum Congregatione circa sensum rubricarum, et aliarum

Apostolicarum Constitutionum, de sacris recte peragendis decernentium. Insuper dictæ declaratoriæ Constitutiones, utpote quæ more legum promulgarentur, non breviter per verba *negative* vel *affirmative* (ut ad casus particulares solent sacræ Congregationes), sed cum solitis legum ecclesiaticarum clausulis edi deberent, et totam aliquam casuum possibilium speciem clare et per longum exprimere : et circa verba quæ in ipsis adhiberentur nova orirentur dubia, quæ pariter novis Bullis solemniter publicandis essent diluenda. Quis non videat ingentem inde in Ecclesiæ regimine orituram difficultatem?

II. E contra, in hypothesi quod valeat legislator legum dubiarum declarationes absque promulgatione obligatorias facere, omnibus incommodis facile occurritur. Nam tunc poterit legislator aliquod tribunal seu aliquem jurisperitorum cœtum, ad decidenda circa legum sensum dubia instituere, et ejusmodi declarationes suas facere ; edicendo videlicet, semel pro semper, velle se ut leges juxta hasce declarationes intelligantur et serventur. Supervenient tunc quoad singula emergentia dubia ac jurgia decisiones : has paulatim canonistæ ac theologi notas habebunt, et in suis libris referent ; sicque certus evadet legum sensus, et controversiis ac litibus finis imponetur.

Quod revera sic possint sufficientur tolli dubia ac lites circa legum dubiarum sensum, negari non potest ; quia ab actu ad posse valet consecutio. Porro antiqui imperatores romani ita fecerunt : nam *Responsa Prudentum*, id est, jurisconsultorum quos ad declarandum legum sensum constituerant, vim legis universalis habebant, siquidem judicibus vetitum erat ab eis recedere : et tamen non promulgabantur ; sed eorum notitia paulatim acquirebatur ; quæ divulgatio sufficiens erat ad tollendas lites et determinandum legum sensum. Imo et hunc effectum obtinent hodie sacræ Congregationis Concilii declarationes, quamvis non promulgatæ. Innumeræ sunt dubitationes et lites quæ jamdudum moveri desierunt, ob id solum quod a sacra Congregatione Concilii fuerunt decisæ, et

ejusmodi decisiones per scripta et citationes doctorum fide dignorum, fuerunt ita divulgatæ, ut de earum authenticitate rationabiliter dubitari nequeat. Et quamvis adhuc nonnulli (perperam quidem ut infra dicetur) hisce declarationibus vim legis universalis in speculatione denegent, in praxi tamen non audent contra certo notas ejusmodi declarationes agere.

Unde revera per ejusmodi declarationes, licet non promulgatas, sufficienter attingit Summus Pontifex intentum finem, dubia et lites circa ecclesiasticarum legum sensum removendi.

Ergo utile et conveniens est ut possit legislator declarationes non promulgatas universaliter obligatorias facere : aliunde nisi id posset sequerentur difficultates et incommoda : ergo postulat bonum commune, ac proinde requirit jus naturale, ut possit legislator non promulgatis etiam legum dubiarum declarationibus vim universalis legis communicare.

Objicies 1°. — Si declaratio non promulgata vim legis universalis haberet, frequenter contingeret, ut aliqui pauci eam noscentes obligarentur, dum alii quam multi, utpote eam ignorantes, hac obligatione liberi forent : atqui hoc foret noxium : ergo admittenda non est dicta legislatoris potestas.

Respondeo : *Primo*, contingeret etiam frequenter ut multi ignorarent declarationem promulgatam, ac proinde illa non obstringerentur : unde adest magna ex parte objectum inconveniens, etiam in hypothesi quod declarationes necessario promulgandæ sint ut obligent. *Secundo*, nego minorem ; id est, sequi inde aliquid noxium. Sequitur tantum eos qui Sacræ Congregationis declarationem ignorant, posse adhuc sine culpa agere perinde ac si lex dubia remansisset, et nulla intervenisset decisio ; paucos autem alios teneri notam decisionem servare. Paulatim autem discrimen istud evanescet ; quia tum a scriptoribus ecclesiasticis, tum aliis modis declaratio divulgabitur. Porro nedum inde aliquod sequatur notabile damnum, sequuntur e contra supra expositæ utilitates.

Propositio III[a]. — *Requirit jus naturale ut dictæ declarationes vim habeant, etiam quoad actus præteritos; id est, ut omnes obligent ad habendos dictos actus tanquam validos vel irritos, prout validi vel irriti declarantur.* — Nam id vult Deus et requirit jus naturale, quod requirit bonum commune : atqui bonum commune requirit, ut dictæ declarationes, non tantum obligatoriæ sint quoad futurum, sed etiam et præcipue ut obligent ad habendos pro validis vel irritis actus præteritos, prout validi vel irriti declarantur. Nam communitati summe noxium foret si non possent tolli dubia circa ejusmodi actus et contractus jam initos, de quorum valore, ob obscurum legis sensum, litigatur. Sit in exemplum lex Tridentina (sess. 24, c. 1 *de Reformatione matrimonii*) irritans matrimonium, *aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia* contractum : orta est inter doctores controversia, an vi hujus legis irritum esset matrimonium contractum coram parocho, minoribus dumtaxat ordinibus initiato : item an valeret matrimonium contractum coram parocho viri vel mulieris, in aliena parochia celebratum : item matrimonium contractum coram parocho qui per vim interfuit, et consensum non audivit quia sibi aures obturavit. Requirebat bonum Ecclesiæ, ut posset certum fieri, non tantum an valida futura essent matrimonia quæ in posterum ita contraherentur, sed etiam an valida essent hoc modo jam contracta. Eorum valorem pronuntiavit Sacra Congregatio Concilii : et intervenerunt hæ decisiones occasione matrimoniorum jam contractorum. Item nemo non perspicit quam noxium foret, si non posset tolli dubium circa valorem actus, quo quis obtinuit beneficium curatum, vel electus est in vicarium capitularem, vel constitutus est alicujus diœcesis Episcopus, etc. Et tamen ob subobscuros nonnullos juris textus orta sunt dubia de valore vel nullitate ejusmodi actuum, certis modis et in certis circumstantiis gestorum. Ergo revera legislatoris potestas, universaliter obligatorias faciendi legum dubiarum declarationes, etsi non promulgatas,

ita intelligenda est, ut declarationes illæ certam etiam faciant obligationem, actus præteritos pro validis vel irritis habendi.

Hinc potestatem suam non excessit imperator Justinianus, quando, declarato cujusdam legis suæ sensu, ita subjunxit : *Quam interpretationem, non in futuris tantummodo casibus, verum etiam in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset a nobis* (authentica *de Muliere raptum passa*, collatione 9).

Propositio IV^a^. — *In casu legis dubiæ, verus sensus legis determinatur a Deo supremo legislatore, juxta declarationem, quæ postea supervenit legislatoris humani auctoritate.* — Etenim 1° legislatores humani non sunt infallibiles in cognoscendo et declarando sensu qui intentus est, quando primum lex dubia fuit promulgata. Equidem si auctor legis suam ipsemet dubiam legem interpretetur, difficile continget ab ipso non exprimi sensum quem intendit. Nihilominus absolute fieri potest ut mentiatur, dicendo talem fuisse sensum suum, quamvis sensum hunc revera non intenderit. Item potest oblivisci quem sensum intenderit, et errare declarando a se intentum fuisse sensum quem non intendit. Ast a fortiori errare poterunt ipsius successores, asserendo talem fuisse sensum ab auctore legis intentum. Nulla enim quoad hoc probari potest a Deo legislatoribus humanis concessa infallibilitas.

2° Ex præcedentibus propositionibus evincitur, velle Deum ut legum dubiarum declarationes, legislatoris auctoritate factæ, vim habeant, tum in futuro ad obligandum ad culpam et pœnam, tum quoad actus præteritos ad certam faciendam eorum validitatem vel nullitatem. Talem scilicet esse Dei voluntatem, seu (quod idem est) juris naturalis dispositionem, merito concluditur ex eo quod ita requirat humanarum societatum commune bonum.

3° Ergo quoties edicitur lex dubia, intervenit Dei supremi legislatoris voluntas, sensum determinans juxta declarationem ab humano legislatore postea suo tempore emittendam. Id aperte sequitur ex eo quod velit Deus posse leges dubias ab

humanis legislatoribus declarari, et ejusmodi declarationes vim habere, etiam quoad actus præteritos. Posita enim hac Dei voluntate repugnat legem non obligare juxta sensum legislatoris auctoritate declaratum. Ergo quoties lex dubia edicitur, idem evenit ac si Deus his verbis sensum legis determinaret : *Eo quod lex sit dubia, volo ut non obliget ad culpam antequam sensus ejus legislatoris humani auctoritate declaretur : emissa autem hac declaratione, volo ut lex juxta illam obliget : insuper ut actus præteriti pro validis vel nullis habeantur, prout validi vel nulli forent, si lex ab initio cum illa declaratione prodiisset.* Is ergo est sensus legis dubiæ, a Deo supremo legislatore intentus.

4° Si forte legislator humanus in edicenda lege dubia, sensum intenderit diversum ab eo qui postea a succedente auctoritate declaratur, is sensus ab auctore legis intentus non est verus sensus legis, et ejus voluntas obligandi juxta hunc sensum, est prorsus irrita. Nam tunc intervenit superioris auctoritatis legislator, nempe Deus ; legem statim ab initio irritans, in quantum differt a superventura declaratione ; et eam moderans et determinans ac efficacem reddens (eo modo quem diximus) juxta futuræ declarationis sensum. Proinde tunc *verus* legis sensus ille est quem intendit Deus, non quem intendit humanus legis auctor. Unde tandem *verus* sensus ille est qui postea legislatoris auctoritate declaratur.

5° Quod dictus *verus* sensus ante declarationem non obliget ad culpam et pœnam, fit per accidens ; nimirum eo quod ignoretur : sicut etiam lex clara et promulgata non obligat ad culpam et pœnam eos qui eam ignorant. At dictus *verus* sensus, id est, postea legislatoris auctoritate declarandus, etiam ante declarationem producit effectus validitatis vel nullitatis actuum ; ita ut nempe post declarationem omnes teneantur actus antea gestos pro validis vel irritis habere, perinde ac si lex cum ista declaratione prodiisset. Sit in exemplum aliqua matrimoniorum species, quam ante declarationes non constabat esse invalidam. Post declaratam nullitatem, tenebuntur

sic conjuncti matrimonium suum tanquam irritum habere. Ergo sensus legis declarationi conformis, id est, *verus* sensus legis, jam ante declarationem effectum nullitatis produxit.

Propositio V^a^. — *Casu quo successive fiant duæ declarationes contradictoriæ ejusdem legis dubiæ, si lex de iis sit quæ effectus irritantes non habent, vult Deus ac requirit jus naturale, ut lex illa obliget juxta priorem declarationem quo usque prodierit posterior : postea vero ut obliget juxta posteriorem.* — Etsi rarissimus sit ille casus duplicis contradictoriæ interpretationis quoad eamdem legem, est tamen diligenter expendendus, quia ex illo potissimum existimant adversarii veram probari opinionem suam. Distinguimus autem leges quæ nullos effectus irritantes habent (prout est, verbi gratia, lex Episcopis præscribens diœcesanæ synodi celebrationem), a legibus quæ secum trahunt actorum valorem vel nullitatem, prout est lex matrimonia clandestina proscribens et annullans. De priori legum specie tantum sub præsenti propositione dicimus; casum quoad alteram speciem sub sequenti propositione discussuri. Quo prænotato conclusionem sic probamus :

Requirit jus naturale et vult Deus, ut leges dubiæ a legitima auctoritate declarari possint, et ut ejusmodi declarationes obligatoriæ sint ; quia nempe, ut supra ostendimus, ita requirit commune humanarum societatum bonum.

Ergo vult Deus ut in casu duplicis declarationis contradictoriæ, ambæ obligent, eo modo quo obligare possunt. Non possunt autem obligare simul, cum sint contradictoriæ; bene vero successive ; ergo vult Deus et duæ illæ declarationes obligent successive ; id est, prior usque dum emittatur posterior ; et dein posterior, cessante obligatione juxta priorem.

Unde in hoc casu, verus sensus legis, id est a Deo supremo legislatore intentus, est ut lex illa dubia obliget successivis temporibus juxta duas contradictorias declarationes. Et hoc semper concludimus ex jure naturali ; ex eo quod scilicet ita requirat commune bonum.

Propositio VI^a^. — *In casu duplicis contradictoriæ declara-*

tionis quoad legem irritantem, non vult Deus ut actus anteriores sint successive irriti vel validi, juxta duplicem declarationem : vult tamen ut subditi teneantur successive sese gerere, perinde ac si actus validi vel irriti forent, juxta utramque declarationem. — Sit in exemplum ecclesiastica lex, de qua controvertatur an aliquam matrimoniorum speciem irritet necne. Titius et Berta hujus speciei matrimonium contraxerunt. Declarat Sacra Congregatio valida esse hujus speciei matrimonia. At postea eadem Sacra Congregatio hanc suam decisionem corrigens, pronuntiat ejusmodi matrimoniorum nullitatem. Hunc casum objiciunt adversarii, ut probent declarationibus non inesse vim legis. Nam, inquiunt, si haberent vim legis, dictum Titii et Bertæ matrimonium esset simul validum et irritum : validum vi prioris declarationis ; irritum vi posterioris : quod est absurdum. Nec minus absonum est, illud matrimonium esse successive validum et irritum ; id est, validum fuisse ante posteriorem declarationem, et postea evasisse irritum. Quia si fuit nulliter contractum, illud non validavit prior declaratio : si valide, illud non irritavit posterior. Cui difficultati sic respondemus :

1° Chimericus dici potest ejusmodi casus. Quia, ubi agitur de legibus e quibus sequitur sacramentorum valor vel nullitas, non contingit S. Congregationem mutare decisiones suas, quibus vel validitatem vel nullitatem declaravit. Nec puto ullum citari posse hujusce casus exemplum. At

2° Fingamus casum contingere posse : dicimus *primo*, non velle Deum ut matrimonium sit validum juxta priorem declarationem, et postea irritum juxta posteriorem ; quia matrimonii valor vel nullitas tota pendet ab instanti in quo matrimonialis contractus peractus est. Si nempe tunc validus fuit contractus, nulla supervenions declaratio facere potest ut validus non fuerit : sin vero irritus, nulla declaratio efficere potest ut fuerit validus. Cum ergo Deus non velit impossibile, quando prævidet duplicem superventuram contradictoriam declarationem, non vult ut lex dubia valorem vel nullitatem matrimonii producatur juxta utramque ; sed vult ut lex

dubia valorem vel nullitatem matrimonii producat juxta unam e duabus declarationibus, non juxta alteram. *Secundo*, exigit aliunde commune bonum, ut legitima auctoritas possit decidere, et quidem decisione obligatoria, quomodo subditi sese in praxi gerere debeant in casu matrimonii dubie validi. Si enim dubia hæc tolli non possent, sequerentur ingentia detrimenta, ut patet. Ergo vult Deus, ut in hoc casu subditi sese gerere teneantur successive juxta utramque declarationem contradictoriam. Unde Titius et Berta post priorem declarationem tenebuntur sese gerere, perinde ac si matrimonium valide sontractum fuerit : et dein superveniente declaratione nullitatis, tenebuntur sese gerere perinde ac si matrimonium fuerit nulliter contractum. Proinde in hoc exceptionali casu declaratio non *certo* exprimit ipsammet validitatem vel nullitatem, sed dumtaxat obligationem sese gerendi hoc vel illo modo. Jam vero sic intellecto sensu duplicis ejusmodi declarationis contradictoriæ, vera remanet generalis assertio, *inesse declarationibus vim legis universalis*.

Propositio VII[a]. — *Celebre argumentum adversariorum, (de essentia legis est ut obligare nequeat nisi promulgata; atqui declaratio legis dubiæ est nova et vera lex; ergo sine promulgatione obligare nequit,) omni prorsus robore caret.* — Nam 1° certum non est (ut superiori capite probavimus) promulgationem ad legis essentiam pertinere. Imo contrarium potius tenendum ibidem ostendimus.

2° Assertio hæc, *dubiæ legis declaratio est nova et vera lex*, etsi in quodam minus proprio sensu vera sit, in rigoroso tamen sensu falsa est. Nimirum,

Primo, repugnat declarationem legis propriedictam esse propriedictam legem. Nam lex est essentialiter actus præcipiendi; et actus præcipiendi est essentialiter actus voluntatis; quo nempe vult superior, ut subditi sui taliter agere teneantur, sub culpa, vel saltem sub pœna. Jam vero declarare seu interpretari legem dubiam, non est actus præcipiendi, neque actus voluntatis Quid enim facit qui legem

declarat seu interpretatur? Si ab ipso legislatore declaratio fiat, illa declaratio nihil aliud est quam testimonium de sensu in quo ipse verba legis intellexit. Legem nempe suam declarat legislator, quando testatur talem fuisse sensum a se intentum; quod testimonium non magis est præceptum et actus voluntatis, quam si testaretur se pridie deambulasse, aut mathesi studuisse. Quod si agatur de interpretatione seu declaratione legis, ab aliis quam a legislatore facta, declaratio est merus actus intellectus, quo quis judicat talem esse verum sensum verborum, quæ in aliqua lege dubia reperiuntur. Ut autem magis pateat excludi a mera declaratione dictum actum voluntatis legi essentialem, sit in exemplum legislator, qui legem tulit, et postea revocavit. Ipsum adeo, et rogo ut faveat mihi declarare in quo sensu verba hujus suæ legis intellexerit: et respondet se in tali sensu verba illa intellexisse. Hoc responso, veram et proprie dictam declarationem facit: et tamen non vult idipsum quod declarat; siquidem, ex hypothesi, legem revocavit. Equidem dum legem dubiam declarat legislator, potest simul denuo exprimere voluntatem subditos obligandi, seu denuo id quod jam præcepit, præcipere: sed tunc duo interveniunt distincti actus; declarandi nempe, et legem urgendi: et posterior actus essentialiter a priori differt. Item fieri potest ut legislator legem dubiam ita interpretetur, ut non testetur dumtaxat in quo sensu legem illam intellexerit, sed ut velit eam obligare in novo sensu, quem in ferenda lege non intenderat. At tunc proprie non declarat legem, sed illam mutat. Unde revera impossibile est ut simplex seu proprie dicta legis declaratio sit vera lex in stricto et proprio sensu.

Secundo, potest tamen legis dubiæ declaratio legislatoris auctoritate facta dici nova lex, in quodam lato et improprio sensu; nimirum eo sensu quod tollat ignorantiam, ob quam excusabantur subditi a legis dubiæ observatione. Nam ante declarationem, lex (utpote dubia) non obligabat sub culpa; quia ignorabatur an revera in tali sensu existeret. Declaratio

vero hanc ignorantiam tollit quoad eos omnes qui declarationem cognoscunt, et sic in causa est cur subditi incipiant obligari sub culpa ad servandam legem. Quatenus ergo hunc effectum secum trahit, improprie dici potest quasi nova lex; et revera dici solet, ei *vim legis* inesse : qua locutione et nos utemur : non quod ipsa sit lex, sed quia facit ut lex dubia, cujus efficacia ex parte suspendebatur, jam totam suam efficaciam exerat.

Tertio, supponunt adversarii legem dubiam omni prorsus efficacia carere, et perinde esse ac si non existeret : unde fidenter concludunt, legis dubiæ declarationem, auctoritate principis factam, esse *novam et veram legem*. At falsum est ejusmodi suppositum. Nam lex dubia, etiam ante declarationem, vim habet quoad validitatem vel nullitatem actuum. Jam supra in exemplum adduximus legem ecclesiasticam, de qua controvertatur an certam aliquam matrimoniorum speciem irritet : si declaretur matrimonia hæc fuisse et esse vi hujus legis irrita, pro irritis ab omnibus haberi debebunt. Fuerunt tamen contracta ante declarationem : ergo eorum nullitatem produxit, non ipsa declaratio, sed lex dubia, quamvis adhuc esset dubia seu non declarata. Ergo falsum est legem dubiam omni prorsus efficacia carere, et nulli legi æquivalere. Quod autem lex dubia non obliget ad culpam et sæpe ad pœnam, id commune habet cum lege clarissima et promulgata. Nam et hæc potest a multis ignorari; et ignorantes non obligat ad culpam et pœnam. Sicut autem ignoratio sola ratio est cur lex clara et promulgata ipsius violatores excuset a culpa, ita ignoratio veri sensus legis dubiæ sola ratio est cur illa lex non obliget in sensu controverso.

Quarto. Ergo revera undequaque ruit palmare adversariorum argumentum : *Nulla lex sine promulgatione obligare potest; atqui declaratio legis dubiæ est nova et vera lex; ergo*. Major enim ad minus incerta est. Minor autem in stricto sensu intellecta omnino negatur : in lato et improprio sensu, con-

ceditur declarationem legis dubiæ dici posse *quasi novam legem ;* sed negatur hanc improprie dictæ legis speciem promulgatione indigere, ut vim habeat.

Hinc omnino sibi fucum fecisse videtur modernus scriptor, qui dictum argumentum sic evolvit :

« D'après le principe, *lex dubia non obligat*, dès qu'une loi « est douteuse, elle cesse d'être une loi, puisqu'il n'y a plus « d'obligation, et qu'il est de l'essence d'une loi d'obliger. « Dès lors la déclaration qui survient est elle-même une « nouvelle loi, et est par conséquent soumise aux conditions « de la loi. La chose nous paraît si claire, qu'il nous semble « qu'on ne peut la contredire sinon en rejetant le principe, « *lex dubia non obligat*. Car pourquoi, quand la loi est douteuse noblige-t-elle pas? Parce quelle n'est pas suffisamment « promulguée : car ce qu'on entend par loi n'est pas le papier sur lequel la loi est écrite, mais ce que dit ce papier, « le sens en un mot de la loi. Or, quand une loi est douteuse, « le sens peut-il en être dit promulgué? Certainement non, « puisqu'il est obscur, douteux. Il est donc clair qu'à moins « qu'on ne promulgue ce sens, il ne pourra jamais être dit « promulgué. Or, une déclaration non promulguée peut-elle « promulguer ce sens? Evidemment non. Il faut donc dire « qu'à moins qu'on ne promulgue cette déclaration, elle ne « pourra jamais donner à la loi une force obligatoire. Et d'où « viendrait cette force à la déclaration? Serait-ce de ce « qu'elle émane du législateur? Mais la loi a la même source, « et cependant sans promulgation elle n'oblige pas. Serait-« ce de la loi? Mais celle-ci n'a aucune force, vu qu'elle est « douteuse. Comment dès lors pourrait-elle en communiquer « à la déclaration? Où donc la déclaration irait-elle puiser « sa force obligatoire? » (Ita in opere periodico *Mélanges théologiques*, 1re série 1847—1848, pag. 70, editionis 1851).

CAPUT IV.

CONCLUDITUR DECLARATIONES S. CONGREGATIONIS CONCILII VIM LEGIS UNIVERSALIS HABERE, QUAMVIS NON PROMULGENTUR.

Quælibet legum dubiarum declarationes, legislatoris auctoritate factæ, vim universaliter obligandi habent quin promulgentur : atqui declarationes Sacræ Congregationis Concilii fiunt auctoritate supremi Ecclesiæ legislatoris, id est, Summi Pontificis : ergo vim legis universalis habent, licet non promulgatæ.

Major probata fuit superiori capite. Unde probanda manet solummodo minor ; id est, collatam revera fuisse dictæ Congregationi potestatem decreta Tridentina interpretandi, Summi Pontificis auctoritate ac nomine ; ita ut ejusmodi interpretationes non sint mere doctrinales, seu doctorum privatorum et privata auctoritate factæ ; sed Pontificiam auctoritatem habeant, non secus ac si ab ipsomet Summo Pontifice fierent. Id autem probat Fagnanus (ad caput *Quoniam*, *de Constitutionibus*, n. 8 et seq.) hisce rationibus :

« 1° Cum facultas Concilium Tridentinum interpretandi « sit sedi Apostolicæ reservata, per Constitutionem Pii IV, « initio relatam ; et Sixtus V in sua Constitutione hanc inter- « pretandi facultatem ipsi Congregationi impertitus fuerit ; « jam Congregatio in his decretis interpretandis, non sua, « sed Papæ utitur auctoritate. Nam quotiescumque Papa « tribuit aliquam facultatem alteri, qui eam prius non habe- « bat, tunc auctoritas illa intelligitur esse Apostolica... Ideo- « que S. Congregatio multoties inscribitur, *Tridentini Concilii*, « *Sanctissimi Domini Nostri* auctoritate, seu *Apostolica aucto-* « *ritate*, *interpres*... Ad idem est textus formalis, qui clare « hanc sententiam probat (in lege 1 codicis, *de Veteri jure* « *enucl.*). Nam ibi Justinianus prohibet ne ad suum codicem « edantur commentaria ; sicut Pius IV sua Constitutione pro- « hibuit ad decreta Tridentini Concilii. Et in paragrapho *his*

« *itaque collectis,* dicit (idem Justinianus) prudentibus inter-
« pretandarum legum auctoritatem sacratissimos principes
« tribuisse; quemadmodum illam Sixtus V attribuit Congre-
« gationi. Demum in paragrapho *sed neque*, imperator declarat
« prudentum interpretationes habere legis auctoritatem,
« *tanquam si eorum studia ex principalibus Constitutionibus pro-*
« *fecta, et a nostro divino fuerint ore profusa.* Et mox reddit
« rationem : *Quia merito omnia nostra facimus quibus auctori-*
« *tatem impartimur*...

« 2° Sixtus V dat facultatem Congregationi Concilium in-
« terpretandi, adjectis verbis, *Nobis tamen consultis :* at hu-
« jusmodi verba supervacanea essent, si Congregationis in-
« terpretatio non haberet legis auctoritatem : neque enim
« est opus ut, cum magistri aut judices interpretantur ca-
« nones aut leges, ante interpretationem consulant princi-
« pem... Dicendum est igitur, idcirco Pontificem voluisse
« prius se consuli a Congregatione, ut illius declarationes
« majorem acciperent roboris firmitatem ex Pontificia con-
« sultatione, et jus facerent quoad omnes...

« 3° Constitutio eadem (*nempe Sixti V*) agit primo de au-
« thoritate interpretandi dubia quæ pertinent ad fidei dog-
« mata; et hanc Pontifex sibi reservat. Deinde agit de aucto-
« ritate interpretandi dubia quæ spectant ad morum refor-
« mationem, disciplinam ac moderationem, et ecclesiastica
« judicia; et hanc Sacræ Congregationi impartitur. Sed au-
« ctoritas interpretandi, quam in primo casu Papa sibi re-
« servat, est Apostolica, et facit jus quoad omnes...; ergo et
« auctoritas interpretandi, quam in secundo casu tribuit
« Congregationi... Et confirmatur, quia exceptio Apostolicæ
« auctoritatis interpretandi dubia ad fidem pertinentia, quam
« Papa sibi reservat, declarat regulam secundæ auctoritatis
« interpretandi dubia ad reformationem spectantia, quam tri-
« buit Congregationi, esse similiter intelligendam de aucto-
« ritate Apostolica. Nam, ut inquit Baldus..., de natura ex-
« ceptionis est ut eximat se a genere, et declaret prædicata

« generis esse debere ejusdem qualitatis cum exceptione...

« 4° In declarationibus a Sixto V ut supra editis statuitur, « ut quæ pertinent ad reformationem, a Congregatione pro « justitia et æquitate *decernantur*. Verbum autem *decernere* « necessitatem inducit... Et quamvis in strictiori significatione « referatur ad novæ legis editionem, tamen se compatitur « cum verbo *declarare*, et in sui latitudine aptum est impor- « tare etiam legis jam editæ declarationem. Textus est in « capite *Constitutionem*, ibi: *Declarantes decernimus* (*de Sententia « excomm.* in 6). Et propterea Sacræ Congregationis resolu- « tiones etiam *decreta* aliquando appellari consueverunt...

« 5° Sub eadem oratione et verborum structura, tam in « eadem Sixti Constitutione, quam in aliis litteris Apostolicis, « eadem Congregatio passim dicitur assumpta seu præfecta « decretis Tridentini Concilii *interpretandis* et *exequendis*. Sed « auctoritas exequendi inducit quoad omnes parendi neces- « sitatem (ut patet in Constitutione Pii IV, in qua pro Con- « cilii executione tribuitur Congregationi amplissima aucto- « ritas procedendi pœnis et censuris ecclesiasticis, etiam « usque ad officiorum privationem) : ergo et auctoritas inter- « pretandi...

« 6° Facultates quæ in eadem Sixti Constitutione, et in de- « clarationibus postea editis conceduntur Sacræ Congrega- « tioni, omnes inducunt necessitatem : veluti, præcipiendi « ut provincialia Concilia ex omnibus mundi partibus ad eam « referantur, illaque recognoscendi et emendandi, atque in « usum inducendi... Item promovendi reformationem cleri « et populi, nedum in Urbe et statu ecclesiastico, sed etiam « in universo christiano orbe : atque aliæ, quæ ibi recensen- « tur. Ergo idem dicendum de interpretandi facultate. Uni- « formis enim debet esse cujuslibet auctoritatis intellectus.

« 7° Ex litteris in forma Brevis Gregorii XIV, quarum ini- « tio meminimus, Sacra Congregatio auctoritatem habet scri- « bendi *nomine Papæ :* ergo ambigendum non est, quin ejus « rescripta censeantur Papalia et Apostolica. »

Cum ergo Sacræ Congregationis Concilii Cardinales Tridentinas leges interpretentur, non tanquam doctores privati, aut tanquam tribunal jurisdictionem habens ad particulare aliquod territorium restrictam, sed auctoritate Apostolica et quoad totum christianum orbem, omnino fatendum est ejusmodi declarationes de iis esse quæ *legislatoris auctoritate* ac nomine fiunt. Aliunde, ex præcedenti capite, legum dubiarum declarationes legislatoris auctoritate factæ, vim legis universalis habent, licet non promulgatæ: ergo Sacræ Congregationis Concilii declarationes, etiam non promulgatæ, universaliter obligatoriæ sunt.

CAPUT V.

DE CONDITIONIBUS QUAS MULTI AUCTORES REQUIRUNT, UT SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII DECLARATIONES NON PROMULGATÆ VIM LEGIS UNIVERSALIS HABEANT.

Propositio I[a]. — *Qui dictis declarationibus vim legis universalis vindicant, solent ad id tres conditiones requirere.* — Requirunt nempe 1° ut declarationes emanatæ sint consulto Summo Pontifice, eo quod Sixtus V hanc restrictivam clausulam apposuerit, *Nobis tamen consultis:* 2° ut sint *comprehensivæ*, seu meræ interpretationes jam existentium legum; non autem *extensivæ*, id est, novum jus inducentes, aliquid Tridentinis decretis addendo vel demendo: 3° ut producantur in forma authentica, id est, a secretario subscriptæ et consueto sigillo obsignatæ. Ita Zamboni, Fagnanus, et alii, jam supra citati (capite 1, quæstione 3).

Propositio II[a]. — *Ut verum sit, dictis declarationibus inesse vim legis universalis, necesse non est ut addatur restrictio ista: dummodo sint comprehensivæ, et non extensivæ.* — Nam vox *declaratio*, per se, et nisi aliquid addatur, intelligenda est in suo proprio sensu: porro legum declarationes *extensivæ*, non sunt proprie declarationes, sed legum immutationes; si qui-

dem non sunt meræ interpretationes, sed ipsammet legem aliqua ex parte mutant: nisi enim legem mutarent, non essent extensivæ, sed comprehensivæ. Ergo declarationes proprie dictæ non aliæ sunt quam comprehensivæ. Ergo dum simpliciter dicitur Sacræ Congregationis declarationibus inesse vim legis universalis, id intelligitur de comprehensivis; ac proinde inutiliter adderetur conditio, *dummodo sint comprehensivæ.*

Propositio III[a]. — *Ut verum sit inesse dictis declarationibus vim legis universalis, necesse hodie non est ut addatur conditio ista: dummodo edantur Papa consulto.* — Nam 1° ex supra relatis a Fagnano, Gregorius XIV S. Congregationi Concilii potestatem contulit decreta edendi Summi Pontificis nomine et auctoritate. Ergo etiamsi fierent declarationes non consulto Papa, haberent nihilominus Pontificiam auctoritatem. Nimirum restrictio *Nobis tamen consultis,* quam apposuerat Sixtus V, censenda est sublata per præfatas Gregorii XIV litteras, quibus absque ulla restrictione eidem Congregationi facta est facultas decreta edendi Pontificio nomine. Unde hodie vera est assertio hæc, *inest Sacræ Congregationis Concilii declarationibus vis legis universalis,* quin addatur limitatio, *dummodo fiant Papa consulto.* De quo sic adnotat Zamboni (in *Supplemento præfationis*, ad calcem ultimi voluminis, editi Romæ 1816, pagina 89): « Gregorius XIV Sacræ Congregationi de« dit auctoritatem scribendi nomine Papæ: ergo rescripta « ejus censenda sunt *Papalia* et *Apostolica* (capite *Cum aliqui*« *bus, de Rescriptis,* in 6; et capite *Hi qui, de Præbendis*, in 6). « Et confirmat praxis: nam, teste Garcia (*de Beneficiis,* tomo 1, « in præfatione), hæc Sacra Congregatio sic rescripsit cuidam « Abbatissæ Messanensi: *Eadem ratio habenda est in his quæ « scribuntur a Cordinalibus Sacræ Congregationis Concilii Tri« dentini, nomine ipsius Congregationis, ac si a Papa scripta es« sent.* Idem animadvertit Pignatelli (tomo 9, consultatione « 174, n. 10), inquiens de dicta Sacra Congregatione Conci« lii: *Quæ licet, ex eadem Constitutione Sixti V, non habeat fa« cultatem condendi leges, vel faciendi declarationes quæ vim*

« *legis habeant, ultra illius* (1) *præscriptum, quando tamen illas*
« *condit, credendum est eas condere cum expressa vel tacita li-*
« *centia Summi Pontificis: ac proinde omnes declarationes vim*
« *legis Pontificiæ habere. Ideoque ex usu Curiæ, pro illis exe-*
« *quendis Summus Pontifex Breve concedit, et auditor Cameræ*
« *monitorium; et a Sacra Rota recipiuntur tanquam leges Ponti-*
« *ficiæ sine ulla controversia.*

2° Sacræ Congregationis praxis est, quoties agitur de dubiis nondum decisis, ut declarationes non edat nisi prius consulto Summo Pontifice. Quod sic testatur Fagnanus, qui longo tempore fuit eidem Congregationi a secretis: « Quoties-
« cumque emergentia dubia nondum decisa resolvuntur, ad
« præscriptum Constitutionis Sixti V de omnibus consuevit
« fieri relatio Papæ a Cardinali præfecto vel a secretario
« Congregationis, ut ipse diu observavi; licet id in declara-
« tionibus exprimi nec opus sit, nec semper soleat. » (ad caput *Quoniam*, *de Constitutionibus*, n. 35). Ergo conditio hæc, *dummodo fiant consulto Papa*, de facto semper expletur. Ergo, etiamsi declarationes vim legis universalis non haberent nisi sub illa conditione, inutile foret eam exprimere, dum hisce declarationibus vis legis universalis adscribitur. Sed, ut diximus, etiamsi fieret declaratio non consulto Papa, vim legis universalis haberet.

Propositio IV^a^. — *Ut verum sit, inesse dictis declarationibus vim legis universalis, necesse non est ut addatur conditio hæc: dummodo producantur in forma authentica, hoc est, a secretario subscriptæ et consueto sigillo munitæ.* — Ad hujusce conclusionis probationem procedemus hoc ordine: 1° exponemus quid Sedes Apostolica disposuerit quoad declarationes, quæ non producuntur in forma authentica: 2° probabimus declarationes de quibus certo constat, licet non exhibeantur cum subscriptione Secretarii et sigillo, vim legis universalis habere:

(1) Intellige, *ultra præscriptum Summi Pontificis.*

3° concludemus non necessarium esse ut apponatur dicta conditio, *dummodo producantur in forma authentica.*

I. *Quid Pontificia auctoritate statutum fuerit.* — Ab anno 1718 edi cœperunt decisiones S. Congregationis Concilii, in collectione quæ *Thesaurus resolutionum* inscribitur. Antea non imprimebantur ob quasdam temporum illorum circumstantias, ut asserit Fagnanus, adnotans : « Falsum esse quod vul-« gus credit, Sacram Congregationem idcirco non permit-« tere ut suæ decisiones imprimantur, ne impediatur illas « revocare pro rerum ac temporum diversitate, neve appa-« reat illarum contratrietas. Etenim hæc impressionis prohi-« bitio alias habet altiores ac rationabiles causas, quas hic « recensere non oportet. » (Ad caput *Quoniam, de Constitutionibus,* n. 58). Cum ergo tunc temporis nulla extaret dictarum declarationum collectio, cum ipsiusmet S. Congregationis assensu edita, privati scriptores quas noverant decisiones ipsimet adnotabant et in suis scriptis allegabant. Hinc contigit, ut plurimæ circumferrentur, sive manuscriptæ, sive impressæ declarationes, aut etiam declarationum collectiones, in quibus multa reperiebantur mutila, falsa et conficta. Quem abusum ut resecaret S. Congregatio, « de mandato Gregorii XV, « die 27 aprilis 1621, decrevit hujusmodi declarationes in-« dici librorum prohibitorum esse adjiciendas. Ac subinde « eadem hæc Congregatio, jussu Urbani VIII (1) anno 1631, « præcepit hujusmodi declarationibus, tam impressis et im-« primendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in judicio « vel extra illud a quoquam adhibendam ; sed tantum illis, « quæ in authentica forma, solito sigillo et subscriptione Car-« dinalis præfecti et secretarii ejusdem Congregationis mu-« nitæ fuerint. » (Zamboni, in *Supplemento præfationis*, ad calcem ultimi voluminis, editi Romæ 1816, pag. 90).

II. *Declarationes, quas constat esse genuinas, vim legis universalis habent, quamvis non exhibeantur in forma authentica.* — Huic

(1) Decreto incipiente ***Cum sacra***, 2 augusti 1631.

conclusioni primo intuito obstare videntur duo memorata decreta Gregorii XV et Urbani VIII. Non tamen obstant. Etenim,

1° Decretum Gregorii XV intellectum est dumtaxat de suspectis et apocryphis declarationum collectionibus. Has indici librorum prohibitorum esse adjiciendas statuit laudatus Pontifex : et revera unam ex istis collectionibus in *indice* reperimus, decreto 6 junii 1621 confixam (verbo *Declarationes*). At non ideo sibi prohibitum existimarunt doctores, varias in scriptis suis declarationes allegare, prout eorum opera testantur. Sane Fagnanus, Lambertinus (postea Benedictus XIV), et cæteri quilibet probatissimi canonistæ ac theologi, perpetuo S. Congregationis declarationes adducunt, iisque nituntur; nec ideo unquam cogitatum est de proscribendis eorum scriptis.

2° Majorem difficultatem facere videtur decretum Urbani VIII, quo prohibetur ne fides adhibeatur dictis declarationibus, sive in judicio sive extra judicium, nisi exhibeantur cum præfatis subscriptione et sigillo. Posset enim quis inde concludere, nihili esse faciendas declarationes, in forma authentica non exhibitas, quantumvis de earum veritate, per testimonium scriptorum fide dignissimorum, constet. At non esse cum hoc rigore intelligendum illud decretum admonent doctores communiter, de quo sic Schmalzgrueber (*Dissertatio proœmialis*, § 9, n. 386) : « Hoc decreti rigore non obstante, « Sanchez.. Salas.. Diana.. Fagnanus.., et alii doctores plerique, declarationibus, quæ a privatis sed probatis autoribus referuntur., sicque de vitio aliquo suspectæ non sint, « haud ægre deferunt ; et aiunt ab illis sine gravi ratione in « praxi non recedendum ; partim quia Romanæ aliæque curiæ ecclesiasticæ contra eas non solent pronuntiare, partim « vero quia credunt eas ex ipsis originalibus aut alio principio authentico depromptas esse ; ex qua ratione ipsi etiam « decreto, jussu Urbani VIII edito, fidem habent. »

Item Fagnanus (ad caput *Quoniam*, de *Constitutionibus*,

n. 59) : « Quinimo, ut inquit Salas.., recte facit judex, qui de-
« clarationes S. Congregationis, quas invenerit apud aliquem
« probatum auctorem, ut veras habuerit et sequatur, etiamsi
« nec a parte allegentur nec producantur : adjiciens, *in foro*
« *conscientiæ teneri unumquemque eas sequi, si de illis sufficien-*
« *tem notitiam habuerit.* »

Eamdem doctrinam reperies apud Leurenium *(Forum ecclesiasticum,* tomo 1, *Quæstiones præliminares,* quæst. 24) ; apud Zamboni (loco supra citato, pag. 91) et alios quamplurimos.

3° Decretum Urbani VIII, hodie saltem, non prohibet fidem adhiberi declarationibus, etsi in forma authentica non productis, quas genuinas esse certo constat aliunde ; verbi gratia ex eo quod reperiantur in *Thesauro resolutionum,* et citentur a pluribus doctoribus fide dignissimis (veluti a Benedicto XIV, Fagnano et similibus), præsertim si testentur se eas ex regestis authenticis excripsisse. Nam cessante fine legis, cessat lex : porro Urbani VIII decretum latum fuit contra suspectas illas mutilas et falsas declarationes, quæ tunc temporis circumferebantur, et in variis collectionibus insertæ fuerant. Unde finis hujusce decreti fuit, quamplurimas impedire deceptiones, quæ ex hisce spuriis collectionibus facile oriri poterant. Atvero id periculi jamdudum desiit. Nam declarationes ab anno 1718 emanatæ, habentur collectæ in *Thesauro resolutionum,* qui Romæ, assentiente Sacra Congregatione, editur; et hoc ipso moraliter certum est, eas non esse apocryphas nec confictas. Item anteriorum declarationum ingens numerus, in eodem *Thesauro* per modum citationis reproductæ sunt ; et insuper quamplurimæ, a multis gravissimis scriptoribus, fide dignissimis, post accuratas de ipsarum veritate investigationes, pro genuinis agnitæ sunt. Unde hodie certo constat, in toto orbe christiano, quamplurimas et majoris momenti declarationes prorsus sinceras esse. Ergo non adest quoad ipsas dictum deceptionis periculum. Ergo, etiamsi olim decreto Urbani VIII prohibitum fuisset, ne fides adhiberetur iis etiam declarationibus de quarum sinceritate certo constaret, nisi in forma authentica ha-

berentur (in quo tamen sensu, ut dictum est, hoc decretum non fuit a doctoribus intellectum), at hodie saltem in hoc sensu urgere desiisset. Unde tandem, quoad declarationes, de quarum sinceritate constat, idem hodie sentiendum est, ac si dictum decretum non prodiisset.

5° Ergo ut verum sit inesse S. Congregationis Concilii declarationibus vim legis universalis, necesse non est ud addatur conditio hæc, *dummato habeantur a secretario subscriptæ et consueto sigillo munitæ*. Nam conditio hæc requireretur dumtaxat ob dictum Urbani VIII decretum : atqui, ex dictis, ob illud decretum non requiritur ; sed sufficit ut certo constet de ejusmodi declarationum sinceritate.

Propositio V^a^.— *Ut vera sit hæc assertio,* S. Congregationis Concilii declarationibus inest vis legis universalis, *necesse non est ut addatur conditio ista : dummodo eas esse genuinas certo constet.* — Nam quando asseritur, legibus Pontificiis esse ab omnibus fidelibus parendum, non additur, *dummodo de ipsis certo constet* : id enim semper subauditur, ac proinde inutiliter adderetur. Porro idem est de assertione, *S. Congregationis declarationes universaliter obligatoriæ sunt.* Intelligitur de sinceris et certis declarationibus, non de confictis aut dubiis.

Unde tandem simpliciter vera est propositio hæc : *S. Congregationis declarationes vim legis universalis habent ;* nec opus est ut per modum limitationis addantur illæ conditiones, de quibus sub præsenti capite disseruimus.

CAPUT VI.

INESSE DECLARATIONIBUS S. CONGREGATIONIS CONCILII VIM LEGIS UNIVERSALIS, AUCTORITATIBUS CONFIRMATUR.

I. Confirmatur ex gravitate et numero scriptorum qui doctrinam hanc defendunt. — Habetur nempe doctrina illa tanquam certissima, non a paucis et obscuris, sed a quamplurimis et primi

subsellii doctoribus ; prout videri potest in dissertatione Zamboni, ad calcem ultimi ipsius voluminis edita.

Ab ejusmodi citationibus, brevitatis causa, hic abstinemus. Unam tamen aut alteram subjicimus, ut perspiciat lector defendi a præfatis auctoribus doctrinam illam, non tanquam meram et liberam opinionem, sed tanquam obligatoriam et omnino in praxi sequendam.

Diœcesis suæ Bononiensis parochos, obligationem pro populo diebus festivis celebrandi certam non esse contendentes, sic redarguit Prosper Lambertini (postea Benedictus XIV) : « Ita disputant, velut Apostolica Sedes de his antea non aperte « judicaverit, et Sacræ Congregationis (quæ sola Tridentinum « Concilium interpretari potest) decreta, eo quod promul- « gata non fuerint, universos minime complectantur, vel « forum externum solum respiciant, aut etiam internum, si « tamen in lucem aspectumque publicum proferantur. His « rationibus aliisque *nullius momenti*, sententiam suam prædi- « cant ac tuentur. » (institutione 10, n. 1). Has nullius momenti rationes postea confutat in hunc modum: « Neque illæ « excusationis causæ admittuntur quas superius attulimus, « nempe Sacræ Congregationis decretis legem minime induci; « et sine culpa violari, cum promulgari non consueverint. « Nam cum lex aliqua jam palam innotuit, necesse non est ut « eodem pacto reliquæ sanctiones publice divulgentur quibus « eadem lex magis declaratur. Cum vero illam legem indi- « cant qui, non modo auctoritate præditi sunt, sed etiam soli « possunt Tridentinum Concilium explicare, ideo utrumque « forum jure complectitur. Item supervacaneum est ad eam « rationem confugere, hujusmodi decreta ad illos solum per- « tinere, pro quibus constituta sunt. Nam licet id non se- « mel contingat, ea tamen de quibus sermo est ad universos « referuntur, licet viri alicujus singularis gratia emanaverint, « quia ad explicandum magisque intelligendum Concilium con- « fecta fuerunt » (ibidem n. 6). Circa morem Sacræ Congregationis, ad emanata jam sua decreta persæpe remittendi, sic

adnotat : « Observandum est prioris temporis decreta a Sa-
« cra Congregatione in medium proferri ; ex quo facile com-
« probatur ad universos ipsa spectare, licet aliquorum so-
« lum gratia prodierint, eo quod Concilii Tridentini intelli-
« gentiam et explicationem præ se ferant » (ibidem, n. 8.)

Idem Benedictus XIV (institutione 80, n. 17) loquens de quibusdam Sacræ Congregationis Concilii declarationibus, sic habet : « Licet pro eventu aliquo peculiari pronuntiatæ fuerint,
« plurimi tamen faciendæ sunt, *legemque indicunt*, dum men-
« tem Concilii interpretantur. »

Monacellus, in suo *Formulario legali* (parte 2, titulo 16, formula 2, n. 18) de S. Congregatione Concilii sic loquitur : « Ad
« quam privatine pertinet jus Concilium interpretandi, et
« obligandi subditos Ecclesiæ ad observantiam suarum decla-
« rationum in utroque foro : quia, cum fiant auctoritate a
« Papa Cardinalibus tradita interpretandi Concilium.., eorum
« decreta non differunt a lege declarata... ; et ideo non sunt
« novæ leges, sed ipsæ leges Concilii, prius obscuræ et dubiæ
« aut male intellectæ. »

Inter alios quos citat et sequitur Zamboni (in *Supplemento præfationis*, ad calcem ultimi voluminis, pag. 115) sic habet Ridolphinus (*Praxis judiciaria*, parte 1, capite 7, n. 83) : « Declarationes autem Sacræ Congregationis Concilii sunt
« decisivæ, et habent vim legis universalis.. ; et cum sint
« factæ ab habente potestatem et facultatem a Summo Pon-
« tifice, ab eo factæ censentur ; et faciunt jus quoad omnes,
« prout ipsimet canones.. ; et ligant tam in foro fori quam
« in foro poli, etiamsi non sint publicatæ ; et sufficit eas
« allegare ad instar juris communis. »

Et tandem communis canonistarum praxis e quæstionem tanquam terminatam habere, quando adducere potuerunt S. Congregationis declarationes eam decidentes.

II. *Confirmatur auctoritate Sacræ Rotæ :* « Rota Romana, in-
« quit Zamboni, Sacræ Congregationis Concilii declarationes
« absque ulla oppositione vel ambiguitate reverenter recipit

« atque omnimode observat; et etiam ipsas suas decisiones « rejicit, quando in contrarium adsunt declarationes Sacræ « Congregationis » (in *Supplemento præfationis*, in fine ultimi voluminis, pag. 97). Id probat Zamboni multis adductis textibus. Nimirum pro certo tenet Rotæ tribunal inesse vim legis universalis dictis declarationibus, licet non promulgatis. Et hanc esse Sacræ Rotæ doctrinam et praxim negat nullus. Jam vero pluris facienda est hujusce tribunalis, quam ingentissimi privatorum doctorum numeri auctoritas.

III. *Confirmatur veteris juris Romani auctoritate.* — Sic habetur in corpore juris Justinianæi (*Institutionum*, libro 1, titulo 2, § 8): « Responsa Prudentium, sunt sententiæ et opiniones « eorum quibus permissum erat de jure respondere. Nam anti- « quitus constitutum erat ut essent qui jura publice interpre- « tarentur, quibus a Cæsare jus respondendi datum est, qui « jurisconsulti appellabantur : quorum omnium sententiæ et « opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere a « responsis eorum non liceret, ut est constitutum. » Ejusmodi *Prudentum* responsa seu declarationes non promulgabantur, et tamen vim legis habebant. Fuit nempe is Prudentum cœtus, relative ad legum dubiarum interpretationem, id ipsum quod est hodie Sacra Congregatio Concilii relative ad interpretationem Tridentinorum decretorum. Legum interpretationem sibi reservaverant imperatores ; et expresse prohibuit Justinianus ne quis in leges suas commentarios ederet : idem sancivit quoad Tridentina decreta Pius IV. Dictam Potestatem interpretandi *Prudentium* cœtui contulerunt Cæsares : pariter et Sixtus V Sacræ Congregationi Concilii. Quod autem potuerint Cæsares vim legis annectere hujusmodi Prudentium responsis, ita perpetuo fuit omnibus persuasum, ut nullus reperiatur, qui hoc in dubium vocaverit. Illa autem generalis persuasio tota sua auctoritate confirmat, vim legis etiam habere S. Congregationis Concilii Cardinalium declarationes, licet non promulgatas ; cum eos sedes Apostolica constituerit ad interpretandas, Pontificia auctoritate, Tridentinas leges. Sane

si hodie imperator Napoleo III ejusmodi jurisconsultorum cœtum instituerat, decernens ut vim haberent leges juxta sensum ab isto cœtu semel declaratum, licet non promulgatum, num auderent gallicani theologi contrarium tenere, et legem in sensu declarato violare, aut docere legem in eo sensu declarato haud esse obligatoriam, ex ea ratione quod istæ declarationes legum more non promulgentur ?

IV. *Confirmatur ex praxi sacrarum Congregationum et Sedis Apostolicæ.*—1° Agit Apostolica Sedes, agunt Sacræ Congregationes perinde ac si omnino certum foret, inesse dictis declarationibus vim universalis legis. Id nonnullis exemplis ostendamus :

Primo. Controvertebatur olim inter doctores, an possit Episcopus dispensare cum bigamo pro susceptione sacrorum ordinum, et an Episcopus ita dispensans et ordinans, incurrat censuras. Sacra Congregatio Concilii declaravit Episcopo hanc dispensandi facultatem non competere. Contigit sub Sixto V ut quidam Episcopus, non obstante S. Congregationis declaratione, cum bigamo dispensaret, eique primam tonsuram et beneficium conferret. Causa ad sacram Congregationem delata, « quamvis, ut ait Fagnanus, Congregatio niteretur eum « excusare (tum quia pœna suspensionis a jure imposita non « videtur latæ sententiæ, sed ferendæ ; tum quia super hoc « articulo primarios inter doctores maxime dissidetur) tamen « Sixtus V in Consistorio respondit, significandum Episcopo « ipsum esse suspensum a collatione ordinum ; item promotum incidisse in pœnas; *juxta declarationem Congregationis.* » (ad caput *Quoniam, de Constitutionibus).* Ergo existimavit Sixtus V, post declarationem Sacræ Congregationis, etsi non promulgatam, obligare legem *juxta sensum declaratum.*

Secundo. Ex capite 7 sessionis 23 Tridentinæ Synodi, Episcopo sacras ordinationes facturo injungitur ut « ordinandorum « *genus*, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam « et fidem diligenter investiget et examinet. » Inde orta inter doctores controversia, an ex hac obligatione examinandi

ordinandorum *genus*, sequeretur posse aut debere Episcopum ordinandis, a judaica vel hæretica stirpe oriundis, ordinationem denegare. Declaravit Sacra Congregatio Concilii, prout refert Clemens VIII, in sua Constitutione *Cum ex injuncto*, 6 octobris 1593 (in Bullario editionis Coquelines, tomo, 5, pag. 464), « Quod... Episcopus.., eos qui originem a Judæis du-« cunt, quique ab hæreticis descendunt,per paternam lineam « nimirum ultra secundum, et per maternam ultra primum « gradum, ab ordinatione excludere minime deberet. » Non obstante illa Sacræ Congregationis decisione, Pacensis Episcopus eos qui a judæis vel hæreticis originem trahebant ordinare renuebat. Eum Sacræ Congregationis nomine litteris commonuit Cardinalis Matheius, de præfata declaratione, utque eidem declarationi suam agendi rationem accomodaret. At hisce litteris morem non gessit Pacensis Præsul. Tunc eum severe redarguit Clemens VIII, dicta Constitutione *Cum ex injuncto*, in qua sic habetur : « Tu nihilominus litteris et « ordinationi Congregationis hujusmodi, quod quidem moleste « tulimus,adhuc minime paruisti. Proinde Nos... Fraternitati « tuæ, per præsentes, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub « indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis districte « præcipimus et mandamus, ut *juxta dictæ Congregationis sen-« tentiam*... supradictas personas quascumque ab hæreticis « per paternam lineam ultra secundum, et per maternam « ultra primum gradum, vel a judæis originem trahentes.., « a sacris ordinibus in posterum minime excludas. » Ergo Sacra Congregatio Concilii et summus Pontifex persuasum habuerunt, inesse ejusdem Congregationis declarationibus vim universaliter obligatoriam.

Tertio, « etsi de jure communi Episcopus possit accipere « procurationem, etiam cum visitat ecclesias et loca pia *suæ* « *civitatis*..., tamen Sacra Congregatio resolvit Episcopo id « non licere post decretum (Tridentinum) capitis 3, sessionis « 24, licet verbis Concilii non adeo clare id exprimatur. Eos « vero qui in casu prædicto... procurationem exigere præ-

« sumpserunt, non modo Sacra Congregatio acriter corripuit, « atque ad restitutionem ejus quod indedite acceperunt « coegit, sed Sanctissimus aliquando etiam dupli pœna mulc- « tavit... Ad quam quidem restitutionem adacti sunt etiam « Episcopi, qui contra declarationem Sacræ Congregationis, « prætextu consuetudinis, mulctas pecuniarias sibi aut suis « officialibus applicarunt; et tamen ea consuetudo nullibi « reperitur expresse sublata a Concilio. » (Fagnanus, ad caput *Quoniam, de Constitutionibus*, n. 27).

Diligenter attendat lector ad Sacræ Congregationis et Sedis Apostolicæ praxim, quam ibi testatur Fagnanus; et quæ potest aliis verbis sic exponi: de jure communi ante Tridentinam Synodum liberum erat Episcopo, civitatis episcopalis ecclesias et loca pia visitanti, subsidium illud exigere, quod *procurationem* canonistæ vocant. Celebrato Tridentino Concilio, in quæstionem vocatum est, an dictum jus Episcopi sublatum fuisset necne, per caput 3 sessionis 24. Clara non erant Tridentini decreti verba, et dissidebant doctores. Declaravit Sacra Congregatio dictum jus fuisse sublatum ; id est, nullam posse ab Episcopo exigi procurationem, quando civitatis episcopalis loca visitat. Nihilominus perrexunt nonnulli Episcopi procurationem in isto casu exigere. Quid tum egit Sacra Congregatio? Quid Sedes Apostolica? Sane si declaratio fuisset dumtaxat doctrinalis et vim obligandi non habuisset, non debuerunt isti Episcopi corripi et puniri. Nam in hypothesi quod declaratio eos non ligaret, neque ligabantur Tridentino decreto, ut pote dubio et controverso; et consequenter legitime adhuc utebantur jure communi antea vigente. Et tamen eos S. Congregatio acriter corripuit, et Sedes Apostolica severe punivit. Ergo tanquam omnino certum habuerunt S. Congregatio et Sedes Apostolica, obligatoriam fuisse declarationem, etsi more legum non promulgatam. Item controvertebatur inter doctores, an titulo consuetudinis liceret Episcopo in suos aut officialium suorum usus mulctas pecuniarias convertere : emanarunt S. Congregationis responsa, quibus declarabatur id

non licere : quibus non obstantibus, nonnulli Episcopi, suarum diœceseon consuetudine freti, dictas pecunias ex mulctis provenientes sibi aut suis officialibus applicarunt. Si obligatoriæ non fuissent dictæ declarationes, hi Episcopi absque aperta injustitia puniri non potuissent : et tamen ad dupli restitutionem adacti sunt. Ergo de vi obligatoria dictarum declarationum, etsi non promulgatarum, et licet pro casibus particularibus de more emanatarum, ne vel minimum dubitarunt S. Congregatio et Sedes Apostolica.

Quarto, « Episcopus ultra montes, in vim capitis 12 sessionis 24, pronuntiavit irritam esse collationem canonicatus (nullum sacrum ordinem annexum habentis) in collegiata ecclesia, eo quod provisus non exegisset annum vigesimum ætatis suæ : idque contra resolutionem Sacræ Congregationis, quæ declaravit, Concilium in dicto capite 12 nihil disposuisse circa ætatem ad obtinendos canonicatus in ecclesiis collegiatis. Quæsitum est an sententia Episcopi sustineatur, ex eo quod ipse habuerit ignorantiam invincibilem prædictæ declarationis. Et manifestum est non sustineri ; quia si licuit Episcopo ignorare declarationem non publicatam, non tamen licuit ignorare decretum Concilii, quod etiam ante congregationis declarationem ita erat intelligendum ; cum declaratio non faciat aliquid novi. Et ignorantia potuit quidem excusare a pœna, sed non validare actum nullum... Quinimo Sixtus V non excusavit a pœna suspensionis Episcopum, qui ignorans declarationem Congregationis, dispensavit cum bigamo ad primam tonsuram, ut dictum est supra. Quod si in decretis Concilii aliquid obscurius dictum videatur, non tamen propterea ab illius observantia quisquam excusatur, cum super eo possit ac debeat Sedem Apostolicam consulere, ut cavetur in Constitutione Pii IV. Certum est enim ignorantiam juris dubii non excusare, cum consuli possunt peritiores. » (Fagnanus, ad caput *Quoniam, de Constitutionibus*, n.48).

Quinto, juvat etiam aliquot exempla quoad S. Congregationis Rituum declarationes subnectere. Nam sicut Sacræ

Congregationi Concilii collata est potestas decreta Tridentina interpretandi, sic commissum est S. Rituum congregationi ut rubricas aliasque dubias de sacris ritibus leges declararet. Unde ad ostendendam Romanæ Curiæ praxim,æque valent ex utraque Congregatione desumpta exempla. Porro dubium non est quin S. Congregatio Rituum suas declarationes, etsi in casibus particularibus et absque promulgatione emanatas, habeat tanquam universaliter obligatorias. Id contra doctorem Nilles, in collectione *Revue théologique* (2e série pag. 636) quidam nuper probabat in hunc modum :

« Manière de faire de la Congrégation elle-même, juge assu-
« rément très-naturel (M. Nilles le reconnaît) de sa propre
« compétence : après qu'elle a donné sur un point quelconque
« quelques réponses, si l'on vient à la consulter de nouveau,
« elle renvoie à ses décrets déjà rendus comme à la règle,
« *serventur decreta*. Elle en recommande l'observation, non
« seulement à ceux auquels ils ont été adressés, mais à tous
« les diocèses... Si l'on s'en écarte, elle s'en plaint comme
« d'une transgression blamable. Donnons quelques exemples
« entre mille que nous pourrions citer. »

Ibi subnectit citatus auctor declarationem *in Alexanensi* 7 septembris 1658, et declarationem *in una Dalmatiarum*, 4 augusti 1663 ; quibus Sacra Congregatio respondet, non esse deferendam stolam extra sacramentorum administrationem. Tum ita prosequitur : « En 1816 les archiprêtres et les curés
« du territoire de l'abbaye de Farfa avaient l'habitude de
« porter l'étole en chantant les offices. En le faisant, ils vio-
« laient la règle portée par les décrets que nous venons de
« citer. Selon les principes de la dissertation (de M. Nilles)
« ils eussent assurément pu dire que c'étaient là des décisions
« rendues pour résoudre des questions ayant surgi dans des
« diocèses étrangers ; qu'ils avaient eux une coutume invé-
« térée dont ils n'avaient pas à s'écarter, jusqu'à ce qu'une
« déclaration spéciale les soumît à ce régime. Et toutefois la
« Sacrée Congrégation accepte si peu ce système, qu'elle

« reproche aux curés de Farfa de n'avoir pas obtempéré aux « décrets *in Alexanensi* et *in una Dalmatiarum*. Voici les pa- « roles de la Sacrée Congrégation : Cum non obstantibus « S. Rituum Congregationis decretis pluries editis, et signan- « ter in una Alexanensi, diei 7 septembris 1658, et Dalma- « tiarum diei 4 augusti 1663, quibus cavebatur ne hebdo- « madarii, archipresbyteri aliique uti possent stola in canen- « dis divinis officiis, sed tantum in sacramentorum confec- « tione et administratione, eidem S. Congregationi innotuerit « hujusmodi abusum et viguisse et in præsens adhuc vigere « penes archipresbyteros et parochos abbatiæ *nullius* Far- « fensis ; eadem Sacra Congregatio... declaravit, stolam non « esse adhibendam præterquam in collatione et confectione « sacramentorum ; ideoque consuetudinem in contrarium esse « abusum, per locorum Ordinarios omnino eliminandum. Die « 7 septembris 1816. » Alia ibidem subnectuntur similia exempla. Ergo revera existimant S. Congregationes Concilii et Rituum, suis declarationibus, etsi non promulgatis, inesse vim quoad omnes obligatoriam ; et idem existimat Sedes Apostolica ; et juxta illam persuasionem invaluit praxis Romanæ Curiæ. Jam vero,

2° Stylus seu praxis Romanæ Curiæ facit jus, prout admittunt communiter doctores ; inter quos Schmalzgrueber adnotat (dissertione proœmiali, n. 384) in hunc modum : « Uni- « formitas responsorum ac sententiarum super eodem articulo « sæpius et uniformiter redditarum, inducit stylum et pra- « xim curiæ : stylus autem et praxis Curiæ jus facit, capite « *Quam gravi*, 6 *de Crimine falsi*. »

CAPUT VII.

CONCLUDITUR HODIE PROBABILEM NON ESSE NEC IN PRAXI TUTAM SENTENTIAM, QUÆ S. CONGREGATIONIS CONCILII DECLARATIONIBUS VIM LEGIS UNIVERSALIS DENEGAT.

I. Non negamus dictam sententiam a multis et gravibus doctoribus habitam fuisse tanquam probabilem. Item fatemur, ex hujusmodi doctorum auctoritate revera probabilem opinionem illam aliquando fuisse ; quandiu scilicet certa et certo nota non fuit contraria Curiæ Romanæ et Sedis Apostolicæ praxis. Atvero,

II. Quando in duas sententias oppositas abeunt doctores, et superveniens Sedis Apostolicæ auctoritas, vel expresso decreto, vel certa et constanti praxi sua, unam aperte reprobat, jam desinit probabilis esse illa sententia, et pro falsa est ab omnibus habenda. Id porro contigit quoad opinionem, quæ S. Congregationis Concilii declarationibus vim legis denegabat. Nimirum certa jamdudum est praxis Sacrarum Congregationum Concilii et Rituum, qua suas declarationes, etsi non promulgatas, et quoad casus particulares editas, tanquam vim legis universalis habentes urgent, et eos redarguunt, qui hisce declarationibus non obtemperant. Atque ita S. Congregationes agunt, non privata, sed Apostolica auctoritate. Etsi ergo Sedes Apostolica dictam opinionem expressa definitione nondum reprobaverit, eam tamen praxi sua sufficienter reprobavit ; ut adeo non videatur hodie, etiam tanquam probabilis, sustineri posse ; quamvis excusandi sint antiqui ipsius defensores, utpote qui dictam praxim haud satis perpenderunt, vel forte satis notam non habuerunt. Ipse etiam sanctus Ligorius primum opinionem illam *probabilem* asseruerat ; id ipsi persuadente sat magno, quem libros volvens reperiebat, ei adhærentium doctorum numero. At postea, re melius perpensa (prout supra, capite 1, quæstione 4, retu-

limus), docuit, præfatis declarationibus *obstringi omnes fideles*, dummodo fuerint divulgatæ, *usu plurium, vel relatione auctorum communiter ipsas referentium*. Quibus verbis recidit in sententiam quam defendimus; eorum nempe qui simpliciter asserunt, *inesse dictis declarationibus vim legis universalis*. Nam id semper intelligitur de solis declarationibus quæ revera a Sacra Congregatione pronuntiatæ sunt, seu quas certo constat esse genuinas et sinceras, non autem de quibus dubium est an sint fictæ vel truncatæ : porro ut ita certo constet, non sufficit declarationem referri ab unico privato scriptore, ut patet. Cæterum quocumque modo certo constet aliquam declarationem genuinam ac sinceram esse, dummodo *certo constet*, non videtur cur non sit cum sancto Ligorio concludendum, illa *obstringi fideles omnes ;* id est, eos omnes fideles qui certam de hujusmodi declaratione notitiam habent. Cur enim tenet sanctus Ligorius obstringi me aliqua declaratione, *usu plurium vel relatione auctorum communiter eam referentium divulgata ?* Ideo sane quia tunc mihi certo constat revera ita declarasse Sacram Congregationem. At ratio ista tota urget, etiamsi alio modo dictam certitudinem acquisiverim; verbi gratia, si propriis oculis eam in regesto authentico legerim; vel copiam secretarii subscriptione et consueto sigillo munitam præ manibus habuerim. Nec dicatur intelligendum esse citatum sancti Ligorii locum eo sensu quod requirat *promulgationem*, quamvis pro sufficienti promulgatione habeat dictam *divulgationem* ex usu plurium, vel ex relatione auctorum communiter referentium : nam citatio declarationis alicujus, a multis privatis auctoribus facta, nunquam erit promulgatio. Unde, si requiratur promulgatio, nunquam sufficiens erit communis citatio a pluribus privatis auctoribus facta. Sin vero sufficiat communis privatorum auctorum citatio, non est cur non sufficiat quicumque modus, quo certo constet genuinam et sinceram esse declarationem.

Cæterum, si rem habeamus cum Gallicanis, non plus ab ipsis postulabimus, quam exigit sanctus Ligorius : nimirum ut

tanquam universaliter obligatorias habeant S. Congregationis declarationes, quæ *relatione auctorum communiter ipsas referentium* fuerunt divulgatæ. Etenim declarationes quæ contra Gallicanos urgeri solent, hanc conditionem habent; nec in probationem adducuntur, nisi citatis simul auctoribus multis eas referentibus. Unde si expositam sancti Ligorii doctrinam recipiant Gallicani, negotium ipsis non facessemus.

III. Ex dictis sub præsenti capite, facile colliget lector nonnihil esse corrigendum, ex iis quæ de eadem quæstione disserui, in meo tractatu *de Principiis* (parte 2, sectione 5, capite 2, editionis primæ). Etsi enim ibi de sententia dictis declarationibus vim legis denegante dixerim, eam *nulla solida ratione fundari*, attamen concessi sententiam illam de iis esse opinionibus, quæ *licite* in scholis catholicis defendi possunt. Hoc ultimum nunc, re melius perpensa, asserere non audeo. Quamvis nempe olim licita hæc opinio fuerit, at hodie, ob expositam Sacrarum Congregationum et Sedis Apostolicæ certam praxim, quæ eidem opinioni palam adversatur, videtur sententia illa omni jam probabilitate destituta, et prorsus deserenda.

CAPUT VIII.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1ª. — Si declarationes Sacrarum Congregationum vim legis haberent, leges in immensum crescerent: qua legum farragine obrueretur, non juvaretur Ecclesia.

Respondetur: Declarationes non sunt novæ leges, sed interpretationes illarum legum, de quarum ambiguo sensu oriuntur lites et controversiæ. Porro nedum nocivum, utile ac necessarium Ecclesiæ est, ut de medio tollantur controversiæ ac dubia circa legum sensum. Et quamvis declarationes illæ sint numero quamplurimæ, dictum utilitatis scopum attingunt. Canonistæ siquidem eas circa unamquamque materiam investigant et pro regula in exponendis sacris disciplinis assu-

munt; et sic jamdudum de medio sublatæ sunt quamplurimæ controversiæ ac lites; quæ, seclusis dictis declarationibus, perpetuo recurrissent, non sine multiplici ecclesiarum detrimento. Unde prorsus absona est objectio illa, quam validissimam existimavit, spuria sua et Gallicanissima doctrina conspicuus, Gibert.

Objectio 2ª. — Nunquam subditis suis principes concedunt leges ferendi potestatem : ergo nec Sedes Apostolica censenda est Sacræ Congregationi facultatem fecisse declarationes edendi, quæ vim legis habeant.

Respondetur : Non agitur de potestate condendi leges, sed eas interpretandi : porro antiquitus in imperio romano ejusmodi potestas nonnullis jurisperitis, quos *prudentes* vocabant, collata est : et eorum interpretationes vim legis habebant. Unde absque exemplo non est a subditis fieri legum dubiarum interpretationes, quæ vim legis habeant.

Objectio 3ª. — Nulla affertur Pontificia Constitutio qua expresse dicatur, Sacris Congregationibus collatam esse potestatem edendi declarationes *quæ vim legis habeant ;* ergo censenda est Sedes Apostolica Congregationes instituisse, ut *doctrinales* dumtaxat declarationes ederent.

Respondetur : Constitutio Sixti V dictam potestatem Sacræ Congregationi clare confert. Quamvis enim expressis terminis non dicat ejusmodi interpretationes vim legis habituras, id tamen ex contextu invicte colligitur, prout supra probatum est. Et idem confirmat Sedis Apostolicæ praxis.

Objectio 4ª. — Si voluisset Apostolica Sedes S. Congregationi potestatem conferre obligatorias declarationes edendi, videns rem inter doctores controverti, eam controversiam decreto aliquo definivisset : atqui e contra patienter tulit utramque opinionem in scholis defendi; ergo signum est noluisse Sedem Apostolicam Sacræ Congregationi committere ut declarationes obligatorias ederet.

Respondeo : 1º Retorqueo argumentum : Si voluisset Apostolica Sedes S. Congregationi dumtaxat committere ut doc-

trinales declarationes ederet, videns contrariam sententiam a multis doctoribus defendi, eique aptari S. Congregationis praxim, aliqua definitione opinionem hanc proscripsisset: atqui patienter tulit utramque sententiam doceri in scholis : ergo.

2° Sedes Apostolica justis de causis quandoque abstinet a proscribenda statim opinione erronea, licet videat illam a multis doctoribus recipi. Quod patet ex condemnatione plurium opinionum, quæ diu in scholis defendi permissæ sunt, et vere probabiles fuere, antequam Summi Pontifices eas proscripsissent.

3° Opinionem de qua hic agimus (nimirum mere doctrinales, et non obligatorias, esse S. Congregationis delarationes), sua agendi ratione, idest, Romanæ Curiæ praxi, aperte reprobavit Sedes Apostolica, ut probavimus. Et hoc satis est ad adimendam illi opinioni quamlibet probabilitatem, quamvis nondum accesserit expressa condemnatio.

Objectio 5ª. — De essentia legis est ut obligare nequeat nisi promulgetur; atqui declarationes legum dubiarum sunt novæ leges; ergo absque promulgatione obligare nequeunt.

Respondetur : Objectionem illam supra, capite 2 et 3 jam confutavimus. Nimirum, quod de essentia legis sit promulgatio, non est certum, sed controvertitur. Falsum autem omnino est, declarationes non posse universaliter obligare nisi promulgentur. Et tandem falsum est, eas esse novas leges in proprio et rigoroso sensu.

Objectio 6ª. — Vis legis quæ declarationi tribuitur, vel provenit ab ipsamet declaratione, vel a lege declarata : si prius, ergo declaratio est vera lex : si posterius, ergo falso dicitur ipsi *vim legis in esse*.

Respondetur : Quando dicimus *declarationes habere vim legis,* intelligimus *leges obligare in sensu declarato,* et nihil aliud. Unde objectio hæc futilis est. De quo sic adnotavit Fagnanus (ad caput *Quoniam, de Constitutionibus*) : « Quod si dicas... « obligationem non oriri ex eo quod ita Sacra Congregatio « declaraverit, sed ex eo quod ita Concilium disposuerit,

« fateor ita esse; quia declarationes intrinsece insunt Concilio,
« et obligatio ex Concilio ipso proficiscitur, ut late ostensum
« est supra... In hoc tamen consistit differentia, quod cum
« post declarationem super aliquo articulo editam, jus quod
« ex eo decreto oritur dicatur clarum, ejus ignorantia am-
« plius allegari non potest, sicut aliquando allegari potuisset
« ante ipsam declarationem. Manifestum est enim ignoran-
« tiam juris dubii ac difficilis intellectu in aliquibus casibus
« excusare... Et propterea male intelligens legem canonicam
« non peccat mortaliter, nisi post declaratam ejus obscuri-
« tatem. »

Objectio 7ª. — Absonum foret Sacræ Congregationi donum infallibilitatis tribuere : atqui tamen deberet esse infallibilis ut ejus declarationes vim legis haberent. Nam, ex concessis, obligatio non proficiscitur ab ipsa declaratione, sed a lege : lex autem non obligat nisi in vero suo sensu, id est, in sensu quem in mente habuit legislator : ergo ut obligatoria sit declaratio, necesse est ut semper et infallibiliter verum legis sensum a legislatore intentum declaret : si enim non adsit quoad hoc infallibilitas, semper aderit dubium an sensus declaratus cum vero sensu legis consentiat; et proinde lex (utpote adhuc dubia in sensu declarato) nequaquam juxta hunc sensum obligare poterit.

Respondetur : In legibus dubiis, prout supra ostensum est, intervenit duplicis legislatoris voluntas : humani scilicet, et Dei. Equidem contingere potest ut legislator humanus velit suam legem obligare in sensu diverso ab eo, qui a legitima auctoritate postea declarabitur : at, in hoc casu, quia societatis bonum requirit, ut leges obligent juxta sensum per legitimam auctoritatem declaratum, vult Deus ut lex illa dubia vim habeat, non juxta legislatoris humani sensum, sed juxta sensum postea declarandum. Unde tunc Deus irritat legem in sensu ab humano legislatore intento, et illam firmat in sensu qui postea declarabitur. Nec dicatur gratuito asseri hunc Dei interventum. Nam talem interventum asserere nihil aliud

est quam asserere hocce juris naturalis principium : *Vult Deus ut leges dubiæ possint a legitima auctoritate declarari, et obligent in sensu declarato.* Si enim talis sit voluntas Dei, sequitur ab initio vim habere legem juxta sensum postea declarandum, utpote a Deo supremo legislatore intentum ; non autem juxta sensum legislatoris humani, si forte diversum intenderit. Et similis Dei interventus admittendus est in casu legis pravæ : vult quidem tunc legislator humanus legem suam intrinsece pravam obligare : at eam simul irritat Dei voluntas, seu, quod idem est, jus naturale. In casu autem legis dubiæ, supplet Deus dicto modo, propter commune societatis bonum ; firmat nempe legem juxta sensum postea declarandum ; siquidem vult ut tales declarationes obligatoriæ sint, et etiam ut actus declarationi anteriores validi sint vel irriti, prout tales declarabuntur. Hoc autem prænotato, sic objectionem diluimus :

Ut declaratio obligaret, deberet esse infallibilis quoad verum legis sensum, distinguo : deberet infallibiliter declarare sensum a legislatore humano intentum, nego : deberet infallibiliter declarare sensum in quo Deus vult legem obligare, concedo. Jam vero hæc posterior infallibilitas, nedum absona sit, non potest non admitti ; siquidem, ex hypothesi, semper verum est velle Deum ut lex vim habeat in sensu qui declaratur. Unde infallibilitas hæc improprie dicta stat potius ex parte Dei : vult nempe infallibiliter Deus ut lex dubia vim habeat juxta sensum a legitima auctoritate declaratum ; ex quo rigorose sequitur semper et infallibiliter a legitima auctoritate declarari sensum, in quo Deus vult legem vim habere : hæc enim duo correlativa sunt. Unde subditis curandum non est, an declaratio attigerit necne verum legis sensum ; quia quicumque sit sensus a legitima auctoritate declaratus, hoc ipso, ex vi juris naturalis, est sensus in quo lex vim habet.

Objectio 8ª. — Sacra Congregatio declarationes suas novis declarationibus contrariis sæpe corrigit : porro id probat falsum esse fundamentum expositum videlicet : legem certo et infallibiliter obligare, et ab initio vim habuisse, in sensu de-

clarato : nam absurdum est eamdem legem obligare juxta declarationes contradictorias.

Respondetur : 1° « Falsam et commentitiam esse hanc multi-« plicem declarationum repugnantiam ; quandoquidem spatio « quindecim fere annorum, quo fuimus Sacræ Congrega-« tioni Concilii a secretis, nunquam contigit, ut Congre-« gatio ex deliberatione retractaverit ullam resolutionem « prius editam. Nec anteactis temporibus, in scripturis et li-« bris publicis usquam reperi, eam ex proposito recessisse a « decisis, nisi in duobus casibus » (Fagnanus, ad caput *Quoniam, de Constitutionibus*, n. 56). Loquitur ibi Fagnanus de solis decisionibus quibus Tridentinorum decretorum sensus declaratur ; de quibus solis et nos in præsenti disceptatione agimus. Quod enim decisiones factum respicientes (quas etiam sæpe Sacra Congregatio edit), ex obtentis novis documentis et informationibus, mutet et retractet, nihil facit ad quæstionem.

2° Admisso etiam casu duplicis contradictoriæ decisionis, circa ejusdem Tridentini textus sensum, nihil absurdi sequitur, prout probavimus supra (capite 3, prop. 5 et 6).

Nota. Aliæ nonnullæ objectiones videri possunt apud Zamboni, ad calcem ultimi voluminis.

SECTIO II.

De auctoritate declarationum S. Congregationis Rituum.

1° Statum quæstionis exponemus : 2° concludemus declarationes seu decreta, quæ respiciunt jus commune (non autem jus particulare seu privilegiatum alicujus personæ vel loci), vim legis universalis habere, licet non promulgentur, et quamvis occasione casuum particularium edantur : 3° expendemus novam quamdam opinionem a doctore Nilles nuper propugnatam.

CAPUT I.

STATUS QUÆSTIONIS EXPONITUR.

Propositio I[a]. — *Sacræ Rituum Congregationis Cardinalibus ab Apostolica Sede collata est potestas interpretandi rubricas, aliasque leges quæ ritus sacros respiciunt.* — Colligitur ex sæpe citata Constitutione *Immensa* Sixti V, præsertim ex istis verbis : « Cæterasque in hujusmodi Sacris Ritibus et cœremoniis inci- « dentes difficultates cognoscant, summarie terminent et com- « ponant. » Et quod revera ejusmodi potestate donata fuerit dicta Congregatio, extra controversiam est. Imo et ex eadem Sixti V Constitutione ipsi competit *legislativa* potestas ; siquidem procurare debent ut *cœremoniæ si exoleverint restituantur, si depravatæ fuerint reformentur ; libros de Sacris Ritibus et cœremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Cœremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent.*

Unde, sicut Sacræ Congregationi Concilii commissa est potestas disciplinaria Tridentinæ Synodi decreta *interpretandi*, et insuper potestas *legislativa*, qua valeat generatim de moribus et disciplina decernere; ita Sacra Rituum Congregatio potestatem accepit *interpretandi* rituales leges, et insuper potestatem *legislativam* ad statuendum de sacris ritibus et cæremoniis. Item utrique collata est *judicialis* in propria respective materia potestas, ad dirimendas particularium lites.

Hinc verum non est, quod suadere conatur dominus Nilles (*Revue théologique*, 2e serie, pag. 450 et seq.), differre Sacram Congregationem Rituum a Sacra Congregatione Concilii, in eo quod posteriori collata sit potestas leges universales seu jus commune interpretandi; non autem priori, *nisi raro admodum*, (ut ait) *atque per accidens*. Imo, sicut ad Congregationem Concilii pertinet Tridentinæ Synodi disciplinaria decreta declarare, ita ad Congregationem Rituum spectat rituales interpretari leges. Quod etiam facto patet; siquidem Gardellianam collectionem magna ex parte replent ejusmodi decreta, quibus deciditur quo sensu rubricæ aliæve rituales leges intelligendæ sint atque servandæ. Igitur fundamento caret prætensum illud inter utramque discrimen; et eadem e contra est, sub hoc respectu, utriusque Congregationis conditio.

Propositio IIa. — *Sacræ Rituum Congregationi collata est dicta potestas sine restrictione*, Papa prius consulto. — Nam 1° in Constitutione *Immensa* Sixti V, apponitur quidem restrictio *Nobis prius consultis*, ubi Sacræ Congregationi confertur facultas officia de patronis concedendi: ast in conferendis cæteris facultatibus nullam omnino restrictionem Pontifex annexuit. Et in particulari, absolute et sine ulla conditione dictæ Congregationis Cardinalibus attribuit, ut *cæteras in hujusmodi Sacris Ritibus et cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant*. Ergo revera, ut dictæ Congregationis declarationes seu decreta Pontificiam auctoritatem habeant, necesse non est ea edi, consulto prius Pontifice. Equidem praxis est ut consulatur: sed etiamsi ede-

retur decretum absque prævia tali consultatione, polleret nihilominus Apostolica auctoritate ; quia, vi citatæ Constitutionis Sixti V, ederetur ex potestate quam circa hoc ipsum S. Congregationi semel pro semper contulit Sedes Apostolica.

2° Ipsamet Sacra Congregatio id expresse declaravit (in una *ordinis Prædicatorum*, 23 maii 1846, n. 5051 editionis Gardellianæ anni 1846). Ad propositum enim, sub numero 7, hocce dubium, *An decreta a Sacra Congregatione emanata, et responsiones quæcumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editæ, eamdem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suæ*, Sacra Congregatio respondit, *affirmative*. Et notetur hancce decisionem de iis esse quæ fuerunt a Sede Apostolica expresse approbatæ et confirmatæ : sic enim in illo valde attendendo decreto habetur : « Et facta de præ-
« missis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici
« maximo per eumdem subscriptum secretarium fideli rela-
« tione, Sanctitas sua rescripta a Sacra Congregatione in om-
« nibus et singulis *approbavit confirmavitque*.

Propositio III^a^. — *Decreta in collectione Gardellini contenta, pro authenticis habenda sunt.* — Id siquidem Pii VII auctoritate decretum fuit, in hunc modum : « Cum exempla omnia
« collectionum decretorum Sacræ Rituum Congregationis de-
« fecerint, et in adornanda peroptata nova eorumdem decre-
« torum collectione operæ pretium visum fuerit ad quam-
« cumque amovendam ambiguitatem, ex variis interpretatio-
« nibus, quibus præcedentes collectiones obnoxiæ erant, non
« solum sensus ipsius Sacræ Congregationis per concisas pe-
« riodos arbitratu collectoris, ut antea factum est, exhibere,
« sed verba ipsa decretorum prout in actis authenticis in
« secretaria prælaudatæ Congregationis asservatis jacent, pro-
« ferre ; i lque studio et labore sacerdotis Aloysii Gardellini
« in Romana Curia advocati, et sanctæ fidei sub-promotoris,
« diligenter præstitum fuerit : eumque in exemplandis ipsis

« decretis, unum ex illis occurrerit, quo prohibetur eorum-
« dem decretorum evulgatio, absque memoratæ Congrega-
« tionis licentia; atque ipse advocatus Gardellini, noscens
« non tam cito cogendam fore Congregationem, ne ex hujus-
« modi dilatione incepta dictæ collectionis impressio retarde-
« tur, humillime Sanctissimo Domino Nostro Pio VII Pontifici
« maximo supplicaverit, tam pro supradicta facultate talia
« decreta evulgandi, quam pro inhibitione cuicumque typo-
« grapho eamdem collectionem edendi ad fidem faciendam
« in judiciis; ac Sanctitas sua, me infra scripto secretario re-
« ferente, preces remiserit Eminentissimo et Reverendissimo
« Domino Cardinali de Somalia, Sacræ Rituum Congregatio-
« nis Præfecto, cum omnibus facultatibus necessariis et op-
« portunis, ut sua prudentia provideret; prælaudatus Emi-
« nentissimus Præfectus, impertitis facultatibus utendo, po-
« testatem fecit oratori imprimendi in typographica officina
« Salomoniana præenarrata decreta authentica Sacræ Rituum
« Congregationis, ex publicis regestis eruta, et cum iis rite
« collata, ad formam decreti diei 4 februarii 1632, in fronte
« operis imprimendi, ita ut nemo ejus decreti ignorantia
« tueri se unquam possit: mandavitque præterea, fas esse
« nemini eadem decreta iterum cudere absque S. Rituum
« Congregationis venia, sub pœnis in superius dicto decreto
« contentis. *Voluit autem ut in judiciis et in quacumque diri-*
« *menda controversia, illorum tantummodo decretorum auctoritas*
« *valeat,* quæ in hac editione a se permissa et approbata,
« atque secretarii S. Rituum Congregationis manu subscripta
« continentur. Die 1 januarii 1808. — J. M. Cardinalis de
« Somalia Sacræ Rituum Congregationis Præfectus. — J. de
« Carpineo Sacræ Rituum Congregationis secretarius.. »

Ergo revera vim decretorum authenticorum habet editio Gardelliana anni 1808. Cum simili privilegio facta est nova editio anno 1824. Et tandem nuper prodiit, curante ac dirigente Reverendissimo Capalti, ejusdem Sacræ Congregationis secretario, collectio ultima, recentioribus usque ad annum 1856 deci-

sionibus locupletata, præfixum sibi habens decretum, quo præfatum *authenticitatis* privilegium ipsi tribuitur.

Hinc notabile intercedit inter S. Congregationem Concilii et S. Congregationem Rituum discrimen, quoad utriusque decretorum collectiones. Nam Sacræ Congregationis Concilii declarationes, anno 1718 anteriores nunquam fuerunt in publicum editæ ; ita ut hodiedum ad eas habendas recurrendum sit ad dictæ Congregationis regesta, quæ *libri decretorum* inscribuntur. Declarationes autem quæ ab anno 1718 prodierunt, etsi editæ sint in collectione, *Thesauri resolutionum* nomine designari solita (cui collectioni novum quotannis volumen accedit), nullum tamen authenticitatis privilegium sibi vindicant, ex eo quod in ista collectione contineantur. E contra S. Rituum Congregationis decisiones, hoc ipso quod in supradictis Gardellianæ collectionis editionibus reperiantur, authenticitatis vim habent, et perinde valent ac si unaquæque Cardinalis Præfecti subscriptione et S. Congregationis sigillo munita produceretur.

Unde in quæstione, an vim legis ejusmodi decisiones polleant, locum non habet quoad S. Congregationem Rituum conditio hæc, *dummodo in forma authentica producantur,* id est, a Cardinali Præfecto subscriptæ, et consueto sigillo munitæ. Sufficit enim ut in collectione Gardelliana contineantur.

Propositio IV^a^. — *S. Congregationis Rituum decreta, alia sunt formaliter generalia ; alia æquivalenter generalia ; alia particularia.* — I. Vocantur *formaliter generalia* decreta illa, quæ generalitatis formam expressis verbis continent; qualia sunt ea, quibus præmittuntur verba hæc *decretum generale*, vel quæ inscribuntur *Urbis et orbis*, vel in quibus edicitur, ita esse in *quibusvis mundi ecclesiis* servandum.

Porro nonnulla ejusmodi decreta edidit Sacra Rituum Congregatio. In indice Gardellianæ editionis anni 1856 (verbo *Decretum generale*) indicata reperies sexaginta quatuor. Juvat ex iis nonnihil subjicere, ut perspiciat lector, qua forma edi soleant.

Decretum diei 28 augusti 1628 (n. 769 editionis 1856) inscribitur *Urbis et orbis ;* quam inscriptionem etiam præ se ferunt decreta 2 octobris 1706, 25 septembris ejusdem anni, et plura alia. Decretum 8 junii 1669 inscribitur, *Urbis et orbis, dubium rubricarum.* In decreto *Urbis et orbis* 11 januarii 1681 sic habetur : *Ita ab omnibus qui Romano breviario utuntur pariformiter servari mandavit.* Decreto 20 julii 1748, hæc apponitur clausula : *Atque hoc decretum generalibus calendarii Romani rubricis adjici præcepit.* Decretum *Urbis et orbis* 12 januarii 1704, ita clauditur : « Facta deinde per me secretarium de « prædictis decretis Sanctissimo Domino Nostro relatione, « prævia eorumdem integra lectura, Sanctissimus laudavit, « benigneque approbavit, et *publicari*, et non obstantibus « quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari man- « davit. » Decretum 3 martii 1818 inscribitur, *decretum generale*, et sic clauditur : « Sanctitas sua præfatum decretum « approbavit, confirmavit, mandavitque prælo tradi, et pu- « blicis juris fieri. » Decretum *Urbis et orbis* 1773, sic habet in fine: « Sanctitas sua præfatum Sacræ Congregationis *gene-* « *rale* decretum confirmavit, et ubique executioni dandum « esse præcepit. » Ubi videtur, decreta *Urbis et orbis* inscripta, vocari *generalia*. Decretum 20 decembris 1673 inscribitur simul *Urbis et orbis* et *decretum generale*.

Quoties ergo decretum inscribitur *Urbis et orbis* vel *decretum generale*, vel habet hanc aut similem clausulam *ubique servari præcepit, formaliter generalibus* accensendum est.

II. Decreta Sacræ Congregationis Rituum dicuntur et sunt *æquivalenter generalia*, quando dubium propositum generale est (verbi gratia, si postuletur, quo sensu intelligenda sit hæc aut illa rubrica), et decisio pariter generalis emittitur (verbi gratia, si Sacra Congregatio respondeat, rubricam illam in tali sensu esse intelligendam et observandam). De quo sic Cavalieri (*Opera liturgica*, capite 6, decreto tertio capitis, n. 8) : « Decreta quæ *generalia* notantur, generalia *formaliter* sunt : « quæ vero non ita inscribuntur, generalia quidem *formaliter*

« non sunt, bene tamen *æquivalenter*, si dubium propositum « generaliter exstitit, eique non absimilis resolutio prodie- « rit; ut communis consuetudo, quæ est optima legum in- « terpres, in Ecclesia observat, dictaque interpretatur de- « creta. » Quam plurima exstant Sacræ Rituum Congregationis ejusmodi decreta *æquivalenter generalia*. E quibus sat erit pauca quædam indigitasse.

Rubrica breviarii ante festum Corporis Christi posita sic disponit : *Infra octavam Corporis Christi de simplici fit tantum commemoratio, sine nona lectione*. A quodam capitulo collegiali Nuscanæ diœcesis propositum est dubium : *An debeat legi* (nona lectio), *si dictum festum simplex concurrat cum duplici, infra eamdem octavam*. Respondit Sacra Congregatio : *Est dicenda nona lectio* (*Nuscana*, 12 septembris 1671). Ibi dubium proponitur *generaliter* : petitur nempe declaratio juris communis, non juris particularis seu privilegiati alicujus loci vel aliquarum personarum. Item decisio *generalis* est, quamvis dirigatur dumtaxat ad supradictos Nuscanæ diœcesis canonicos : nam intelligenda est decisio in sensu generali, quando nullum est in ea verbum sensus generalis restrictivum, et simul relativa est ad dubium generale, seu spectans ad jus commune : quæ duo in hacce decisione reperiuntur. Ergo decretum illud est revera *æquivalenter* generale.

Petiit quidam in Cameracensi diœcesi parochus a Sacra Congregatione declarari : « An debeant semper tres ad minus « orationes decantari, quando fit de Dominica et celebratur « missa solemniter cum diacono et subdiacono. » Responsum est : « In missis solemnibus duplicis, primæ, et secundæ classis « tantum, omittuntur aliæ orationes... 11 aprilis 1840. » Ibi pariter dubium propositum, sicut et responsum, generale est, respicitque jus commune. Proinde, quamvis causa illa inscribatur *Cameracensis*, id est, nomine illius diœcesis, et quamvis ad præfati parochi petitionem decisa fuerit, hocce tamen decretum *generale* est ; non quidem formaliter, sed æquivalenter.

Præfectus cœremoniarum cathedralis Melitensis, inter alia

dubia postulavit : « An sacerdos, quando benedicit populum « sacra pyxide, debeat illam totam cooperire extremitatibus « veli oblongi humeralis, quemadmodum jubet Rituale roma- « num in delatione viatici... » Sacra Congregatio (in *Melitensi*, 13 februarii 1839) respondit : « Deberi in benedicendo po- « pulo cum Sacra pyxide illam totam cooperiri extremitatibus « veli oblongi humeralis. » Patet ibi etiam proponi et solvi dubium ad jus commune pertinens ; ac proinde hocce decretum esse æquivalenter generale.

III. Decreta *particularia* vocantur, quæ nec formaliter nec æquivalenter generalia sunt, seu quæ non declarant jus commune, sed jus particulare alicujus loci vel aliquarum personarum. Unde particularia sunt decreta, quibus Sacra Congregatio privilegium aliquod certis locis aut personis concedit. Item particularia sunt decreta quæ declarant sensum privilegii, quo certæ personæ vel certa loca potiuntur. Item particularia sunt decreta quæ respiciunt legitimas consuetudines juri communi contrarias : si nempe dubium circa illas consuetudines proponatur, decretum erit particulare, utpote respiciens dumtaxat personas aut loca quæ istis consuetudieibus legitime utuntur. Generatim autem *particulare* est decretum quoties, sive in responso, sive in dubii expositione, sive in circumstantiis adest aliquid, quo palam fiat agi, non de jure communi, sed de jure particulari alicujus personæ vel loci, ex privilegio vel legitima consuetudine exorto. E contra pro *generali* habendum erit decretum, nisi peculiaris aliqua adsit ratio aut circumstantia, quæ illud *particulariset* (ut ait Cavalieri, tomo 1, capite 6, decreto 3, n. 4), et ultra personas vel ecclesias pro quibus emanavit protendi non sinat. Particularium ejusmodi decretorum exempla quamplurima facile reperiet lector, Gardellianam collectionem tantisper evolvendo. Unde ab iis adducendis, brevitatis causa, abstinemus.

Nota 1°. — Cur nonnulla S. Congregationis Rituum decreta inscribantur *generalia*, vel (quod idem est) *Urbis et orbis*, ita exponit Cavalieri (tomo 1, cap. 6, decreto tertio capitis, n.

10) : « Id ut plurimum evenit, quia Sacra Congregatio motu « proprio ea edidit, et non ad petitionem alicujus particu- « laris ecclesiæ ; vel si ad petitionem particularium ecclesia- « rum emanant, id unice fit ad importuna resecanda nonnul- « lorum dubia, qui, cum jam decisa haud ipsis arrideant, « continuis interrogationibus eamdem Congregationem laces- « sere nunquam desinunt : vel denique ut promulgentur, et « cunctorum notitiæ exibeantur ; qualiter non evenit in reso- « lutionibus quæ ab ecclesiis ad quarum instantias editæ « fuerunt, nomenclaturam accipiunt ; utpote quæ solum in « ecclesiis iisdem assolent promulgari : licet postea hoc minime « fiat, ut universali Ecclesiæ, quoties innotescunt, non pos- « sint, imo non debeant in regulam deservire. »

Nota 2°. — Auctores quidam S. Congregationis Rituum decreta ita distinguunt, ut ea quæ nos *æquivalenter generalia* vocavimus, ipsi sub *particularium* denominatione comprehendant ; qui loquendi modus accuratus non est, et æquivocationi obnoxius est.

Propositio V^a^. — *Controversia, an decreta Sacræ Congregationis Rituum vim legis universalis habeant, versatur dumtaxat circa decreta æquivalenter generalia ; non vero circa decreta formaliter generalia, nec circa particularia.* — 1° Non versatur controversia circa decreta *formaliter generalia*. Cum enim, ex modo transcripta Cavalieri adnotatione, hujusmodi decreta *promulgentur*, et aliunde Summi Pontificis auctoritate edantur ; nulla est ratio cur pro veris legibus non sint habenda. Hinc ipsis inesse vim legis universalis communiter admittunt doctores catholici.

2° Nec versatur controversia circa decreta *particularia*, eo sensu intellecta, quem supra exposuimus. Cum enim, ex hypothesi, decreta hæc jus commune non respiciant, sed dumtaxat jus privilegiatum seu particulare aliquarum personarum aliquorumve locorum, quod de illo particulari jure declarat aut statuit sacra Rituum Congregatio, vim universaliter obligatoriam non habet, ut per se patet. Hinc,

3° Restringitur disceptatio ad decreta *æquivalenter generalia*, id est, quæ generalia sunt quoad sensum, et jus commune declarant atque statuunt, quamvis inscribantur nomine diœcesecon aut monasteriorum, e quibus ad Sacram Congregationem directæ sunt preces, edanturque ad postulationem particularium personarum, vel occasione particularium casuum; et, nulla facta promulgatione, ad personas quæ decisionem petierunt, transmittantur.

Propositio VI[a]. — *Controversia non versatur circa decreta extensiva, sed dumtaxat circa comprehensiva.* — Jam supra exposuimus distingui solere sacrarum Congregationum declarationes, in comprehensivas et extensivas. *Comprehensivæ* illæ dicuntur, quæ declarant dumtaxat legis sensum; ita ut quod declaratur non sit novum jus, sed jus in ipsa lege jam comprehensum. *Extensivæ* autem non sunt meræ legum interpretationes; sed simul legibus addendo vel adimendo novum jus inducunt.

Jam vero doctores qui tenent Sacrarum Congregationum declarationibus non promulgatis inesse vim legis universalis, simul concedunt id esse intelligendum dumtaxat de *comprehensivis*. Quod quidem præcipue adnotant ubi agunt de Sacræ Congregationis Concilii declarationibus; sed ad aliarum etiam Congregationum declarationes extendunt, et revera extendendum est, cum eædem quoad alias Sacras Congregationes rationes id evincant. « De *extensivis*, ait Schmalzgrueber, liben-
« ter concedit sententia ista, quod vim et auctoritatem legis
« non habeant, nisi fiant ex speciali mandato Papæ et legi-
« time promulgentur. Ratio solida et perpicua est; quia...
« sunt novæ leges ecclesiasticæ. » (Dissertatio proœmialis, § 9, n. 374).

Propositio VII[a]. — *Controversia non versatur circa decreta novum aliquod jus statuentia; sed tantum circa decreta quibus jam existentium legum sensus declaratur.* — Cum Sacræ Rituum Congregationi legislativa etiam potestas competat, ut supra dictum est, potest universalem aliquam legem circa ritus edi-

cere. Potest, verbi gratia, novam rubricam breviario vel missali inserere; item aliquam rubricam abrogare, et alia hujusmodi. Tunc vero condit leges non interpretatur. Porro non versatur controversia circa decreta hujusmodi, quæ sunt novæ leges. Nam, ex præcedenti propositione, etiamsi decreta sint legum jam existentium declarativa, si tamen simul sint *extensiva* (id est, leges aliqua ex parte immutent) conceditur communiter eis non inesse vim legis universalis, *nisi rite promulgentur*. Ergo a fortiori necessaria erit promulgatio ad inducendam universalem obligationem, si non tantum leges ex parte immutent, sed prorsus novas edicant. Proinde quæstio hæc, *an vim legis universalis habeant Sacræ Congregationis Rituum decreta*, intelligitur de solis decretis quibus sensus legum declaratur; non de iis quibus *novæ leges* condúntur. Quando hujus posterioris speciei decreta edit Sacra Congregatio, ea rite promulgat; et quod ubique vim obligandi habeant ejusmodi decreta generalia et more legum promulgata, extra quæstionem est apud doctores catholicos.

Unde tandem præsens controversia de valore decretorum Sacræ Congregationis Rituum, versatur dumtaxat circa decreta *æquivalenter generalia*, et *mere declarativa* legum jam existentium.

Porro de hisce decretis exstat revera duplex sententia: prior tenet iis inesse vim legis universalis: posterior id ipsum negat; ex illa potissimum ratione, quod ejusmodi decreta more legum non promulgentur, et ad particulares dumtaxat personas dirigantur.

Cum autem hæcce decreta numero sint quamplurima, ita ut Gardellianam collectionem magna ex parte repleant, nemo non videt quanti momenti sit proposita quæstio, videlicet, an teneantur omnes ea servare tanquam obligatoriam regulam.

CAPUT II.

CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA DE QUIBUS CONTROVERSIA MOVETUR, VIM LEGIS UNIVERSALIS HABERE PRORSUS EVINCUNT RATIONES, QUIBUS IDEM QUOAD S. CONGREGATIONEM CONCILII PROBATUM EST.

Si enim rationes illæ valeant quoad S. Congregationem Concilii, valent etiam quoad Sacram Rituum Congregationem. Nam sicut prior auctoritate Apostolica interpretatur Tridentinæ Synodi disciplinaria decreta, ita posterior leges quaslibet ad sacros ritus pertinentes declarat. Ergo, si declarationes Sacræ Congregationis Concilii vim legis universalis habeant, quamvis non promulgentur, et quamvis edantur ad postulationem particularium personarum, vel occasione particularium casuum, declarationibus etiam Sacræ Congregationis Rituum simili modo factis vis eadem tribuenda erit.

Unde huc redit tota series probationum, queis usi sumus, dum quæstionem superiori sectione quoad Sacram Congregationem Concilii expendimus. Pariter eædem fere redeunt objectiones, et objectionum confutatio.

Præcipue autem attendenda est ipsiusmet S. Congregationis praxis. Nam adeo S. Congregationi persuasum est universaliter obligatoria esse decreta sua, quamvis ad particularium personarum postulationem edita et nullatenus promulgata, ut non tantum eos redarguat ad quos directa sunt, si contraveniant, sed etiam alios quoscumque cæterarum diœcesum, qui iis non obtemperant. Plura exempla jam attulimus supra (subsectione 1, capite 6, sub finem).

Jam vero quis melior judex potestatis Sacræ Rituum Congregationi collatæ, quam ipsamet Congregatio? Cum ergo ipsa sibi attribuat potestatem universaliter obligandi per dicta sua decreta, quis contrarium asserere audeat?

CAPUT III.

EXPENDITUR NOVA QUÆDAM OPINIO, A DOMINO NILLES NUPER PROPUGNATA.

De auctoritate decretorum Sacræ Congregationis Rituum scripsit nuper Dominus Nilles, haud pridem Romæ Cœremoniarii munere perfunctus, hodie vero in Germania parochus. Cujus dissertationem primum edidit, in sua publicatione periodica, *archivio* inscripta (Archiv. für Katholisches Kirchenrecht, Innsbruck 1857, fasciculis 1, 9) vir de re catholica meritissimus baro de Moy de Sons. Eam insuper reperies in publicatione periodica *Revue théologique*, (2e série, 1857, pag. 396 et seq). Nova mihi videtur, et nec vera, nec periculo vacans doctrina, quam in præfata disceptatione propugnat laudatus auctor. Quapropter visum est præcipua dicti systematis capita breviter recensere, nonnullasque adnotationes subnectere.

Adnotatio 1a. — *Rubricas in universales et particulares distinguens, haud recte particularium appellatione nominat locorum consuetudines, universalibus rubricis adversantes.* — Accurata enim non est illa de *universalibus* et *particularibus* legibus et rubricis notio. Equidem communiter recepta est apud doctores legum distinctio in universales et particulares: at per leges *particulares* intelligunt eas, quæ vel a supremo legislatore feruntur quoad aliquam tantum subditorum partem, vel a legislatore inferiore (verbi gratia Episcopo) quoad territorium sibi subjectum: non autem intelligunt privilegia aut legitimas consuetudines, quibus aliquæ personæ vel aliqua loca, eximuntur a legis universalis obligatione. Hinc Pontificiæ Constitutiones in quibus apponitur clausula, *pro Italia et insulis adjacentibus*, sunt leges *particulares;* et idem est de cæteris in quibus exprimitur eas ferri dumtaxat quoad aliquam regionem, vel aliquam fidelium partem. Quod si universalibus

terminis, seu absque dictis restrictionibus, legem edicat Summus Pontifex, lex *universalis* dicitur et est; quamvis Sedes Apostolica nonnullas personas ab ea eximat, aut contrariam alicujus regionis consuetudinem approbet. Item *particulares* sunt leges quæ a Conciliis provincialibus, vel a singulis quoad propriam diœcesim Episcopis præter jus commune feruntur. Dicimus *præter* jus commune: quia contra jus commune nihil ab ipsis valide potest decerni. Tandem *particulares* leges sunt consuetudines quæ aliquam *præter* jus commune obligationem induxerunt in aliqua dumtaxat regione, non in tota Ecclesia (1). Jus enim merito distinguitur in *scriptum* et *non scriptum*, seu consuetudine inductum. Et ubi jus scriptum silet, legem facit consuetudo, debitis vestita conditionibus.

Atvero privilegia, necnon consuetudines legitime præscriptæ, quæ universalibus adversantur legibus, proprie non sunt nec dici debent *particulares* leges; quia sese habent tanquam exemptiones seu dispensationes. Unde ulterius,

Minus recte asserit dominus Nilles sæpe contingere, ut « *particulari* quadam lege prohibeatur vel saltem permittatur, « quod *universali* præcepto præscribitur » (*Revue théologique*, 2e série, pag. 405). Quamnam ibi intelligit *particularem* legem? An a Summo Pontifice latam? At quando Summus Pontifex juri communi seu legi universali derogat quoad aliquam diœcesim aliquasve personas, hæc ipsius dispositio non dicitur lex, sed privilegium exemptionis a lege, vel dispensatio in lege. An intelligit *particularem* legem, a concilio provinciali, vel ab aliquo Episcopo latam? Sed hæc supponi nequit juri communi contraria; quia foret irrita et inane attentatum. An denique *particularem* legem intelligit consuetudinem aliquam? At si *præter* legem universalem sit, haud dici potest illi contraria: si *contra*, jam non est particularis lex, sed exemptio a lege. Cum nempe consuetudo tunc legitima non sit, nisi ex legislatoris consensu, idest, ex eo quod merito præsumatur

(1) Si in tota Ecclesia, jam *universalem*, non *particularem* legem consuetudo constitueret. Cujusmodi est, v. g., lex recitandi a clericis breviarii.

legislator in eam consentire, nihil aliud in re est quam privilegium exemptionis a lege, seu dispensatio in lege.

Adnotatio 2ª. — *Nec clare nec recte quæstionem inter doctores catholicos controversam ponit dominus Nilles.*— Sic nempe habet (*Revue théologique*, 2e série 1857, pag. 411) : « Duplex imprimis de hac (decretorum Sacræ Congregationis Rituum) « obligandi vi quæstio distingui debet : alia namque est quæstio, *utrum ista decreta in conscientia obligent*, et alia, *quousque se ejusmodi extendat obligatio*, seu (quod idem est), « *utrum ex mente Patrum ritibus tuendis præpositorum universalia semper decreta censeri debeant, an secus.* Jam vero si de responso ad prius quæsitum agatur, equidem non possum quin mirer reperiri sacerdotes posse.., quos incessere dubitatio de istiusmodi obligandi virtute quiverit.... Si vero quæratur de altera controversia, utrum scilicet ea Patribus, tuendis ritibus præpositis, mens semper insideat, ut latæ a Congregatione leges ubique locorum promulgentur, promulgatæque in usum deducantur, seu *utrum omnia omnino ab ipsis edita decreta universalia semper sint cunctosque fideles adstringant*, tunc enim vero in negantem sententiam est descendendum. »

Existimat ergo dominus Nilles hunc esse controversiæ cardinem, *utrum omnia omnino Sacræ Rituum Congregationis decreta universos fideles ligent*. Porro in hoc errat. Nullus enim est qui neget, dari decreta, quæ universaliter obligatoria non sint : illa nempe quibus Sacra Congregatio delarat jus privilegiatum seu particulare alicujus loci, vel aliquarum personarum. Supponamus, verbi gratia, ab alicujus capituli canonicis obtentum fuisse gestandæ mitræ privilegium : postea vero moveri dubium num canonicis istis liceat mitram adhibere ex tela argentea confectam, an vero ex serico dumtaxat panno : et rescribi, *Sacra Congregatio censuit*, adhibendam esse a *canonicis mitram ex serico*.Nullus profecto est qui contendat ejusmodi declarationem ad omnium cathedralium canonicos esse extendendam.

Controversia ergo vertitur dumtaxat circa decreta, quæ jus commune seu alicujus legis universalis sensum edicunt, quamvis ad alicujus privati postulationem, vel alicujus particularis litis occasione, fuerint edita. Hæcce decreta nos cum Cavaliero *æquivalenter universalia* vocavimus; ad distinctionem eorum quæ inscribuntur *Urbi et orbi,* vel *decretum generale;* et quæ *formaliter universalium* denominatione designavimus. Porro circa præfata decreta *æquivalenter universalia* extat revera controversia, an universos fideles obligent, an vero tantum eas personas aut in iis casibus pro quibus edita sunt.

Unde, si dominus Nilles quæstionem resolvisset dumtaxat juxta terminos quibus eam posuit, id est, si propugnasset solummodo, *non omnia omnino dictæ Congregationis decreta vim legis universalis habere,* acrem perbelle verberasset. At vero ex toto dissertationis contextu palam fit, veram etiam ab ipso controversiam attingi. Agit enim potissimum, etsi clare id non exprimat, de illis ipsis decretis, quæ nos *æquivalenter generalia* vocavimus, ipse autem vocat *particularia;* quibus nimirum Sacra Congregatio, ad particularium personarum postulationem, jus commune, seu rubricarum sensum declarat. Ast ipsius hac in re opinio, ut jam diximus, nova videtur, et nec vera, nec vacans periculo. De quo nunc nonnihil subjiciendum.

Adnotatio 3ª. — *Tenet dominus Nilles, ex dictis decretis æquivalenter seu quoad litteram generalibus, ea dumtaxat universaliter obligare, de quibus constat mentem Sacræ Congregationis esse, ut universaliter obligent; cæteris ligari eas solummodo personas pro quibus edita sunt.* —Hanc esse revera laudati scriptoris doctrinam tota passim ipsius dissertatio testatur. Sat erit unum aut alterum locum adduxisse :« Ex quibus nihil aliud certe « colligere est, quam quod Sacra Rituum Congregatio sua pla« cita non semper ad totam velit Ecclesiam extensa, quodque « suis legibus non semper intendat omnes sibi habere fideles « obnoxios » (*Revue théologique*, 2ᵉ série 1857, pag. 420).

Intelligit autem decreta, quæ nos *æquivalenter universalia* vocavimus; si quidem intelligit *rubricas etiam universales, si litteram spectes, Ecclesiæ a Sacra Rituum Congregatione præscriptas* (ibidem, pag. 413). Item pagina 414 : « Neque proinde pro « universalibus universamque Christi Ecclesiam ligantibus « habenda sunt cuncta omnino Sacræ Rituum Congregationis « responsa. » Et pagina 421 : « Quid ergo ineptius, quid alienum « a veritate magis, quam Congregationi eam affingere mentem, « ut omnino sua decreta ubique locorum velit promulgata? » Et pagina 423 : « Omnia omnino decreta dico : non enim « quæcumque a Congregatione profecta decreta sunt uno fasce « complector; cum ea quæ universalia esse ex Patrum mente « probantur, ubique locorum utique promulganda rite sint « et in praxim deducenda. Non ergo, quod pro semper dictum « volo, huc omnia ista responsa spectant, in quibus hæc aut « similes dictiones occurrunt; *tam in diœcesi Urbinatensi, quam* « *ubique servari voluit* (12 januarii 1669, in *Urbinatensi*) : *De-* « *cretum locum habere non solum in regnis Hispaniæ et Portu-* « *galliæ, sed etiam in quibuscumque aliis regnis et locis per totum* « *christianum orbem* (17 junii 1506 in *Elboracensi*)... Quanta « porro intercapedine dissita ista decreta ab iis sint, in qui- « bus nihil invenitur responsum præter nudum illud *affirma-* « *tive* vel *negative*, non est hic uberius enarrandum. » Hæc et similia laudati scriptoris verba si bene intellexerim, videtur ipsius doctrina sic breviter exponi posse : 1° non agit expresse de illis decretis, quæ jus privilegiatum seu particulare loci alicujus vel aliquarum personarum respiciunt, quæ nos proprie *particularia* vocavimus. 2° Agit potissimum de cæteris decretis, quæ scilicet, attenta sola eorum formula, *generalia* sunt; ac proinde agit etiam, ac potissimum de illis decretis, quæ Cavalierus *æquivalenter generalia* vocavit. 3° De hujusmodi decretis, quæ, si litteram spectes, *generalia* sunt, hanc thesim defendit : *Non omnia vim legis universalis habent.* 4° Dictis decretis, quoad litteram generalibus, tunc solummodo vim legis universalis tribuit, quando *constat de mente* Sacræ Con-

gregationis, ea obligatoria reddendi quoad universam Ecclesiam. 5° Quando non constat de istâ Sacræ Congregationis *mente*, decreta hæc, etsi quoad litteram *generalia*, obligant dumtaxat eas personas et in iis locis, pro quibus edita sunt; et ea dominus Nilles vocat *particularia*, eo sensu nempe quod universalem obligationem non inducant. 6° Ad discernendum, quando adsit, et quando non adsit dicta *mens* Sacræ Congregationis, tradit quatuor criteria, nimirum : non adest dicta *mens* Sacræ Congregationis, *primo* si decretum editum sit ob *causam peculiarem* alicujus loci vel diœcesis : *secundo* si declaratio sit relativa, non ad jus commune, seu ad rubricam universalem, sed ad jus particulare regionis seu personarum, pro quibus editur : *tertio*, si declaratio non sit *comprehensiva*, id est, mera interpretatio legis universalis; casu nempe quo declaratio sit *extensiva*, seu legem immutans, non constat de mente S. Congregationis, universaliter obligatorium reddendi decretum suum : *quarto*, si non accesserit Summi Pontificis approbatio.

Adnotatio IV[a]. — *Nova est doctrina exposita.* — Nam controversa inter doctores catholicos quæstio hæc est : An vim legis universalis habeant Sacræ Congregationis Rituum decreta, ad particularium quidem personarum postulationem, vel litium particularium occasione edita, sed quæ versantur circa sensum juris communis seu universalium legum, suntque *comprehensiva*, id est, meræ interpretationes (non autem immutationes) legum universalium jam existentium. Circa illam quæstionem extat duplex sententia : prior affirmat, hisce decretis obligari omnes qui illa norunt : posterior id ipsum negat; ex ea potissimum ratione, quod ejusmodi decreta non promulgentur, et tamen necessaria sit promulgatio, ut lex dubia universaliter obligare incipiat, juxta sensum legislatoris auctoritate declaratum.

Jam vero dominus Nilles neutram sententiam amplectitur. Non priorem, siquidem tenet dicta decreta aliquando non esse universaliter obligatoria; quando nempe non constat *de mente* Sacræ Congregationis ea universaliter obligatoria efficiendi :

non posteriorem, si quidem admittit dicta decreta, licet more legum non promulgata, aliquando esse universaliter obligatoria; quando nempe de præfata Sacræ Congregationis *mente* satis constat. Ergo ipsius systema novum est.

ADNOTATIO V^a^. — *E quatuor conditionibus, quas requirit dominus Nilles ut dicta decreta universaliter obligent, secunda et tertia inutiliter positæ sunt ; item prima et quarta non sunt necessariæ* — *Secunda* conditio, seu secundum criterium est, ut decretum versetur circa jus commune, id est, circa sensum rubricarum universalium, non autem circa jus privilegiatum seu particulare alicujus loci vel personæ. Porro supervacue conditio hæc posita est, utpote quæ extra omnem controversiam erat. Etenim controversa quæstio tota versatur circa declarationes quæ jus commune respiciunt ; et nullus unquam somniavit constringi totam Ecclesiam decreto, quo Sacræ Rituum Congregationis Patres sensum declarant privilegii, alicui personæ concessi.

Idem dicendum de *tertia* conditione. Nimirum extra controversiam est declarationes *extensivas*, seu quibus leges immutantur, egere promulgatione ut universaliter obligent, prout supra, capite primo, exposuimus.

Quarta conditio, nimirum *approbationis Pontificiæ* accessus, necessaria non est, ut decretum universaliter obliget. Nam vel agitur de approbatione tacita, vel de expressa. Porro tacita semper adest. Nam Sedes Apostolica Sacram Congregationem constituit ad dirimendas difficultates quaslibet circa ritus et cœremonias; et restrictionem *Nobis prius consultis* quoad id non apposuit ; sed apposuit tantum in facultate nova officia concedendi. Ergo hoc ipso consentit et vult Papa ut S. Congregatio dictas difficultates dirimere valeat, etiam ipso prius non consulto. Ergo decreta sic facta tacite approbat. Quod autem non requiratur *expressa* approbatio, patet ex eo quod Sedes Apostolica Sacræ Congregationi dictam facultatem contulerit *absolute*, id est, absque restrictione *prævia nostra expressa approbatione*, aut *Nobis prius consultis*.

Tandem neque merito requisivit dominus Nilles *primam*

conditionem, videlicet, ut decretum editum non fuerit ob *causam peculiarem* alicui loco vel aliquibus personis. Agitur enim de solis decretis *comprehensivis*, id est, quibus Sacra Congregatio jus commune seu legum universalium sensum declarat. Porro quantumvis Sacra Congregatio ejusmodi declarationem edat *ob causam alicui loco particularem*, declarat tamen sensum rubricæ seu legis universalis quem verum existimat. Interrogata nempe, quisnam sit sensus talis rubricæ (seu talis legis Pontificiæ ritus sacros respicientis) *non mentitur* ob causam particularem hujus vel illius loci aut personæ. Sed dum rescribit, talem rubricam in tali sensu intelligendam esse et obligare, id rescribit, quia persuasum habet talem revera esse hujus legis universalis sensum. Unde causa particularis alicui loco, movere quidem potest Sacram Congregationem ut dubium propositum solvat, imo eam movere potest ad concedendam huic loco dispensationem in lege (prout quandoque fit); at nequaquam eam movere potest ad mentiendum circa verum sensum legis universalis quam interpretatur. Ex hypothesi enim, interrogatur de vero sensu universalis legis, et ipsa respondet ad hoc quæsitum; id est, sensum declarat quem inesse huic legi universali existimat.

Aliter se res habet, quando Sacræ Congregationis decretum non est *declaratio* seu interpretatio alicujus legis universalis (puta, alicujus rubricæ Missalis aut Breviarii); sed vel actus potestatis *legislativæ*, quo aliquid circa ritus sacros, nondum a jure statutum, decernit; vel actus potestatis *judicialis*, quo litem aliquam, in materia de qua silet jus commune, dirimit. Habet quippe S. Rituum Congregatio legislativam etiam et judicialem potestatem. Quando ergo, silente jure communi quoad aliquam materiam, ipsa circa illam materiam aliquid præscribit, vim legis universalis non habebit hoc ipsius præceptum, nisi rite promulgetur; cum agatur de inducenda nova lege universali. Item, si exorta lis inter particulares personas (puta, lis aliqua de præcedentia), versetur circa materiam, de qua jus commune nihil decernit, et eam componat Sacra

Congregatio ex æquo et bono, atque attentis locorum et personarum circumstantiis, hoc ejus decretum vim legis universalis non habebit, cum non sit declaratio alicujus legis universalis jam existentis. Tota enim controversia, ut toties diximus, versatur circa ejusmodi decreta, quibus Sacra Congregatio legum jam existentium sensum *declarat* et edicit.

Adnotatio VI[a]. — *Propositionem hanc, « vim legis univer-« salis habent decreta omnia, quibus Sacra Rituum Congregatio « jus commune declarat, » nullatenus falsam probant rationes, a domino Nilles adductæ.* — Iterum bene advertat lector verum quæstionis statum : agitur de Sacræ Congregationis decretis, quibus jus *declarat* seu interpretatur, non quibus vel jus novum condit, vel lites componit aliter quam sensum legis alicujus declarando : imo non de omnibus decretis, quibus *jus declarat*, movetur quæstio ; sed de iis solis quibus declarat *jus commune*, seu sensum legum universalium ; non autem de iis quibus declarat *jus privilegiatum* alicujus loci vel alicujus personæ. De illis ergo decretis, *jus commune declarantibus*, ad postulationem privatarum personarum, vel occasione particularium casuum editis, et quæ a Cavaliero *æquivalenter generalia vocantur*, nos sic affirmamus : *Omnia illa decreta universaliter obligatoria sunt.* Id ipsum negat dominus Nilles; contendens alia ex istis decretis universaliter obligatoria esse, alia vero secus ; prout nempe Sacræ Congregationis *mens* fuit, vel non fuit, illa universaliter obligatoria efficiendi. Ut autem probet haud inesse *omnibus* ejusmodi decretis vim universaliter obligatoriam, adducit nonnulla quædam facta, quibus existimat thesis suæ veritatem plane demonstrari. At hæc ipsius argumenta robore carent.

1° Non probat usus Lateranensis ecclesiæ, dicendi tertia vice post *Agnus Dei*, verba hæc *Miserere nobis*, non autem *Dona nobis pacem*, prout habetur in Missali. Est quippe factum istud, adductum a domino Nilles (pagina 414, *Revue théologique*, 2[e] série 1857), omnino extra quæstionem. Non enim negatur legitime alicubi existere posse, ex Apostolico privilegio, con-

suetudinem alicui Sacræ Congregationis decreto, imo alicui legi universali contrariam. Ejusmodi autem privilegium exemptionis nullatenus impedit quin lex sit universaliter obligatoria, et quin pariter universaliter obligatoria sit Sacræ Congregationis declaratio ; quia hæc universalis obligatio semper intelligitur, *iis exceptis qui exemptionem a competenti auctoritate obtinuerint*. Sane si dominus Nilles a Sede Apostolica obtineret privilegium exemptionis a lege quadragesimalis jejunii, lex ista non ideo desineret dici et esse universaliter obligatoria. Quod ergo in Lateranensi basilica, tertia vice licite dicatur *miserere nobis*, provenit, vel ex privilegio Apostolico expresso, vel ex immemorabili consuetudine, quæ (de jure) privilegio Apostolico æquivalet. Unde facto isto nihil juvatur dominus Nilles ad probandum intentum suum.

2° Nec minus infauste allegat usum, Romæ et in multis aliis locis obtinentem, ut diaconus ad *trisagion* in plano maneat. Sic nempe disserit : « Generalis rubricæ præceptum est, ut « in missa solemni subdiaconus ad *Sanctus*, non immotus in « plano remaneat, sed ad celebrantem una cum diacono as- « cendat, *trisagion* dicturus. » Et ibi citat hocce decretum Sacræ Congregationis : *Consuetudines quæ sunt contra Missale Romanum, sublatæ sunt per Bullam Pii V, et dicendæ sunt potius corruptelæ quam consuetudines* (decreto 16 martii 1591). Deinde sic pergit : « Atqui non modo nullus est in Urbe subdiaconus, « qui per invectam paulatim consuetudinem oppositam dero- « gatum huic legi non existimet..., verum etiam ipsorum « Patrum sententia modo est, rubricis decretisque contrarium « usum servari legitime posse. » Et ibi citat decretum (12 novembris 1831, in una Marsorum), in quo ad quæsitum, *an tolerandus usus earum ecclesiarum in quibus subdiaconus non accedit*, Sacra Congregatio respondit : *Servetur cujuscumque loci consuetudo*. Inde autem concludi posse existimat, universaliter obligatoria non esse omnia S. Congregationis decreta, imo nec omnes generales rubricas. Porro totam illam argumentationem prorsus evertit hæc simplex adnotatio : ignoravit dominus

Nilles adesse in missali duplicem contradictoriam rubricam circa ritum de quo agitur. Equidem sub titulo *de Offertorio usque ad Canonem*, n. 11, sic habetur : *Paulo antequam dicatur Sanctus, accedunt* (diaconus et subdiaconus) *ad altare, ubi cum celebrante hinc inde dicunt Sanctus.* Ast ibidem, n. 9, sic præscribitur : « Subdiacono deinde stanti in cornu epistolæ, ponit « in dextra manu patenam... Qui (subdiaconus) vadit post « celebrantem ante medium altaris, et facta genuflexione *ibi « stat... usque ad finem orationis dominicæ.* » Non potest subdiaconus *ibi stare* usque ad finem orationis dominicæ, et simul *ascendere* ad latus celebrantis, trisagium dicturus. Erat ergo casus duplicis contradictoriæ rubricæ, quæ ambæ simul servari non poterant ; seu, quod idem est, quarum neutra obligabat. Quando enim legislator duplicem contradictoriam legem fert, perinde est ac si nullam ferret. Ergo nec consuetudo subdiaconorum in plano standi, nec sapientissima Sacræ Congregationis decisio, *servetur cujuscumque loci consuetudo,* adversa unquam fuit ulli Missalis rubricæ, *vim rubricæ habentis.* Cum nempe simul jubeatur subdiaconus *stare in plano* usque ad finem orationis dominicæ, et *ascendere* ad *sanctus,* uterque ritus ab initio, attenta sola Missalis præscriptione, æque legitimus fuit. Absit autem ut ejusmodi lapsus, quem adnotari postulabat susceptæ disceptationis ratio, debitæ domino Nilles, pro sua eruditione et ingenio, æstimationi quidquam detrahat; cum noto notius sit, in ejusmodi quæ a factis dependent disciplinis, præclarissimis etiam ac primi subsellii scriptoribus similia haud raro contingere.

3° Allegat dominus Nilles, triplici Sacræ Congregationis decreto prohibitum fuisse albæ ac stolæ usum in solemnibus vesperis ; et nihilominus Romæ, in ecclesia Patrum societatis Jesu albam et stolam in vesperis adhiberi.

Respondetur : Vel dicti Patres apostolicum quoad id privilegium habent, vel illicite agunt. De quo sic adnotatur in citata *Revue théologique* (2e série, 1857, pagina 639) : « Rien « ne nous oblige à reconnaître que la pratique de l'Église du

« Gesu fasse autorité : il y a là des abus comme ailleurs. Nous « lisons en effet ce qui suit dans les décrets de la S. Con- « grégation, sous la date du 18 septembre 1662 : *In hac Con- « gregatione propositum fuit : an ritus qui servatur à Patribus « societatis Jesu, præsertim in celebratione missarum et vesperarum « solemnium, sit conformis ritui Ecclesiæ Romanæ ?.. Et eadem « S. Congregatio commisit mihi secretario, ut ore tenus admo- « nerem Præpositum generalem Societatis Jesu, ad exhibendum « quidquid habet relevans pro fundamento sui ritus, prout admo- « nui eadem die.* On trouve ensuite la résolution suivante : « *Regulares, etiam Societatis Jesu, in missis solemnibus adhibere « debent diaconum et subdiaconum, et in vesperis sacerdotem plu- « viali indutum ; ac in reliquis tenentur exacte servare Rituale, « cæremoniale et rubricas Missalis Romani.* 5 octobris 1652, « confirmante Innocentio X, 16 decembris ejusdem anni. »

4° Allegat dominus Nilles decretum in *Angelopolitana* (Tlascala, in America Meridionali), 11 septembris 1847. Ad quæsitum nempe, *an decreta Sacræ Congregationis Rituum derogent contrariæ consuetudini, et an in casu affirmativo obligent etiam in conscientia*, Sacra Congregatio respondit : *Affirmative, sed recurrendum in particulari.* Ex eo quod Sacra Congregatio addiderit verba hæc, *sed recurrendum in particulari*, infert dominus Nilles non esse Sacræ Congregationis *mentem* ut omnia sua decreta, etsi quoad litteram generalia, universaliter obligent. Sed hæc ejus illatio legitima non est. Nam si talis foret Sacræ Congregationis mens, aperte locuta fuisset contra mentem suam, quando *affirmative* respondit ad quæstionem, *an ipsius decreta derogent contrariæ consuetudini et obligent in conscientia:* porro loqui contra mentem idem est ac mentiri. Unde in systemate quod propugnat dominus Nilles, admittendum foret mentiri Sacram Congregationem in edendis decretis suis.

At quanam ergo de causa, inquies, post suum *affirmative* apposuit Sacra Congregatio verba hæc, *sed recurrendum in particulari ?* In aprico est responsum : quandoque expedit, pro loci alicujus circumstantiis, ut ibi retineatur (ex legitima dis-

pensatione) usus aliquis, Sacræ Congregationis decisionibus contrarius, et consequenter illicitus. Vult ergo Sacra Congregatio *recurri in particulari*, ut videat num utile sit dispensationem ejusmodi concedere. Præterea, contingere potest ut tolli nequeat alicujus loci consuetudo, absque ingenti populi offensione, aut aliis gravibus detrimentis. Certum autem est legem ecclesiasticam cum gravi detrimento non obligare : atque id a fortiori verum est de Sacrarum Congregationum decretis. Vult ergo Sacra Congregatio *recurri in particulari*, ut videat num forte extent ejusmodi circumstantiæ in loco, ex quo transmissa sunt dubia.

5° Cætera similia quæ allegat dominus Nilles silentio prætermittimus, quia specialem difficultatem non habent, et datis jam rationibus diluuntur.

6° Frustra se torquet dominus Nilles ad effugiendam vim decreti 3 augusti 1839 (in Triventina), quo ipsius systema palam evertitur. Sic propositum fuerat dubium : « Ne ulterius « progrediatur abusus jam invectus in oppido..., ubi in una « eademque solemni supplicatione sanctissimi corporis Christi, « sanctissimum Eucharistiæ sacramentum defertur successive « ab Archipresbytero et parochis ; quod quidem semel atque « iterum prohibetur a decretis hujus Sacræ Rituum Congre- « gationis; utque omnia in posterum legitime procedant ; « memorati oppidi Archypresbyter pro opportuna solutione « insequentia duo dubia proposuit, nimirum :

« 1° An non obstante quacumque in contrarium consuetu- « dine intangibile sit jus celebrantis in solemnitate Sanctissimi « Corporis Christi semper per se deferendi in publica suppli- « catione Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ?

« 2° An inveterata quæcumque in contrarium consuetudo « derogare possit legi a decretis Sacræ Congregationis præ- « scriptæ ? »

Sacra Congregatio responsit : *ad primum*, *Affirmative juxta alias decreta : ad secundum negative juxta eadem decreta.*

Ibi nempe dubium generaliter propositum fuit : nimirum

postulavit dictus archipresbyter, *an sit jus celebrantis* Sanctissimum Sacramentum deferendi in dicta publica supplicatione : quæ verba aperte generalia sunt et jus commune respiciunt, nec magis unam diœcesim attingunt quam alteram : atque idem dicendum de secundo dubio. Ergo responsa Sacræ Congregationis, utpote quæ referuntur ad postulata, sunt et ipsa in generali sensu intelligenda.

Et notetur quam absonum sit Sacræ Congregationi tribuere *mentem* respondendi dumtaxat quoad casum aliquem particularem, quando, interrogata generaliter de jure communi, respondet *affirmative* vel *negative*. Sequeretur 1° Sacram Congregationem ex proposito adhibere locutionem grammaticaliter vitiosam. Nam vox *affirmative*, æquivalet ipsimet dubio sub forma affirmante posito. Verbi gratia, si interrogatus *an omnia mea debita solverim*, respondeam *affirmative*, idem est ac si responderem : *omnia mea debita solvi*. Si ergo mea *mens* sit declarare solutum a me fuisse unum tantum ex debitis meis, et respondeam, *affirmative*, planum est me perperam loqui. 2° Sequeretur Sacram Congregationem velle decipere , tum eos qui dubium proponunt, tum canonistas et theologos ad quorum notitiam declaratio hæc perveniet. Nam hi omnes verba *affirmative* ac *negative* merito intelligent, prout huc usque revera intellexerunt, juxta sensum propositi dubii, id est, in sensu generali et relative ad jus commune, quoties dubium propositum fuerit generaliter circa jus commune. 3° Imo ipsa Sacra Congregatio, ut supra variis documentis probavimus, in hoc generali sensu dicta decreta sua intelligit. Quamvis enim ejusmodi decreta ad certarum diœceseon personas directa sint, redarguit Sacra Congregatio eos etiam qui in aliis diœcesibus iisdem decretis contraveniunt.

Adnotatio VII^a^. — *Periculo non vacat præfatum systema.* — Etenim juxta illud systema, 1° liberum foret retinere in unaquaque diœcesi multas consuetudines, quas pluribus decretis suis Sacra Congregatio illegitimas et abusivas declaravit : 2° vetitum foret presbyteris, ante obtentam Ordinarii sui fa-

cultatem, dictas consuetudines a Sacra Congregatione proscriptas, deserere, et præfatis ejusdem Congregationis decisionibus obtemperare : 3° imo non semper licitum foret presbyteris ad Sedem Apostolicam recurrere, ad proponenda sua hac de re dubia. Atqui tale systema iis erroribus mihi videtur adcensendum, qui nisi coercerentur haud parum noxii esse possent.

1° Juxta dictum systema, legitime et sine scrupulo retineri possent multæ consuetudines, quas constaret a S. Rituum Congregatione pluries tanquam illicitas et abusivas fuisse proscriptas. Nam id potissimum propugnat dominus Nilles, decretum Sacræ Congregationis, etsi generale quoad litteram, si edatur ad postulationem privatæ alicujus personæ, alicujusve diœcesis, habere quidem vim legis quoad illam personam aut quoad illam diœcesim, non autem quoad diœceses alias; nisi forte constaret *de mente* Sacræ Congregationis illud edendi tanquam legem universalem. Quamplurima autem extant ejusmodi decreta, ad privatorum postulationem edita, quibus illegitimi et abusivi declarantur varii usus, quin aliter constet de mente Sacræ Congregationis universalia hæc decreta efficiendi, quam ipsamet generalitate dubii propositi, et responsi dati. Ergo, exceptis diœcesibus, a quibus respective dubia transmissa sunt, in cæteris omnibus retineri sine scrupulo possent consuetudines per ejusmodi decreta proscriptæ. De quo sic in publicatione periodica *Revue théologique* (2e série, 1857, pag. 635) : « Pour peu qu'on ait ouvert la collection authen-
« tique de ses décisions (nimirum S. Congregationis Rituum),
« on reconnaîtra que l'immense majorité, tout en répondant
« à des interrogations particulières, fournissent l'interpréta-
« tion de quelque rubrique du Missel ou du Cérémonial, ou
« classent telles ou telles pratiques parmi les abus à corri-
« ger. C'est sur cette sorte de décrets que porte la question
« vraie et sérieuse. Tandis que selon l'auteur (d. Nilles) les
« décrets de cette Congrégation ne sont ordinairement que
« des mesures destinées à pourvoir à des incidents particu-

« liers, qu'ils ne lient que ceux parmi lesquels la discussion « s'est élevée, et auxquels ils s'adressent, et non pas même « ceux chez lesquels un pareil abus serait établi, et qu'on « n'y doit reconnaître des régles générales que par exception « et quand on s'y voit forcé ; nous soutenons au contraire, « que la Congrégation des Rites, étant destinée à fournir par « la succession de ses décisions, l'interprétation authentique « des lois liturgiques ou rubriques, ses décrets ont la force « et l'étendue de ces lois elles-mêmes ; et toutes les fois « qu'aucune preuve n'avertira qu'une décision est locale, il « faudra la considérer comme une règle à suivre pour tous « ceux qui sont dans le même cas. Nous appuyons notre sen- « timent, 1° sur la pratique de tous les rubricistes, lesquels « pour déterminer le sens d'une rubrique, se fondent sur ces « sortes de décisions rendues à propos de questions particu- « lières, et en tirent leurs arguments péremptoires. Otez à « cette précieuse collection son autorité générale, tout pourra « être mis en question, et c'est bien là qu'on verra une con- « fusion digne de Babel : 2° sur la manière de faire de la « Congrégation elle-même, juge assurément très-naturel « (M. Nilles le reconnaît) de sa propre compétence. Après « qu'elle a donné sur un point quelconque quelques réponses, « si l'on vient à la consulter de nouveau, elle renvoie à ses « décrets déjà rendus comme à la règle, *serventur decreta ;* « elle en recommande l'observation, non-seulement à ceux « auxquels ils ont été adressés, mais à tous les diocèses... Si « l'on s'en écarte elle s'en plaint comme d'une transgression. » Hæc citati scriptoris verba adduximus, ut videat lector, non a me solo intelligi dictum systema, juxta sensum expositum; ita ut nimirum licitas faciat multas consuetudines, quas S. Congregatio illicitas et abusivas declaravit.

Jam vero tale systema periculo non vacat. Posset enim haud parum noxias dissensiones excitare Episcopos inter et respective subjectum ipsis clerum. Supponamus, verbi gratia, Episcopum, qui dictum a domino Nilles propugnatum systema

pro vero habens, illud in praxim quoad diœcesim suam traducere statuerit. Consequenter sibi jus tribuet jubendi ut serventur usus, quos tanquam illegitimos et corruptelas Sacra Congregatio pluries declaravit; ea scilicet fretus ratione, quod dicta decreta, non ad suam, sed ad alias diœceses directa fuerint. Aliunde autem haud deerunt in illa diœcesi presbyteri multi, qui dicta eadem S. Congregationis decreta pro obligatoriis habebunt; sicut revera habenda sunt, juxta communiter receptam a probatis doctoribus, et ab ipsamet Sacra Congregatione, doctrinam. Consequenter concludent dicti presbyteri, teneri se ex conscientia ad obediendum potius S. Congregationi, id est, Sedi Apostolicæ, quam suo Episcopo. Quanta autem rei catholicæ detrimenta ex istiusmodi collisionibus oriri facile possint, nemo non videt. E contra, si pro universali regula habeantur decreta Sacræ Congregationis, quibus jus commune declaratur, quamvis ad privatorum postulationem edita sint, quæ scilicet a Cavaliero *æquivalenter generalia* vocantur, præciduntur dissensiones, et promovetur pax et unitas. Nam statim ac in aliquam diœcesim pervenerit notitia alicujus ejusmodi decreti, quo illegitimus declaratur aliquis usus, ipse Episcopus procurabit usum istum de medio tolli; vel, si retinendum ob peculiares rationes existimet, dispensationem pro sua diœcesi a Sacra Congregatione obtinebit. Item cæteri de clero in abjiciendo dicto usu concordes erunt, utpote qui (ex hypothesi) ejusmodi S. Congregationis decreta pro regula obligatoria habebunt.

2° Juxta propugnatum a domino Nilles systema, vetitum foret presbyteris, ante obtentam Ordinarii sui licentiam, dictis Sacræ Congregationis decretis obtemperare, et proscriptas ab iisdem consuetudines deserere. Etenim de ejusmodi decretis, nisi prius placuerit Episcopo ea suis subditis in legem præscribere, pronuntiat dominus Nilles, non esse in praxim deducenda (*Revue théol.*, 2e série 1857, pag. 429 et 430). Porro talis doctrina quæ presbyteris crimini vertit, quod, juxta receptam a tot et tantis doctoribus sententiam, dictis

S. Congregationis decretis sese accommodent, iisdem doctoribus palam injuriosa est. Præterea injuriosa est ipsimet S. Congregationi, quæ nedum redarguat presbyteros, qui absque proprii Episcopi licentia dicta decreta servant, eos e contra redarguit qui eisdem decretis contraveniunt.

3° Tandem neque periculo vacat regula quam tradit dominus Nilles, ad determinandum quibus in casibus irrationabilis ac temerarius sit recursus. Rationabiles recurrendi causas esse ait, « cum de aliquo particulari loci cujusdam usu sive « aboliendo sive retinendo, jam inde ab aliquo tempore est « inter partes hinc inde disceptatum ; vel cum de nova aliqua « consuetudine, reluctantibus ibidem nonnullis introducenda « disputatur. Si vero neutrum obtineat, sique usus multis « abhinc sæculis jam vigeat, et de ejus opportunitate vel uti- « litate (ad promovendam puta fidelium devotionem) non « ambigatur, neque ulla moveatur quæstio, importunus certe « quam qui maximus foret ad S. Rituum Congregationem re- « cursus. » *Revue théologique,* 2e série 1857, pag. 426). Ibidem, pagina 429, monet dominus Nilles recurrendum, *non temere, sed ex rationabili eaque sufficienti causa.* Et ad dignoscendum quando adsit ejusmodi causa, remittit ad locum antea transcriptum. Asserit præterea, S. Congregationem non respondere, nisi quando credit adfuisse dictam causam. Porro ejusmodi regula noxia simul et erronea est.

Primo, extare possunt, et de facto nimium frequenter extiterunt abusus seu corruptelæ, in aliquibus diœcesibus, quin ulla de iis disputatio moveretur. De quo ut unicum per transennam exemplum adducamus, quis in Gallia, ante ultimo elapsos quadraginta annos, in quæstionem vocabat legitimitatem breviariorum, a quamplurimis annis cum aperta ecclesiasticarum legum violatione inductorum ? Porro juxta traditam a domino Nilles regulam, qui abusum apprime perspiceret, deberet tamen ipsi sese aptare, nec posset Sacram Congregationem adire, ad tollendam conscientiæ suæ perplexitatem ; eo quod scilicet aut nondum inceperit, aut non a multo tempore duret hac

de re disputatio in diœcesi. Unde dicta regula abusibus et corruptelis, a Sacra Rituum Congregatione confixis, aperte favet; nec videtur ad aliud apta et utilis, quam ad eosdem abusus tutandos et retinendos. Si enim consuetudo in diœcesi mea pacifice vigens non sit illegitima, cur timet dominus Nilles consuli a me, qui anxius hac de re existo, Sacram Congregationem? Sane, si legitima sit consuetudo, legitimam declarabunt Eminentissimi Patres. Si secus declarent, inutilis non erit meus recursus; siquidem per hocce decretum tolletur abusus.

Secundo, utile est ut S. Congregatio solvat, non tantum dubia de quibus jam ab aliquo tempore extant disputationes in diœcesi, sed etiam ea de quibus alicujus etiam privati anxia est et perplexa conscientia. Unde rationabilis et sufficiens ad licite recurrendum causa est, si quis dubitet an sibi liceat sequi diœcesis consuetudinem, quæ ipsi videtur Ecclesiæ legibus contraria, et nequaquam legitima. Quod autem debeat expectare donec orta sit de hac ipsa re controversia in diœcesi, gratis omnino et erronee asseritur.

Tertio tendit præfata regula ad restringendam libertatem recursuum ad Sacras Congregationes, seu, quod idem est, ad Sedem Apostolicam. Exhibet enim tanquam *temere* agentes illos presbyteros, qui Sacram Congregationem interrogant de liceitate consuetudinum in ipsorum respectivis diœcesibus existentium, quando de hac liceitate ab aliquo jam tempore non extat in diœcesi disputatio. Cum autem nemo *temere* agere debeat, idem est ac si diceretur illicitos esse ejusmodi recursus. Porro quod fideles omnes, pro suis dubiis, causisque et anxietatibus, licite valeant ad Sedem Apostolicam *immediate* recurrere, dogma catholicum est; et sequitur ex eo quod Summus Pontifex Pater sit et Pastor omnium, atque *immediatam* in fideles singulos jurisdictinem habeat.

Hæc de dissertatione a Domino Nilles nuper edita, breviter adnotanda duxi. Cæterum sicut haud mediocri ingenio ac eruditione disceptatio illa enitet, ita palam facit esse laudatum

auctorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Sedis Apostolicæ doctrinis ac placitis animo addictissimum. Optarem tamen, haud inficior, ut scriptionem suam ad trutinam revocaret, et, collatis consiliis cum aliquo Sacræ Rituum Congregationis consultore, tantisper moderaretur.

Nota. — Præmissas animadversiones jam scripseram, cum edita est in publicatione *Revue théologique* (décembre 1858, pag. 609 et seq.) nova confutatio præfati systematis, a D. Nilles propugnati; ad quam lectorem, pro uberiori disquisitione, remitto.

SECTIO III.

De auctoritate S. Congregationum Indicis et Inquisitionis.

Ubi exponitur jus canonicum circa totam quæstionem de librorum impressione et prohibitione.

Disseremus hoc ordine : 1° probabimus Ecclesiæ competere potestatem libros prohibendi ac proscribendi, necnon librorum inpressionem legibus suis regendi : 2° expendemus quid sæculari principi competat, circa librorum prohibitionem et impressionem : 3° quid sentiendum sit de libertate typographiæ, seu, ut gallice dicimus, *de la liberté de la presse* : 4° quinam in Ecclesia dictam potestatem habeant libros prohibendi et circa librorum impressionem leges edicendi : 5° de Indice synopsim historicam describemus : 6° dicemus quam vim obligandi habeat prior pars Indicis, quæ scilicet librorum nominatim prohibitorum catalogo præmittitur : 7° quam vim obligandi habeant decreta Sacrarum Congregationum Inquisitionis et Indicis, quibus libri aut propositiones nominatim damnantur aut prohibentur : 8° an et quatenus totus Index legis universalis rationem habeat : 9° confutabimus opinionem quæ tenet Indicem non obligare in Gallia, Germania, Belgio, et aliis regionibus : 10° expendemus quæstiones practicas circa modum recte intelligendi varias Indicis præscriptiones, et dispositionem Bullæ *Cœnæ* quoad libros.

CAPUT I.

ECCLESIÆ COMPETIT POTESTAS LIBROS PRAVOS AC NOXIOS PROHIBENDI, ET LIBRORUM IMPRESSIONEM LEGIBUS SUIS MODERANDI.

Prænotanda.— 1° *Quid per pravos libros intelligamus.* — Intelligimus 1° libros omnes religioni revelatæ adversantes ; quales sunt libri quibus propugnatur aut suadetur atheismus, materialismus, indifferentismus erga religiones omnes ; necnon libri politicorum qui ex ea sola causa religionem conservatam volentes quod sit ad politicum gubernium utilis, palam hoc ipso faciunt nullam religionem a se pro vera ac certa haberi : 2° libros impugnantes religionem christianam : 3° libros impugnantes Religionem Catholicam; quales sunt libri quibus defenduntur christianorum seu baptizatorum sectæ, per hæresim aut schisma ab Ecclesia catholica separatæ; item quibus genuinæ catholicæ fidei regulæ subvertuntur : 4° libros hierarchiæ ecclesiasticæ adversantes ; quales sunt, verbi gratia : *de Antiqua Ecclesiæ disciplina*, auctore Dupin : *de Statu Ecclesiæ*, auctore Febronio, id est, Episcopo de Hontcim : *de Causis majoribus*, auctore Joanne Gerbais : *Mémoire sur les droits du second ordre du clergé : Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances, spirituelles et temporelles*, auctore Laborde, ex Oratorio Berulliano : et alii pene innumeri, quibus hodiedum opplentur bibliothecæ Galliæ, non sine magno quoad multos perversionis periculo : quos quidem libros clero potissimum noxios existimo : multi enim nostrates clerici, tum quia probatos de hisce materiis scriptores præ manibus plerumque non habent, tum quia erroneam opinionem de non vigente in galliis Indicis lege amplexati sunt, prava illa opera sine scrupulo legunt, errorisque sibi venenum infundunt : 5° libros adversantes potestati legislativæ et coercitivæ Ecclesiæ ; vel ejus independentiæ relative ad societatem civilem : 6° libros historiam ecclesiasticam mendaciter exhibentes : 7° libros

qui bonis moribus adversantur *theorice;* id est, sustinendo honestum esse quod pravum est, aut vice versa : 8° libros bonis moribus adversantes *practice ;* nimirum qui continent turpia, aut charitati vel virtuti religionis contraria.

2° *Quid per noxios libros intelligamus.* — Esti plerumque pravi libri sint simul noxii, non tamen vice versa libri omnes *noxii* sunt simul pravi. Dari nempe possunt libri, qui in seipsis nequaquam pravi sint, et tamen ob temporum et personarum circumstantias absque nocumento nequeant omnibus indiscriminatim permitti. Quod satis patet exemplo ipsiusmet sacræ Bibliæ in linguam vulgarem translatæ.

3° *Quid sit librorum censura, prohibitio, condemnatio.—Primo,* censura proprie dicta est actus intellectus, quo quis judicat reprehensibilem esse librum aliquem, vel aliquam propositionem. Unde mera censura nullum includit actum voluntatis, nec proinde ullam prohibitionem. Diximus *proprie dicta :* nam in lato sensu et minus accurate loquendo, nonnunquam usurpatur vox *censura,* tanquam synonima *prohibitionis* vel etiam *proscriptionis.*

Librorum censura alia est privata, alia publica. « *Privata* ad « quaslibet doctas personas spectat... Statim nempe ac opus « aliquod in lucem prodiit, jus habet doctus quisque sensum « suum de eo dicendi.... Est et alia censura quam vocabimus « *publicam ;* qualis proculdubio est quæ fit ex legitimæ potes- « tatis mandato a publicis revisoribus. Sed præter istam, « haud cunctando eas etiam inter publicas censuras nume- « ramus, quæ fiunt ab academiis et universitatibus ; quales « fuerunt condemnationes variarum propositionum Lutheri, « et Marci Antonii de Dominis, a Sorbona pronuntiatæ... Ex « quo jam liquet, neutram ex duabus istis censuris confun- « dendam esse cum publica et legitima *potestate libros prohi-* « *bendi* » (Zaccaria, *Storia polemica delle prohibizioni de' libri,* libro 2, dissertatione 2, capite 2, numeris 1, 2 et 3).

Secundo, prohibitio librorum est præceptum, quo superior subditis suis vetitam facit certorum librorum lectionem aut

retentionem. Est proinde actus voluntatis imperantis seu præcipientis, et non merum intellectus judicium de librorum pravitate. Unde, ad censuram ferendam, nulla requiritur jurisdictio : ad prohibendos autem libros, fori externi jurisdictio necessaria est.

Tertio, condemnationis seu proscriptionis nomine intelligi solet prohibitio libri quatenus in se pravi ; ita ut condemnatio sit simul censura de pravitate libri, et ejusdem libri prohibitio. Ex quo patet discrimen condemnationem inter et simplicem prohibitionem : hæc enim, utpote non involvens judicium de pravitate libri, juste cadere potest in librum de se bonum et optimum, si forte (attentis circumstantiis) periculum sit ne noceat ; de quo exemplum habemus in prohibitione sacrorum Bibliorum vulgari lingua editorum. At quando liber aliquis condemnatur seu proscribitur, non tantum prohibetur ut noxius, sed et declaratur pravus. Nihilominus tamen quandoque, in sensu minus proprio, usurpatur vox proscriptio ad significandam simplicem prohibitionem ; verbi gratia, quando dicitur proscripta fuisse sacra Biblia in linguam vulgarem translata.

His prænotatis, Ecclesiæ competere potestatem libros pravos ac noxios prohibendi, necnon librorum impressionem legibus suis moderandi, probatur per sequentem propositionum seriem :

Propositio I^a^. — *Librorum pravorum lectio fidelibus summe noxia esse potest et solet.* — Utinam vera non foret conclusio posita, et in dubium revocari posset animarum strages, quæ pravorum librorum luem nunquam non consequitur ! At dubitationem omnem excludunt nimium multa ac peremptoria argumenta, e quibus sat erit sequentia breviter indigitasse.

Argumentum I. — *Ex generali hominum proclivitate ad sese accommadandum doctrinis et moribus eorum quibuscum versantur ac colloquuntur.* — Adeo certa est dicta proclivitas, ut inde enatum sit proverbium, *dis-moi qui tu hantes, je te dirai qui tu es* Nimirum ea est quoad unumquemque vis commercii et

consuetudinis cum cæteris hominibus, ut et eorum sentiendi modum plerumque amplectatur et mores. Quamobrem, Ecclesia sollicita semper fuit, ut a perversorum consuetudine fideles averteret : *Nunc autem*, ait S. Paulus, *scripsi vobis non commisceri : si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax.., cum ejusmodi nec cibum sumere* (Prima ad Cor., cap. 5, versic. XI). *Observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis.* (ad Romanos, cap. 16, v. 17). *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita* (ad Titum, cap. 3, v. 10). De qua perversorum consuetudinem fugiendi necessitate rationem tradens idem S. Paulus : *Sermo eorum*, inquit, *ut cancer serpit* (Secunda ad Timotheum, cap. 2, v. 17). *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (Prima ad Cor., cap. 15, v. 33). *Nolite*, inquit S. Joannes, *eum* (qui hanc doctrinam non affert) *recipere in domum, nec ave ei dixeretis* (Epist. secunda, v. 10). Cui doctrinæ inhærens S. Cyprianus, sic commonebat : *Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, et sermones eorum velut cancer et pestem vitate* (Epistola 40, alias 8, editionis Pamelii).

Jam vero pravos libros legere, idem est ac cum pravis eorum auctoribus conversari. Quinimo, multo magis legentis animum feriunt verba scripta, quam audientis verba viva voce prolata. Cum ergo summe noxium sit cum pravis hominibus conversari, a fortiori noxia censenda est pravorum librorum lectio. Unde, quemadmodum merito dicitur, *dis moi qui tu hantes, je te dirai qui tu es*, ita verissime dici potest : dic mihi quales libros, qualia diaria, qualia denique scripta legere soleat iste vir, ista familia, ista societas, et ego dicam tibi quales sint eorumdem doctrinæ ac mores. Vide sancti Ligorii dissertationem, *de Justa prohibitione librorum nocuæ lectionis*, capite 1, n. 2.

Argumentum II. — *Ex eo quod libri quoddam magisterium exerceant, cujus auctoritati lectores plerumque cedere solent.* — « Bene sanctus Basilius libros appellavit *cibum animarum ;*

« quia sicut cibus delectabiliter ingreditur in hominem, et « deinde fit proprius hominis sanguis, sic liber cum legitur, « delectabiliter legitur (quis enim leget invitus?) et sic de « facili fieri solet res propria lectoris. Præterea, qui ad aucto- « rem legendum accedit, illi pene discipulum se tradit, ipsi- « que cor docile et benevolum offert; et ideo facile ab illo « decipi potest; valde enim difficile est, quod lector aliquo « amore erga auctorem illum non afficiatur: ex quo deinde « facile eveniet, ut impietas et error latens hauriatur insen- « sibiliter, et tenaciter postea retineatur. » (Sanctus Ligorius, in citata dissertatione, cap. 1, n. 2). Qui nempe librum scripsit, ex hoc ipso præsumitur in materia de qua disserit versatus, ita ut quamdam magistri auctoritatem apud lectorem sùum consequi soleat. Sicut ergo discipulos sponte accedentes ad placita sua facile magistri pertrahunt, ita libri pravi lectores suos.

Argumentum III. — Ex eo quod pravi libri de se apti sint ad subvertendam fidem et mores. — Non agimus de libris pravis stolide scriptis, quique nulla ex parte alliciunt, et hac de causa lectoribus carent. Cæteri autem dum fidem seu veram religionem impugnant, sophismatum suorum artificio necnon scientiæ et eruditionis larva ita veritatem obtegunt, et errorem sub specie veri exhibent, ut a quamplurimis legi nequeant absque perversionis periculo. Item lasciva et inhonesta continentes libri, ex hoc ipso ad accendendas pravas cupiditates apti sunt; et eo magis innocentiam et morum integritatem vulnerant, quo elegantiori sermonis forma, et cautius velata intentæ pravitatis turpitudine, lectoris animum alliciunt atque invadunt.

Unde revera utraque librorum pravorum species, quæ nempe veræ religioni, et quæ bonis moribus adversatur, suapte natura nociva est.

Argumentum IV. — Ex eo quod lectorum plerique ea scientia et sanctitatis firmitate sint destituti, quæ necessaria foret ad legendos pravos libros, absque perversionis discrimine. — 1° Ut

quis sine periculo libros religionem impugnantes legere posset, is esse deberet: « qui falsitatem acuto critices judicio « discernere, citationumque infidelitatem detegere valeret: « qui profunde doctus in metaphysica, solida theologiæ scien- « tia suffultus, et in sanctorum Patrum lectione versatus fo- « ret: cujus mens didicisset scite discernere, quæ rationis « sunt ab iis quæ sunt fidei; jus ab abusibus multoque magis « a violentiis; veritatem a variis temporum, nationum, edu- « cationis, partium ac scholarum præjudicatis: qui foret in « scientia juris naturæ ac gentium exercitatus, ad eludendas « fraudes, quæ juris publici obtentu substernuntur: qui lit- « terariæ etiam historiæ præsidio instructus procederet. » (Zaccaria, *Storia polemica delle prohibizioni de' libri*, libro 2, dissert. 1, cap. 3, n. 5). Jam vero paucissimos extare hisce dotibus instructos, quis inficiabitur? « Inter ipsos etiam theo- « logiæ doctores (ait Zaccaria, loco citato), quam multi iis « conditionibus destituuntur! »

2° At præter enumeratas *ex parte mentis* dotes, requireretur *ex parte cordis* virtutum firmitas, qua carent plerique pravorum librorum lectores.

Primo, ad obscœnos quod attinet libros, palam est eos generatim noxios esse, ob permanentem præsentis hominum conditionis fragilitatem, qua nec ipsi sancti, dum in præsenti vita degunt, immunes fiunt. Hinc peccatum est ipsummet factum obscœna legendi; nisi ex officii necessitate, aut ex aliqua alia sufficienti causa, adhibitis cautionibus, ejusmodi lectio fiat; prout fit a theologis quibus ejusmodi librorum examen committitur, in hunc finem ut videatur num proscribendi sint. Cum ergo lectorum cæteri peccando ad hunc venenatum pastum accedant, hoc ipso accedunt ea virtutis firmitate destituti, quæ necessaria foret ad impediendos noxios veneni effectus.

Secundo, etiamsi agatur de libris non obscœnis, sed doctrinaliter dumtaxat pravis, requiritur dicta virtutis firmitas, ut absque discrimine legi possint, etiam ab iis, qui supra enumeratis pollent ex parte mentis conditionibus. Nam si cor pravum

sit, facile mentem obcæcat. Sit in exemplum vir ita doctus, ut libri pravi sophismata et fraudes facile perspicere valeat: si cupiditatibus et vitiis abripiatur, pravum legendo librum optabit peremptorias in eo rationes reperire contra religionis et fidei catholicæ veritatem, ut nempe conscientiæ suæ stimulos sopiat et libere cupiditati indulgeat. Ex hac autem animi dispositione facile continget, ut rationes in favorem religionis non sincere perpendat, sed mentis aciem ab eis retrahat; oppositas autem rationes, si veri speciem quamdam præ se ferant, supponat solidas esse; ac tandem ad hæresim incredulitatemve miserrime confugiat. Ergo revera noxii censendi sunt pravi libri, ex eo quod necessaria scientia ac virtutis firmitate lectorum plerique destituantur. Ut adeo nimius forte non fuerit scriptor qui sic asseruit : *Nous mettons en fait qu'aucun lecteur, fût-ce le plus sage et le plus prudent, ne voit habituellement sans danger ce qui offense les mœurs ou la religion* (*Journal historique* de Liége, tom. 11, pag. 398).

Argumentum V. — Ab experientia deductum. — Juvat hic in dictorum confirmationem, nonnulla exempla commemorare. 1° Claruit Bardesanes, secundo sæculo, doctrina æque ac in propugnanda (non sine vitæ discrimine) catholica religione zelo conspicuus. Qui tamen cum Valentiniani libros legisset, in hæresim misere prolapsus est; imo hæresiarcha evasit, et in suis erroribus pertinax obiit.

2° Circa annum 250, lectione librorum cujusdam Episcopi Ægypti, qui *Nepos* vocabatur, in errorem millenariorum abrepti sunt catholici quamplurimi (Zaccaria, in citata dissertatione, libro 2, dissert. 1, cap. 4, n. 2).

3° Manes, ex quo Manichæorum errorum colluvies ortum sumpsit, pravorum librorum lectione perversus est. (Zaccaria, ibidem, n. 3).

4° Ineunte sæculo quinto, Avitus Hispanus, a sancto Hieronymo petiit exemplar librorum Origenis, quos in latinam linguam is transtulerat. Annuit Hieronymus, præmonendo Avitum ut ab Origenis erroribus diligenter caveret. At perlato in

Hispaniam hoc codice, sparsi sunt ibi, ex ejus lectione, Origenis errores; quos et ipse Avitus propugnavit; et an unquam recipuerit ignoratur. (Ibidem, n. 4).

5° Per libros a Priscillianistis sparsos, eorumdem errores in Hispania et Gallia Narbonensi invaluisse conqueruntur sanctus Turibius et sanctus Leo Magnus (Ibidem, n. 5).

6° Sæculo quinto, quidam Julianus Halicarnassæus librum legendo cujusdam Valentini, in apostasiam abreptus est. At nimium celebre ex eodem sæculo quinto exemplum Eutichetis; qui cum acerrimus catholicæ fidei propugnator extitisset, lecto cujusdam manichæi libro, in heresiarcham transmutatus, funestissimam illam hæresim contexuit, e qua tanta per orientem animarum strages subsecuta est.

7° Prout adnotat Bellarminus (libro 3 *de Laicis*, cap. 20), Wiclefus viva voce paucissimos pervertit: docuit enim in Anglia, et ibi nullos pene erroris sui sequaces reliquit: at per libros suos totam Bohemiam ad hæreses suas traxit. Horum Wiclefi librorum lectione in transversum actus est Joannes Hus.

8° Notum omnibus quot et quantas ruinas ex Lutheri et Calvini libris catholica religio passa sit.

9° Testatur Zuinglius inductum se ad negandam Sanctorum invocationem, legendo quamdam poeticam Erasmi scriptionem, in qua conqueritur Christus, quod homines, *se relicto ad cœlites recurrant*. (Zaccaria, loco cit., n. 6).

10° Lamentabilis præcipue Henrici Bulengeri lapsus. Summa is pietate ac morum integritate studiorum curriculum Coloniæ absolverat, statumque religiosum ingredi proposuerat, et in Carthusianorum conventum sese jamjam recepturus erat. Sed (o altitudo judiciorum Dei!) in manus ei incidit quoddam Melanchonis scriptum. Vehementer ad projiciendum librum divina gratia impulsus est. At vinci se diaboli tentatione miser passus est. Legit, subversus est, Zuinglio adhæsit, et furibundum hæreseos ministrum egit (Vide apud Zaccaria, loco cit.).

11° Concessas facultates hæreticorum libros legendi revocavit Paulus IV, (Brevi *Quia in* 21 decembris 1558) ex ea

ratione, quod nonnulli, qui ad confutandos hæreticos ejusmodi licentias obtinuerant, in hæresim prolapsi essent. Atque ob idem periculum pariter a nonnullis subsecutis Pontificibus revocatæ sunt hujuscemodi concessæ licentiæ (vide apud Zaccaria, loco cit., n. 7).

12° Juvat etiam hic referre, quod mihi a paterno meo avunculo presbytero enarratum memini. Is, ne juramentum *Constitutionis civilis cleri Gallicani* præstaret, in Hispaniam migraverat; ibique alterius sacerdotis Galli, simili de causa extorris, frequenti commercio ac consuetudine utebatur. Advertens avunculus meus hunece amicum suum assidue legendis incredulorum modernorum libris vacare, de periculo admonendum duxit, et ut venenatum pastum abjiceret vehementer adhortatus est. Reposuit ille, id sibi licitum esse, ob intentum a se finem, confutandi nempe absonos Voltairianorum errores; nec monitioni morem gessit. At quam temere, palam fecit miserandus exitus. Vi illius quod sibi quotidie infundebat veneni, sensim de catholico in incredulum immutatus, in Galliam rediit, clericali statui valedixit, uxorem duxit, et in nefandissima quæque prorupit.

13° Cæterum si quis adeo hebes sit, ut non perspiciat quam noxii sint veræ religioni ac bonis moribus libri pravi, cum remittemus ad ipsosmet cujuslibet ævi catholicæ doctrinæ impugnatores. Ili nempe quoties fidem catholicam et morum sanctitatem in aliqua regione convellere ac de medio tollere aggressi sunt, quod aliud efficacius medium existimarunt quam librorum ad intentum finem apte dispositorum diffusionem? Sane haud ita pridem in Galliis, synagoga Satanæ (illos dico prætensos philosophos, qui ad delenda ultima christianismi vestigia juramento sese obstrinxerant) libros religioni adversos ac inflammandis quibusque obscœnis cupiditatibus idoneos, immensa copia propriis sumptibus edi procurarunt, et ruricolis etiamac infimæ plebi, vili aut nullo etiam pretio, distribui. Quem in finem præprimis editus est *le Volontaire des chaumières*. Hi sane de pravorum librorum ad fidem et mores pervertendos vi

ac infallibili, ut ita dicam, efficacia, nequaquam dubitarunt.

Propositio IIª. — *Aliqui libri, licet de se non pravi, fidelibus tamen quandoque noxii esse possunt.* — I. Sit in exemplum Sacra Scriptura, vulgari lingua edita : bonus sane liber Scriptura Sacra si quis unquam, et omni veneratione dignus. Et tamen fidelibus populis summe noxiæ forent ejusmodi Sacræ Scripturæ in linguas vernaculas translationes, si passim ab omnibus legi permitterentur. De quo sic Gerson : « Ex hac præterea « radice pestifera sunt et quotidie crescunt errores Begardo- « rum et Pauperum de Lugduno, et omnium similium ; quo- « rum multi sunt laici, habentes in suo vulgari translationem « Bibliæ, in grande præjudicium et scandalum catholicæ ve- « ritatis, quale propositum est in reformatorio (intellige in « Concilio Constantiensi) esse tollendum » (in tractatu *Contra hæresim de communione laicorum sub utraque specie*, p. 1) « Rursus sequitur ex præmissis prohibendam esse vulgarem « translationem librorum sacrorum nostræ Bibliæ, præsertim « extra moralitates et historias » (ibid., p. 2, lect. 2, consid. 9) « Hæreticus iste (loquitur de Elvidio) per malam Scripturæ « intelligentiam deceptus est, quemadmodum multi sunt, qui « Scripturam intelligunt secundum capitum suorum opinio- « nem, et non secundum sanctorum doctorum expositionem, « quam aut nesciunt, aut intelligere et considerare nolunt : « et propterea hæc sumo unum documentum : quia pericu- « losissima res est dare hominibus simplicibus, qui non sunt « idonei, libros Sacræ Scripturæ in gallicum translatos : quia « per malam intelligentiam continuo cadere possunt in erro- « res. Debent audire per prædicatores, qui alias frustra es- « sent » (in sermone de *Nativitate*) « Quemadmodum de Biblia « bene et vere in gallicum translata bonum aliquod, si sobrie « intelligatur, potest emanare, sic per oppositum innumeri « errores et mala obvenire possunt, si male fuerit traducta, « aut præsumptuose intellecta, refutando sensus et sanctorum « patrum expositiones. Satius esset hujusmodi rem ignorare, « quemadmodum in medicinis et in aliis scientiis, quas me-

« lius esset prorsus ignorare, quam parum aut male scire, et « se magistrum reputando in eis » (Consid. 5).

Sic nempe a priori, seu abstrahendo ab experientiæ documentis, probari potest dictarum versionum periculum : noxiæ sunt Scripturæ Sacræ in linguam vulgarem translationes, si noxium sit Sacram Scripturam ab imperitis et rudibus legi : atqui revera valde noxium est legi sacra Biblia ab ejusmodi hominibus : ergo. *Major* syllogismi satis per se patet : si enim exstent dictæ versiones, et earum lectio non prohibeatur, poterunt quilibet rudes et litterarum nescii, dummodo proprium idioma legere didicerint, sacram etiam Bibliam legere ; et facile continget ut multi ex ipsis eam legant, si nulla id eis lex prohibeat E contra sacram Bibliam legere non poterunt si non extent dictæ translationes ; aut saltem a tali lectione retrahentur, si eam sibi prohibitam sciant. Unde si noxium sit a præfatis hominibus sacram Bibliam legi, hoc ipso noxium erit dictas versiones edere, et earumdem lectionem omnibus indiscriminatim permittere. *Minor* autem facile vera probatur ex ipsa sacrorum bibliorum natura. Summa nempe est Sacræ Scripturæ sublimitas ac profunditas : multi textus, solo attento litterali sensu, inter sese pugnare videntur : multi etiam, si grammaticaliter dumtaxat perpendantur, varias interpretationes patiuntur; et ex illis interpretationibus aliæ veræ sunt et catholicæ, aliæ vero erroneæ et hæreticæ. Difficillimum ergo est Sacram Scripturam in vero suo sensu intelligere et errores devitare. Id , temeritate sua, luce meridiana clarius fecerunt doctissimi quique e Protestantium sectis scriptores : cum enim solo privato suo sensu, et seposita Ecclesiæ catholicæ auctoritate, Sacras Scripturas interpretari præsumpserint, haud dici potest quot et quam absona systemata excogitaverint , in quot sectas et contradictorias opiniones divisi sint ; clamantibus interea singulis verissimam interpretationem suam, aliorum autem hæreticam. Quanto ergo facilius in errores abripientur rudes et litterarum ac scientiarum nescii, si sacra ipsis Biblia legenda tradatur !

Summum hocce periculum ipsa insuper experientia comprobavit ; prout in quarta Indicis regula notatur his verbis :*Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia, vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde detrimenti, ob hominum temeritatem, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut inquisitoris stetur ; ut cum consilio parochi vel confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.*

« Profecto (ait Zalwein, *Principia juris eccl.*, tomo 2, p. 341) « in hoc decreto eminet singularis Ecclesiæ prudentia et discretio : *primo* enim Ecclesia non prohibet omnem lectionem « Scripturæ, vel potius editionem ; sed tantum editiones illas « quas solemus vocare *vernaculas ;* quas sæpe sæpius esse « corruptas, depravatas et alteratas novimus. *Secundo*, tanta est « sublimitas et obscuritas S. Scripturæ, ut homines plebeii « intelligere nequeant, et facile in lapsus induci valeant. *Tertio*, hinc inde apparet quædam veluti contrarietas aut contradictio, quæ minus doctis posset esse causa lapsus et « scandali : et numquid omnes ferme hæreses suum non traxerunt ortum ex male intellecta Scriptura ? *Quarto*, experientia « docemur, quod illi qui præceptum Ecclesiæ parvi pendentes « Scripturarum lectioni se occulte consecrant, non raro in « fide nutent, variis agitentur scrupulis, aut omnino in errores ruant... *Sexto*, hac ratione magis consulitur puritati « et majestati Scripturæ. *Septimo*, non possunt laici conqueri « contra legis duritiem : habent enim facultatem legendi « editionem vulgatam, et cum licentia suorum pastorum etiam « editiones vernaculas. »

Ergo revera dictæ versiones Sacræ Scripturæ, de iis libris sunt, qui licet in se boni, noxii tamen esse possunt.

II. Sed et alii etiam libri nocumento esse possunt, quamvis in se pravi non sint. Quandoque, verbi gratia, contingit, eas esse circumstantias, ita comparatos animos, ut si de certis materiis edi ac legi permittantur libri, alias de se non pravi,

ingentes commotiones et non parva rei catholicæ damna oritura prævideantur. Noxii tunc isti libri, quamvis non pravi. In quo probando non immoramur, cum per se pateat. Vera est ergo posita conclusio, videlicet, dari libros, qui licet in se non pravos, fidelibus tamen noxii esse possunt.

Propositio III[a]. — *Prohibitio juris naturalis legendi libros noxios non sufficit, ut a fidelibus arceantur pericula et nocumenta.* — Vel enim fideles ignorant pravos et noxios esse libros quos legere volunt, vel illud sciunt : atqui in utroque casu insufficiens est juris naturalis præceptum, de non legendis nocivis libris.

I. Equidem certa est lex naturalis unicuique prohibens ne libros legat, qui ipsius fidem aut mores in discrimen adducerent : at lex illa non edocet an tales sint multi qui circumferuntur libri. Hinc si sola exstet juris naturalis prohibitio, sæpe continget a fidelibus legi libros, vere et summe ipsis noxios, antequam periculum suspicati sint, aut satis notum habuerint; sicque venenum non advertent, nisi quando jam virus sibi infuderint. Hinc ad tutandos fideles necesse est ut, præter dictam legem naturalem, interveniat aliqua auctoritas, quæ noxias certas librorum species, imo et singulos nominatim nocuos libros (quantum fieri potest) indigitet.

II. Etiam quoad libros, quos pravos esse ac multis nocere posse fideles sciunt, insufficiens est præfatum legis naturalis dictamen ad arcenda pericula. Quamvis enim lex naturalis unicuique edicat, ne præsumat librum legere quem sibi noxium fore perspexerit, non tamen dirimit quæstionem practicam, *an talis liber ipsi revera noxius sit.* Jam vero, pro illa ingenita hominum proclivitate ad bene sentiendum de suo ingenio ac virtute, multi facile existimabunt nihil se discriminis incurrere in legendo libro, licet pravo, et quoad multos alios noxio. Eo vel magis, quod plerumque quisque de dicta practica quæstione tunc dumtaxat secum deliberabit, cum jam librum legere cupiet, aut etiam præ manibus habebit, et legendi tentatione pulsabitur. Quis non videat, multos, si legi naturali, id

est, soli conscientiæ suæ dictamini, hac in materia relinquantur, in ruinam præcipites ituros?

Adde non solis sanctis constare militantem Ecclesiam; sed eheu! innumeris, quos a legendis nocivis libris conscientiæ reatus nequaquam retraheret: porro sicut furibundis eripitur ferrum quo se necare possunt, ita morbidis aut debilibus ejusmodi fidelibus coercitivis legibus et mediis præripiendum est pravorum librorum venenum, præcidenda lapsuum occasio. Id autem quoad tales non satis efficaciter obtinebitur per conscientiæ dictamen; bene vero pravorum librorum impressionem prohibendo ac impediendo, et opportunis pœnis in detinentes, spargentes, legentesque animadvertendo: prout perbelle faciunt et faciendum norunt gubernia sæcularia quælibet, quoad libros, qui constitutum regimen et tranquillitatem publicam in discrimen adducunt.

Propositio IV^a^. — *Ecclesiæ competere potestatem prohibendi libros pravos, atque etiam non pravos si nihilominus noxii sint, probat ipsiusmet Ecclesiæ constitutio, et finis ad quem divinitus instituta est.* — Etenim a Christo in terris instituta est ad hunc finem, ut in ea, et per auctoritatem ipsi præpositam, sacerdotiumque in ipsa institutum, vera fidei doctrina et morum regula homines informati, divinisque sacramentorum effectibus donati, ad æternam visionis intuitivæ beatitudinem perducerentur. Talem esse constitutionem et finem Ecclesiæ dogma catholicum est. Jam vero, hoc ipso quod Christus Dominus Ecclesiam ad ejusmodi finem instituerit, eidem Ecclesiæ contulit potestatem omnem ad hunc finem attingendum necessariam et opportunam. Ergo Ecclesiæ potestatem contulit subditis suis ea omnia prohibendi, quæ æternam eorum salutem in discrimen adducerent. Sed libri pravi, et etiam quandoque libri de se non pravi, fidelibus valde nocere possunt, eorumque fidem et mores subvertere, et in æternam ruinam eos abripere, prout superioribus propositionibus probatum est; ergo Ecclesiæ contulit Christus potestatem dictos libros prohibendi.

Nec dicatur necessarium non fuisse ut Ecclesia ejusmodi potestate instrueretur, cum fidelium cuique noxiorum librorum lectionem lex naturalis satis vetitam faciat. Nam illa juris naturalis prohibitio insufficiens est ad arcenda pericula et nocumenta, prout præcedenti propositione ostendimus.

Propositio V^a^. — *Ecclesiæ competere potestatem dictos libros prohibendi, probat perpetua ipsius praxis.* — Nequit enim Ecclesia errare circa collatam sibi a Christo potestatem, sibi jus tribuendo quod non haberet. Alioquin non esset *columna et firmamentum veritatis*, et verum non foret divinum vaticinium, *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Nam quando potestatem aliquam sibi tribuit et tanquam suam exercet Ecclesia, docet hoc ipso potestatem illam sibi competere. Proinde nisi talis potestas ipsi revera competeret, erraret circa dogma, aliquid falsi docendo. Præterea hoc ipso quod generali sua praxi potestatem aliquam sibi tribuit, æquivalenter declarat et docet, injustam non esse nec tyrannicam hanc suam praxim. Quæ tamen praxis mera esset injustitia et violentia, si Ecclesiæ non competeret potestas quam sibi vindicat. Unde ex eo quod potestatem libros prohibendi perpetuo sibi tribuerit Ecclesia, rigorose concluditur potestatem illam ipsi competere.

Dictam autem Ecclesiæ praxim noxios libros prohibendi, testantur sequentia facta (1) :

I. Circa annum 66, depositus est quidam Asiæ presbyter, eo quod librum edidisset, in quo falsa referebat de S. Pauli *itineribus* et de sancta Thecla. Id memorat S. Hieronimus (*de Viris illustribus*, cap. 7) in hunc modum : « Igitur περιόδους

(1) Prætermittimus librorum combustionem de qua sic in *Actis Apostolorum*, capite 19 : *Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combuserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Non constat sancti Pauli jussu celebrem illam librorum combustionem peractam fuisse. Si autem *sponte* id Christiani Ephesini peregerint, allegari nequit factum istud ad probandam Ecclesiæ potestatem libros noxios prohibendi. Probat tamen optime jam a primis Ecclesiæ initiis utilem reputatam fuisse librorum pravorum destructionem, et pro noxia habitam fuisse eorumdem lectionem et retentionem.

« Pauli et Theclæ, et totam baptizati Leonis fabulam, inter « apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut « individuus comes Apostoli (*nempe S. Lucas evangelista*) inter « cæteras ejus res hoc solum ignoraverit ? Sed et Tertullianus « vicinus eorum temporum, refert presbyterum quemdam in « Asia σπουδαστην (*amatorem*) Apostoli Pauli, convictum apud « Johannem quod auctor esset libri, et confessum se hoc « Pauli amore fecisse, et ob id de loco excidisse. » Equidem expresse non dicunt Tertullianus et Hieronymus, ejusmodi librum fuisse prohibitum : ast æquivalenter id indicant, pœnam dicti presbyteri referendo. « Ecquid enim (ait Zaccaria)? « An nobis persuadebimus gravissima degradationis pœna « punitum fuisse presbyterum ob ejusmodi librum, *ob id ;* « librum vero ipsum e fidelium manibus, quantum fieri po- « tuerit, ereptum non fuisse ac prohibitum ? Sed insuper lo- « quitur Hieronymus de libro illo tanquam de scriptura *apo- « crypha : inter apocryphas scripturas numeramus.* Jam vero « apud veteres idem sonabat *scriptura apocrypha*, ac rejectus « et reprobatæ lectionis liber. Id infra palam fiet, ubi agemus « de celebri decreto Gelasii Papæ. Licet ergo vel inde con- « cludere proscriptum revera fuisse huncce librum » (*Storia polemica delle proibizioni de' libri,* libro 1, epoca prima, n. 4).

II. Scriptus fuerat contra sanctum Cornelium romanum Pontificem (anno circiter 251) libellus famosus ; quem Novatiani antipapæ legati, detulerunt Carthaginem, ibique publice, adunato clero ac populo, legi volebant. De quo sic habetur in epistola sancti Cypriani (42, edit. Pamelii) ad sanctum Cornelium : « Honoris etiam memores, et gravitatis sacerdo- « talis ac sanctitatis respectum tenentes, ea quæ ex diverso « in librum ad nos transmissum congesta fuerant acerbatio- « nibus criminosis, respuimus ; considerantes, quod in tanto « fratrum religiosoque conventu considentibus Dei sacerdo- « tibus, et altari posito, nec legi debeant nec audiri. Neque « enim facile promenda sunt, et incaute ac temere publi- « canda, quæ discordioso stylo audientibus scandalum mo-

« veant, et fratres longe positos ac transmare constitutos « incerta opinione confundant... Certe, quod præpositis et « sacerdotibus congruit, danda opera est ut talia, cum a qui- « busdam scribuntur, per nos respuantur. Ubi enim erit quod « discimus ac docemus scriptum esse : *Contine lingua mtuam a « malo, et labia tua ne loquantur insidiose :* item alibi : *Os tuum « abundavit malitia et lingua tua complectebatur insidias : se- « dens adversus fratrem tuum detrahebas et adversus filium ma- « tris tuæ ponebas scandalum :* item quod Apostolus dicit : *Om- « nis sermo malus de ore vestro non procedat, sed bonus ad ædi- « ficationem fidei ut det gratiam audientibus ?* Porro hæc fieri « debere ostendimus, si, quando talia quorumdam calumniosa « temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur. » Equidem ibi primum expresse loquitur S. Cyprianus de lectione *publica* seu in ecclesia : at ex iis quæ subjungit, dubium non est quin censuerit prohibendam esse quamlibet lectionem, sive publicam sive etiam privatam, ejusmodi librorum queis fama proximi calumniis læditur. Hunc enim generalem sensum præ se ferunt verba hæc, *danda opera est ut talia per nos respuantur...: talia apud nos legi non patimur.* Præterea verba Scripturæ a Cypriano allegata, tam privatam quam publicam ejusmodi scriptorum lectionem prohibendam probant. Tandem perperam contendisset Cyprianus hisce Sacræ Scripturæ oraculis satisfactum a se fuisse, si publicam in ecclesia lectionem dumtaxat prohibuisset, non autem privatam aut in locis aliis.

Nota. — Si quis tamen renuat, tam hoc quam præcedens testimonium pro peremptoriis habere, non contendemus : abunde siquidem sufficiunt alia documenta, ad probandam assertam Ecclesiæ praxim.

III. *Scriptorum Arii prohibitio a Niccena synodo pronuntiata, anno* 325. — Ejusmodi prohibitionem sic enarrat Socrates (*Historia eccles.*, l. I, cap. 6) : « Intelligendum est præterea, « Arium librum de sua ipsius opinione confecisse, quem *Tha- « liam* inscripsit. Est autem libri stylus et forma dicendi

« lascivior paulo et dissolutior, sotadeis (1) cantilenis seu « carminibus persimilis ; quem librum id temporis Concilium « etiam condemnavit. » Idem refert Sozomenus (*Historia eccles*,, l. 1, c. 20) in hunc modum : « Concilium autem, tum « Arium, tum suæ opinionis fautores pariter abdicavit, decre- « vitque ne veniret Alexandriam. Quin etiam et verba, qui- « bus ejus explicabatur opinio, et librum quem de eadem « ediderat, incripseratque *Thaliam, legi vetuit*. »

Quæ a Nicœnis Patribus pronuntiata prohibitio ac condemnatio, ut effectum suum efficacius consequeretur, publicavit Constantinus Magnus celebre suum edictum, tenoris hujuscemodi :

« Victor Constantius Maximus Augustus, Episcopis et po- « pulo salutem. — Quum Arius scelestorum et impiorum ho- « minum consuetudinem imitetur, eamdem cum illis ignomi- « niæ et turpitudinis notam merito subire debet ; quemadmo- « dum Porphyrius, capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros « contra religionem christianam edebat, mercedem dignam « laboribus cepit ; et ejusmodi quidem, ut apud posteriora « sæcula non ipse solum maximis probris vexatus fuerit et « turpissima infamiæ labe adspersus, verum etiam impia ejus « scripta deleta penitus et extincta. Sic etiam visum est, « Arium et ejus sectatores *Porphyrianos* nuncupare, ut quo- « rum secuti sint mores, eorum etiam nomen habeant. Quin « etiam si quod opus ab Ario scriptum reperiatur, illud cre- « mandum esse ; ut non modo execrabilis ejus doctrina tolla- « tur funditus, sed etiam nullum monumentum ejusdem om- « nino relinquatur ad posteritatem. Illud etiam mandamus, « ut si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehen- « sus sit, et eum non statim in medium adductum igne « combusserit, morte mulctetur : nam mox ut comprehensus « fuerit, capite mulctetur. Deus vos servet incolumes. » (Apud Socratem, *Historia ecclesiastica*, libro 1, capite 6).

Illud Constantini Magni edictum sic memorat Sozomenus

(1) Fuit *Sotades* poeta ita turpis ut apud ethnicos etiam vilesceret. Videsis apud Zaccariam (***Storia polemica***, libro 1, epoca 1, n. 6.

(*Historia ecclesiastica*, libro 1, capite 20) : « Imperator non « Arium solum mulctavit exilio, verum etiam Episcopis om- « nibus et populis edictum scriptum misit, ut tum illum, tum « ejus opinionis fautores impiorum numero ducerent; et si « quis liber reperiretur ab illis scriptus, in ignem conjice- « rent; quo neque ipsius, neque opinionis cujus auctor fue- « rat, ullum monumentum extaret: quod si quis aliquem li- « brum ejus occultare deprehenderetur, ac non illico in « publicum productum incenderet, ut capitis mulctaretur « supplicio. »

De eodem edicto brevius Theophanes(in sua *Chronica*) enarrat, decretum fuisse a Constantino, « ut Ariani vocarentur « *Porphyriani*, eorumque libri comburerentur; quique secus « agerent, capitali supplicio afficerentur. » (Vide etiam Nicephorum, libro 8, capite 18).

Nota 1°. — Edocet relatum edictum, similiter jam antea prohibitos et proscriptos fuisse Porphyrii libros. Quod autem ecclesiastica primum auctoritate prohibiti fuerint, antequam sæcularis potestas brachii sui auxilium admoveret, vix dubitari potest.

Nota 2°. — Quod cum Protestantibus et Jansenistis dictitant alii (qui se catholicos asserunt) haud pauci, videlicet, alienum a Patribus priorum sæculorum fuisse, ut existimarent hæreticos temporalibus et corporalibus pœnis esse coercendos, merum mendacium est. Pro quo satis erit pauca quædam Augustini et Leonis Magni verba adduxisse. Sic ad Vincentium Rogatistam (epistola 95, alias 48, cap. 1), scribit sanctus Augustinus: « Donatistæ nimium inquieti sunt: quos per ordi- « natas a Deo potestates cohiberi atque corrigi non erit inu- « tile. Nam de multorum jam correctione gaudemus, qui « tam veraciter unitatem catholicam tenent atque defendunt, « et a pristino errore se liberatos esse lætantur, ut eos cum « magna gratulatione miremur. Qui nescio qua vi consuetu- « dinis nullo modo mutari in melius cogitarent, nisi hoc ter- « rore perculsi sollicitam mentem ad considerationem verita-

« tis intenderent. » Idem exprimit S. Leo Magnus, in epistola 91 ad Turibium, capite 1 : « Profuit diu, inquit, ista districtio « ecclesiasticæ lenitati; quæ etsi sacerdotali contenta judicio « cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum « principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale « nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale « supplicium. » Sed et idem confirmat citatum Constantini edictum. Dubium enim non est quin assentientibus Nicœnis Patribus factum fuerit. Ipse etiam Bohemerus, e protestantica secta scriptor, illud ipsis attribuit *Jus eccles.*, l. 5, tit. 7, § 90).

IV. Librum contra Arianos ediderat Marcellus, Ancyranus Episcopus. Quod ægre ferentes Eusebiani Synodum Constantinopoli celebrarunt, anno 336; in qua non tantum excommunicarunt et deposuerunt Marcellum, sed et Galatiæ ecclesiis scripserunt (prout refert Sozomenus, *Historia ecclesiastica*, l. 2, c. 31), ut ipsius librum perquirerent, et exempla omnia igne concremarent. Peractum quidem id ab Eusebianis Episcopis, arianismo infectis: at non minus probat hujus ævi persuasionem, de potestate Ecclesiæ pravos ac noxios libros prohibendi ac dammandi. (Vide apud Zaccaria, *Storia polemica*, l. 1, epoca 1, n. 10).

V. Anno 359, in alio conciliabulo, ab iisdem Eusebianis Constantinopoli habito, prohibita sunt Aetii scripta et litteræ; ut constat epistola synodica, a Theodoreto relata, in sua *historia ecclesiastica*, l. 2, cap. 25. (Vide apud Zaccaria, loco citato.

VI. Ad annum 379 referunt fratres Ballerini *(de antiquis collectionibus canonum*, parte 2, cap. 9, n. 3), Concilium romanum, cui adscribitur sequens decretum: *Incipit Concilium Urbis Romæ sub Damaso Papa. De explanatione fidei. Dictum est prius agendum esse de spiritu septiformi et Dei sapientia qui in Christo requiescit*... et ibi ponitur formula quædam fidei. Postea sic habetur: *Nunc vero de scripturis divinis agendum est; quid universalis Catholica recipiat Ecclesia, et quid vitare debeat*... et ibi ponitur librorum canonicorum veteris ac novi testamenti catalogus.

Existimarunt eruditi nonnulli, posteriorem hujus decreti partem, id est, divinarum scripturarum catalogum, cum citata præfatiuncula *nunc vero de scripturis divinis* etc., dicto Concilio seu Papæ Damaso non esse adscribendam : non alium esse catalogum istum quam ipsummet canonem Gelasianum (de quo nos infra), quem quis per citatam præfatiunculam dicti romani concilii actis annexuerit. Zaccaria autem (citato loco, n. XI) contrarium propugnat.

Quidquid autem sit de hac controversia, certum remanet prædictam præfatiunculam, remotissimæ antiquitatis esse.

Jam vero plane testatur Ecclesiæ praxim prohibendi libros. Nam verba hæc *quid vitare debeat*, aperte *prohibitas* denotant scripturas in catalogo canonicarum non positas. Nimirum illæ scripturæ hoc ipso apocryphæ declarabantur et prohibitæ.

Nota.— Anno 398 Constantinopolitanum Concilium Eunomium cum suis sequacibus condemnavit. Postea vero imperator Arcadius contra Eunomianos hancce legem tulit : *Codices sane eorum, scelerum omnium doctrinam ac materiam continentes, summa sagacitate mox quæri ac prodi exserta auctoritate mandamus, sub aspectibus judicantium mox cremandos. Ex quibus si quis forte aliqua occasione vel fraude occultasse nec prodidisse convincitur, sciat se velut noxiorum codicum et maleficii crimine conscriptorum retentorem capite esse plectendum* (codex Theodosianus, lege 34, *de hæreticis*, libro 16). Illa lex imperialis *directe* saltem non probat assertam Ecclesiæ praxim libros noxios prohibendi ; cum prohibitio ista, non ab ecclesiastica, sed a sæculari potestate pronuntiata fuerit. Et ideo in probationem legem hanc non adducimus. Valde tamen verisimile est, prohibitos jam ab Episcopis fuisse libros, contra quos imperator tanta utebatur severitate.

VII. Inter Africanos canones, qui dicuntur Concilii Carthaginensis quarti anni 398, occurrit et iste : *Ut Episcopus gentilium libros non legat ; hæreticorum autem pro necessitate et tempore.* Prior hujus canonis pars, difficile concordare videtur cum sententiis sanctorum Patrum, qui tanquam utilem com-

mendarunt ethnicorum scriptorum lectionem. Inter quos sic Augustinus (*de Doctrina christiana*, libro 2, cap. 40) : « Quid « aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne adspicimus « quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de « Ægypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissi- « mus; quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hila- « rius; ut de vivis taceam, quanto innumerabiles græci? » Sed cum eruditis compertum sit, præfatos canones, non esse canones alicujus particularis Concilii Carthaginensis, sed collectionem quamdam antiquorum canonum, e variis Conciliis desumptorum, evanescit dicta difficultas. Potuit enim fieri ut, ob abusum alicubi existentem, aliqua synodus ejusmodi decretum ediderit, et tamen utilem generatim ethnicorum librorum lectionem multi sancti Patres existimaverint. Sane redarguebat sanctus Hieronymus ævi sui sacerdotes, quod deprehenderentur, *omissis Evangeliis et Prophetis, comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, et id quod in pueris necessitas est, crimen in se facere voluptatis* (epistola 146). Quomodocumque autem dictæ difficultati respondendum videatur, certum remanet remotissimæ antiquitatis esse citatum canonem.

Jam vero ex ipso rigorose sequitur, non omnibus licitam fuisse hæreticorum librorum lectionem; siquidem ipsismet Episcopis non conceditur nisi *pro necessitate et tempore*. Imo eisdem Episcopis gentilium libri, absolute (si litterali sensui standum sit) interdicuntur. Ergo probat ille canon antiquam Ecclesiæ praxim libros noxios prohibendi.

VIII. *Celebris prohibitio et condemnatio operum Origenis.* — Anno circiter 400, instante potissimum Theophilo Alexandrino Episcopo, habita est synodus, in qua damnata sunt Origenis opera, et prohibitum ne quis ea legeret aut retineret. De quo sic Severus cognomento Sulpitius (dialogo 1, n. 3) : *Prospero cursu septimo die Alexandriam perveninus, ubi fœda inter Episcopos atque monachos certamina gerebantur, ex ea occasione, quia congregati in unum sæpius Sacerdotes frequentibus decrevisse sy-*

nodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet... Adversum hæc Episcopi obstinatius resistentes, pro potestate cogebant, recta etiam universa cum pravis et cum ipso auctore damnare; quia satis superque sufficerent libri quos Ecclesia recepisset; respuendam penitus esse lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quam profutura sapientibus.

Finita dicta Synodo, « statim ad Anastasium Romanum « Pontificem scripsit Theophilus... Anastasius autem, in Con- « cilio extra ordinem habito, Origenem ipsiusque doctrinam « et libros damnavit. Insuper Eusebium presbyterum Mila- « num et Aquileiam deputavit, ut earum civitatum Episcopi « similem in suis synodis condemnationem pronuntiarent. « Epistolam ab Anastasio Papa ad Simplicianum Mediolanensem « Episcopum hac de re scriptam, conservatam debemus cuidam « *Ambrosiano* codici, ex quo primum illam Vallarsius edidit. « In hac autem epistola sic scribit Anastatius : *Conventus lit-* « *teris memorati Theophili, convenio sanctitatem tuam certiorem-* « *que reddo, damnasse Nos, ne quis contra præceptum legat hæc* « *quæ diximus blasphema Origenis commenta; hoc præceptum* « *tenentes, illud quidquid est fidei nostræ contrarium, ab Origene* « *quondam scriptum, a nobis esse alienum atque punitum*... Porro « duo illi Episcopi (Medionalensis et Aquileiensis), acceptis « Romani Pontificis litteris, mox synodos suas coegerunt, et « nova condemnatione Origenem cum suis scriptis proscripse- « runt » (Zaccaria, *Storia polemica*, libro 1, epoca 1, n. 15).

Narrat Sozomenus (libro 8, cap. 14) a sancto Epiphanio celebratam synodum Cypri, in qua pariter prohibiti sunt Origenis libri : *convocato Cypriorum Concilio, lectionem librorum Origenis damnat, et perscripto eorum ipsorum decreto, tum aliis, tum Constantinopolitano Episcopo suadet, ut synodum convocent, et eadem decernant* (vide etiam Socratem, l. 6, c, 9).

Ergo certo certius est prohibitam revera fuisse auctoritate ecclesiastica librorum Origenis lectionem.

Cæterum hisce decretis ecclesiasticis sæcularis brachii auxilium imperatores admoverunt. Nimirum obtinuit sanctus

Hieronymus, ut ipsi quoque edictis suis Origenistas proscriberent. *Imperatorum quoque scripta*, inquit, *quæ de Alexandria et Ægypto Origenistas pelli jubent, me suggerente dictata sunt* (libro 2 contra Rufinum).

Et de his imperatorum edictis mentionem facit Anastasius Papa, in suis litteris : *Illud quoque*, ait, *quod evenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum Principum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens ab Origenis lectione revocetur, damnandumque sententia Principum, quem lectio rerum profana prodiderit.* (Vide apud Zaccaria, loco citato).

IX. Anno 405 Exuperio Tolosano Episcopo misit Innocentius I sacrarum scipturarum canonem. Postquam autem ibi authenticos veteris et novi testamenti libros enumeravit, ita subjungit : « Cætera autem quæ, vel sub nomine Mathiæ, « sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri et Joannis, quæ « a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Thomæ, et « si qua sunt talia, *non solum repudianda, verum etiam noveris « esse damnanda.* » Ergo Ecclesiæ olim praxis fuit, non solum repudiare apocryphos Sacræ Scripturæ libros, sed etiam eos *damnare*. Quod immerito quidam Protestantes hujus Innocentii I epistolæ authenticitatem in dubium vocaverint, vide apud Zaccariam, loco citato, n. 18. Epistolam ipsam reperies tomo tertio *operum sancti Leonis*, a Ballerinis fratribus editorum.

X. Anno 416 librum Pelagii miserunt Episcopi Africani ad Innocentium I; postulantes ut auctoritate sua Innocentius Pelagium cogeret, sive ad negandum scripta hæc esse sua, sive ad ea retractanda : *Anathemet*, inquiunt, *Pelagius scripta sua... Aut si sua esse negat, anathemet ea tamen et damnet, paterna exhortatione et auctoritate Sanctimoniæ tuæ... Si enim cognoverint* (ipsius asseclæ) *eumdem librum, quem illius vel putant esse vel norunt, Episcoporum catholicorum auctoritate, et maxime Sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis non dubitamus* etc (apud Constant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 906).

XI Anno 431, Ephesini Concilii Patres ab imperatore pos-

tularunt, ut Nestorii libros perquiri juberet et flammis tradi. Ipsorum verba, necnon legem imperialem hac de re editam, vide apud Zaccaria (*Storia polemica*, l. 1, epoca 1, n. 21).

XII Anno 446, sanctus Leo Magnus Manichæos, *de secretis suis erutos et oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudinem et damnare fecit et prodere, incensis eorum codicibus, quorum magnæ moles fuerunt interceptæ... Multique orientalium partium sacerdotes industriam Apostolici Rectoris imitati sunt* (Prosper, in suo *Chronico*). Quam agendi rationem cum videret Fevret gallicano suo systemati nequaquam accommodari posse, dixit æstimatam fuisse *grave contra regiam auctoritatem attentatum* (l. 8, c. 2, n. 7).

XIII. Anno 447, prohibiti Priscillianistarum libri — Jussit nempe sanctus Leo Magnus ut Hispaniarum Episcopi ejusmodi libros prohiberent et flammis concremarent. En ipsius verba (in epistola ad Turibium, Episcopum Asturiensem, capite 14, 15 et 16) : « Ut hæc mendaciorum suorum sacrilegia « bonis titulis colorarent, omnia pene divina eloquia sensuum « nefandorum immissionibus violarunt. De qua re quinti- « decimi capituli sermo conqueritur, et præsumptionem « diabolicam merito detestatur ; quia et nos istud veracium « testium relatione comperimus, et multos corruptissimos « eorum codices, qui canonici titularentur, invenimus. Quo- « modo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula « quodam melle perlinirent, ne usquequaque sentirentur in- « suavia, quæ essent futura mortifera. Curandum est et sa- « cerdotali diligentia maxime providendum, ut falsati codices « et a sincera veritate discordes, *in nullo usu lectionis habeantur*. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apos- « tolorum habent seminaria falsitatum, *non solum interdicendæ « sunt, sed etiam penitus auferendæ, atque ignibus concremandæ*. « Quamvis enim sint in illis quædam quæ videantur speciem « habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis ; et « per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mira- « bilium narratione seductos laqueis cujuscumque erroris in

« volvant. *Unde si quis Episcoporum, vel apocrypha habere per*
« *domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices*
« *in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina emenda-*
« *tione vitiati sunt, hæreticum se noverit judicandum ;* quoniam
« qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.
« Postremo autem capitulo hoc prodidit justa querimonia,
« quod Dictinii tractatus, quos secundum Priscilliani dogmata
« conscripsit, a multis cum veneratione legerentur ; cum, si
« quid memoriæ Dictinii tribuendum putant, reparationem
« ejus magis debeant amare, quam lapsum. Non ergo Dicti-
« nium, sed Priscillianum legunt ; et illud probant quod errans
« docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impune
« præsumat ; *nec inter catholicos censeatur, quisquis utitur scrip-*
« *tis, non solum ab Ecclesia caholica, sed etiam a suo auctore*
« *damnatis.* Non sit perversis liberum simulare quod fingunt;
« nec sub velamine nominis christiani decretorum imperia-
« lium statuta declinent. Ideo enim ad Ecclesiam catholicam
« cum diversitate tanta cordis conveniunt, ut et quos possunt
« suos faciant, et legum severitatem, dum se nostros men-
« tiuntur, effugiant. » (Hanc sancti Leonis epistolam reperies, cum variantibus diversorum codicum lectionibus, in collectione conciliorum Mansi, tomo 5, col. 1286. Nos reproduximus lectionem quam secutus est Zaccaria, *Storia polemica*, libro 1, epoca 1, n. 23).

XIV. Circa annum 496, celebre decretum Gelasii Papæ — Quod authenticum sit hocce documentum, vide probatum a Zaccaria (loco citato, epoca 2, n. 1) contra nonnullos Protestantes. Item pauca quædam (quæ aliquibus in codicibus, non in aliis, reperiuntur) non esse Gelasii, sed a subsequentibus Pontificibus adnexa, vide ibidem. Decretum illud reperies apud Labbe, tomo quarto *conciliorum*, col. 1260,

Continet autem, inter alia, verum ac propriedictum librorum *prohibitorum indicem*. In secunda enim ipsius parte (quæ inscribitur, *Gelasii Papæ decretum cum 70 Episcopis habitum de apocryphis scripturis*), sic habetur : *Cætera quæ ab hæreticis sive*

schismaticis conscripta vel prædicata sunt, nullatenus recipit catholica et Apostolica Romana Ecclesia; e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, et a catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

Et ibi designantur libri sexaginta tres. Postea subjungitur: *Hæc et omnia his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion...., necnon et omnes hæretici eorumque discipuli sive schismatici docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur, non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana Catholica et Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur damnata.* Ibi sane prohibetur lectio ejusmodi librorum, id est, verum edicitur præceptum eos non legendi, prout indicant verba hæc, *non solum repudiata verum etiam eliminata, et sub anathematis vinculo damnata.* Unde quinto sæculo jam vigebat praxis libros noxios prohibendi, etiam ea forma quæ nunc viget, id est, cum *prohibitorum librorum indice.*

XV. Manichæorum libri a Pontificibus Gelasio, symmacho et Hormisda incendio combusti sunt. Id refert Anastasius bibliothecarius. De Gelasio quidem his verbis: *Codices* (Manichæorum) *ante fores basilicæ sanctæ Mariæ incendio concremavit.* De Symmacho: *Post hæc omnia beatus Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra vel codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremavit, et eos ipsos exilio relegavit.* De Hormisda: *Hic invenit Manichæos, quos etiam discussos cum exterminatione plagarum exilio deportavit.*

XVI. Anno 563, Concilium Braccarense, canone 17, decrevit in hunc modum: *Si quis scripturas, quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel tractatus Dictinii (quos ipse Dictinius antequam converteretur scripsit), vel quæcunque hæreticorum, sub nomine patriarcharum, prophetarum et Apostolorum, suo errori consona confinxerunt, legit, et impia eorum figmenta sequitur aut defendit, anathema sit.*

XVII. Circa annum 596, apud Anastasium quemdam in uno e monasteriis Isauriæ presbyterum, repertus est codex, *in*

quo plurima continebantur hæretica. Quapropter jussit Joannes Constantinopolitanus Episcopus presbyterum illum tanquam hæreticum vapulare. Delata est causa ad sanctum Gregorium Magnum, qui missum ad se dictum codicem diligenter legit, atque ita rescripsit : *Et quoniam manifesta in eo hæreticæ pravitatis venena reperimus, ne denuo debuisset legi vetuimus.* (Libro 5 epistolarum, epist. 64 veteris editionis). Ipse autem Anastasius jussus est fidei suæ professionem, simulque promissionem de non legendo dicto codice, ad sanctum Gregorium transmittere.

XVIII. Anno 649, in Concilio Lateranensi, canone 18 (apud Labbe, tomo 6, col. 355) : *Si quis... non respuit et anathematizat anima et ore omnes quos respuit et anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem sancta Dei Ecclesia Catholica et Apostolica.., hujusmodi condemnatus sit.* De qua proscriptione sic Martinus I ad Amandum Episcopum : *Memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, et Apostolico mucrone patrumque definitionibus uno ore unoque spiritu condemnavimus; ut cognoscentes universi errorem qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur* (apud Labbe, tomo 6, col. 384).

XIX. Anno 680, in Concilio generali sexto (actione 13, apud Labbe, tomo 6, col. 972) de libris monothelitarum hæc occurrunt : *Et providimus profana et animæ perniciosa, continuo, ob perfectum exterminium, igne concremari. Et combusta sunt.*

XX. Anno 692, in Concilio Trullano, canone 63, de confictis quibusdam martyrum historiis ita decretum est : *Jubemus... eas igni tradi* (apud Labbe, tomo 6, col. 1172).

XXI. In Concilio romano anni 745, lectis libris cujusdam Aldeberti, *Zacharias sanctissimus ac beatissimus Papa dixit : Quid ad hæc, sanctissimi fratres, respondetis? Sanctissimi Episcopi et venerabiles presbyteri responderunt : quid aliud agendum est, nisi ut omnia quæ nobis relecta sunt igni concrementur, auctores vero eorum anathematis vinculo percellantur?... Zacharias sanctissimus ac beatissimus Papa dixit : optime provisum est a vestra sanctitate, ut scripta illius omnia igne crementur. Sed opportu-*

num est, ut in scrinio nostro ad reprobationem et ad perpetuam confusionem ejus reserventur (apud Labbe, tomo 6, col. 1561). Quis fuerit dictus Aldebertus, vide in epistola sancti Bonifacii martyris ad Papam Zachariam (apud Labbe, loco citato, col. 1557).

XXII. In Concilio Nicæno II, anno 787, actione 8, canone 9, sic habetur : *De non abscondendo libro quolibet hæreseos Christianos accusantium. Omnia puerilia ludibria, insanasque debacchationes, atque conscripta quæ falso contra venerabiles imagines facta sunt, dari oportet in episcopio Constantinopoleos, ut recondantur cum cæterorum hæreticorum libris. Si vero quis inventus fuerit hæc occultare, siquidem Episcopus aut presbyter vel diaconus fuerit, deponatur : si vero monachus aut laicus, anathematizetur* (Labbe, tomo 7, col. 603). In eodem Concilio, actione 5, post pronuntiatam damnationem cujusdam libri, in quo falsa Apostolorum acta enarrabantur, ita occurrit : *Joannes reverendissimus monachus, et vicarius orientalium Pontificum, dixit : si placet sanctæ ac universali huic Synodo, fiat sententia, ne ulterius scribant aliqui sordidum istum librum. Sancta Synodus dixit : nemo scribat : non solum hoc, sed igni eum dignum judicamus tradendum* (apud Labbe, tomo 7, col. 363).

XXIII. A Timotheo Nestorianorum Patriarcha (qui obiit anno 820) edita est synodalis constitutio, tenoris hujuscemodi : « Antiquus invaluit mos, qui etiamnunc in Ecclesia vi-
« get, ut nemo magistri munus sua sponte sibi præsumat,
« neve interpretem agere, aut libros componere, absque
« permissu et præcepto illius, qui universalis Ecclesiæ regi-
« men et gubernacula obtinet. Et hac quidem lege quicum-
« que commentaria tractatusve elucubrarunt, sese conti-
« nuere. Libros enim quos componebant, expositiones et in-
« terpretationes quas elaborabant, antequam ad vulgi manus
« venirent, ad Patriarcham aut transmittebant, aut ipsi per
« se deferebant. Qui si ad id idoneus foret, suo ipse ingenio
« intelligentiaque eorum libros examinabat ; factaque inqui-
« sitione, siquidem eæ lucubrationes adprobationem et co-

« ronam mererentur, adprobabantur et coronabantur. Sin « vero adprobatione illa indignas Patriarcha censuisset, reji- « ciebat velut ecclesiasticis legibus contrarias, damnabatque... « Si vero Patriarcha ob defectum scientiæ examen perficere « non sufficeret, ad id operis Episcopos eruditos et doc- « tores exercitatos advocabat; et collata opera definiebant, « utrum libri suscipiendi vel rejiciendi viderentur. Et hæc « sane fuit antiquorum regula, quæ nostris quoque tempori- « bus obtinet. Nam Ephræmus, qui cathedram et thronum Ela- « mitarum tenet, et ille alter pudicus castusque Raban Moses « presbyter et doctor, tertius etiam doctus et acutus Abu Noe, « lucubrationes ab ipsis elaboratas, antequam a quopiam vide- « rentur, ad nos transmisere, scripseruntque in hæc verba : « cognitionis tuæ fornace eas explorato, et sapientiæ tuæ igne « expurgato. Et siquidem in Ecclesiæ archiva recipiendas « judicaveris, easdem recipi jubeto: sin hoc honore indignas « censueris, fac ut in mare projiciantur aut igne absumantur. « Et isti quidem viri Dei amantes sic fecerunt. » (Apud Zaccaria, *Storia polemica*, l. 1, epoca 2, n. 24).

XXIV. In Concilio Parisiensi, anni 829 : *Quoniam multi sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus secus quam jura canonica decernunt imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonum auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant...; omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, et inventos igni tradat ; ne per eos ulterius sacerdotes imperiti homines decipiant.* (Apud Labbe, tomo 7, col. 1621).

XXV. Anno 866, sanctus Nicolaus I, in sua responsione ad Bulgaros: *De libris profanis, quos a Sarracenis vos abstulisse ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit inquiritis: qui nimirum non sunt reservandi : corrumpunt enim, sicut scriptum est, mores bonos colloquia mala : sed utpote noxii et blasphemi igni tradendi* (apud Labbe, tomo 8, col. 548).

XXVI. Anno 868, sic in Concilio decrevit Adrianus II : « De

« iis vero qui eidem impio conciliabulo consenserunt vel « subscripserunt, si decreta decessoris mei secuti fuerint, et « ad reverendi Patriarchæ Ignatii communionem repedaverint, « atque idem conciliabulum anathematizaverint, atque mo- « numenta illius vel exemplaria inventa cremaverint, Eccle- « siæ communione fruantur... Ergo quandiu post notitiam « hujus Apostolicæ sanctionis sibi perlata monumenta vel « exemplaria ipsius execrandi conciliabuli penes se quispiam « retinens celaverit vel defenderit, et non potius propalave- « rit vel igni tradiderit, tandiu anathemate constrictus com- « munionis Christi munere careat. Quin imo si clericus est, « qui postmodum hæc vel celare vel defendere convictus « fuerit, gradum quo potiebatur amittat: similiter et de illo « statuimus qui hæc occultare putatur, et ipse hinc impetitus « nec respondere nec decretis Apostolicæ Sedis in hac parte « parere consenserit. » (Apud Labbe, tomo 8, col 1093).

XXVII. Anno 1140 rescripsit Innocentius II ad Rhemensem et Senonensem Archiepiscopos et ad sanctum Bernardum: « Per præsentia scripta fraternitati vestræ mandamus, qua- « tenus Petrum Abelardum et Arnaldum de Brixia, perversi « dogmatis fabricatores et catholicæ fidei impugnatores, in « religiosis locis ubi vobis melius visum fuerit separatim fa- « ciatis includi; et libros erroris eorum, ubicumque reperti « fuerint igne comburi. » (Apud Labbe, tomo 10, col. 1023).

XXVIII. Anno 1148, in Concilio Rhemensi, damnata sunt scripta Gilberti Porretani, Pictaviensis Episcopi: « Ibidem « Dominus Papa, auctoritate Apostolica, de adsensu totius « Ecclesiæ quæ convenerat, capitula ipsa damnavit, districte « præcipiens, ne eumdem librum legere, vel transcribere « etiam sic reprobatum quis auderet, nisi prius eum Romana « Ecclesia correxisset. Cumque responderet Episcopus: ego « corrigam ad arbitrium vestrum: non vobis, ait, hæc cor- « rectio committetur. » (Apud Labbe, tomo 10, col. 1125).

XXIX. Anno 1209, in Concilio Parisiensi editum est hocce decretum: « 1° Quaternuli magistri David de Dinant, infra

« Natale, Episcopo Parisiensi adferantur et comburantur. « 2° Nec libri Aristotelis de naturali philosophia, nec com- « menta legantur Parisiis publice vel secreto; et hoc sub « pœna excommunicationis inhibemus. 3° De libris theologi- « cis scriptis in *romano* (1), præcipimus quod Episcopis diœ- « cesanis tradantur. » (Apud Martene, *Thesaurus novorum anecd.*, tomo 4, col. 166.)

XXX. Anno 1229, in Concilio Tolosano, canone 14, præsidente legato Summi Pontificis : « Prohibemus etiam ne libros « Veteris Testamenti aut Novi laici permittantur habere; nisi « forte psalterium, vel breviarium pro divinis officiis, aut « horas Beatæ Mariæ aliquis ex devotione habere velit. Sed « ne præmissos libros habeant in vulgari translatos arctissime « inhibemus. » (Vide apud Zaccaria, *Storia polemica*, l. 1, epoca terza, n. 14.)

XXXI. Anno 1256, ab Alexandro IV damnatus est liber Guillelmi a Sancto Amore : « Nos libellum eumdem... aucto- « ritate Apostolica reprobamus et in perpetuum condemna- « mus: destricte præcipientes, ut quicumque libellum ipsum « habuerit, cum intra octo dies, ex quo hujusmodi nostram « reprobationem et condemnationem sciverit, prorsus et in « toto et in qualibet sui parte comburere et abolere procu- « ret. In illos enim qui hujus nostri præcepti fuerint contem- « ptores, excommunicationis sententiam promulgamus. » (Apud Zaccaria, *Storia polemica*, libro 1, epoca 3, n. 19.)

Hic nos ejusmodi documentorum enumerationem claudemus. Qui eam usque ad decimum octavum sæculum perductam perspicere cupit, adeat clarissimum Zaccariam (*Storia polemica delle proibizioni de' libri*, l. 1). Est ergo ex documentis historicis omnino certum, Ecclesiam sibi perpetuo jus vindicasse noxios libros prohibendi, etiam sub pœnis gravissimis; imo et eorumdem combustionem injungendi. Ecclesia autem in perpetua ac generali praxi sua errare nequit: ergo revera ei dictum jus competit.

(1) Id est in vulgari hujus temporis idiomate, quod ***romanum*** vocabatur.

Propositio V^a^. — *Ecclesiæ competere potestatem libros noxios prohibendi probat Patrum et Conciliorum auctoritas.* — Ex adductis superiori propositione documentis constat Patres et Concilia dictam Ecclesiæ potestatem pro certa omnino habuisse. Addemus dumtaxat duorum Conciliorum œcumenicorum auctoritatem; nimirum Lateranensis anni 1515, et Tridentini; quibus vetitum est ne ullus liber imprimatur, nisi prius facultatem tribuerit ecclesiastica auctoritas.

Propositio VI^a^. — *Ecclesiæ competit potestas librorum impressionem legibus suis moderandi* — Probatur 1° ex fine ad quem Ecclesia divinitus instituta est. Prout enim diximus supra, propositione 4, Ecclesiam instituit Christus in hunc finem, ut, per auctoritatem ipsi præpositam ac sacerdotium in ea constitutum, homines vera fidei doctrina et morum regula informati, divinisque sacramentorum influxibus donati, ad æternam visionis intuitivæ beatitudinem perducerentur. Cum autem non potuerit Christus velle finem quin voluerit et media, sequitur instructam ab ipso fuisse Ecclesiam necessaria et opportuna potestate ad dictum finem assequendum. Ergo potestatem habet Ecclesia ea omnia prohibendi, quæ æternam fidelium salutem in discrimen adducerent. Jam vero ex effræna libertate libros quoslibet edendi, summum oritur fidei et morum subversionis periculum; ut satis constat ex dictis supra (propositionibus 1, 2 et 3). Ergo potestatem habet Ecclesia prohibendi ne typis mandentur libri noxii. Ergo potestatem habet prohibendi ne ulli imprimantur libri, nisi prius ipsa eos examinaverit et edendi facultatem concesserit. Nec objiciatur satis arceri periculum per prohibitionem libros noxios legendi, quin necesse sit eorum etiam impressionem impediendi: id enim omnino falsum et præsens hominum conditio et experientia testantur. Semel enim editis pravis libris, fidelium multi tentatione abripientur, et eos libros, non obstante prohibitione, legent; quos tamen non legissent, si impedita fuisset eorumdem impressio ac divulgatio.

Idem probatur 2° auctoritate Nam ante inventam typo-

graphicam artem, prohibere consuevit Ecclesia ne libri pravi ac noxii a fidelibus detinerentur : jubebat nempe ut ejusmodi libri igne cremarentur, aut saltem in episcopiis absconderentur ; ita ut jam non possent nova exemplaria transcribi, et ad vulgi manus pervenire. Id constat ex adductis sub propositione 4 documentis. Porro si Ecclesia sic efficaciter impediendas duxit novas manuales noxiorum librorum transcriptiones, a fortiori eorum impressionem typographicam impedivisset, si jam tunc ars typographica inventa fuisset. Hinc statim ac inventa fuit ars illa, prodiere auctoritatis ecclesiasticæ leges ad eam moderandam ; et ne libri ulli absque ejusdem auctoritatis licentia imprimerentur sancitum est. Nonnullas ejusmodi leges memorabimus :

In Constitutione Alexandri VI *inter multiplices*, 1 junii 1501, sic disponitur : « perniciosum et maxime eidem humano ge« neri inimicum censeri debet, si ea quæ noxia sunt et sanis « doctrinis honestisque moribus, et imprimis orthodoxæ re« ligioni comperiuntur adversa, publicentur... Hinc est, quod « sicut ars impressoria litterarum, utilissima habetur ad faci« liorem multiplicationem librorum probatorum et utilium, « ita plurimum damnosam foret, si illius artifices ea arte « perverse uterentur, passim imprimendo quæ perniciosa « sunt... Unde nos..., hujusmodi detestandæ labi sine ulte« riori dilatione occurrere cupientes, ut ex commisso desu« per pastorali officio tenemur, omnibus et singulis dictæ « artis impressoribus..., sub excommunicationis latæ senten« tiæ pœna, quam eo ipso, si contra fecerint, incurrisse nos« cantur..., auctoritate Apostolica, præsentium tenore distri« ctius inhibemus, ne de cætero libros, tractatus aut scriptu« ras qualescumque imprimere aut imprimi facere quoquo« modo præsumant, nisi consultis prius super hoc Archiepi« scopis vel vicariis aut officialibus præfatis, ac eorum « speciali et expressa impetrata licentia, gratis concedenda. » (Constitutionem integram reperies apud Zaccaria, *Storia polemica*, libro 1, epoca 5, n. 1.) Eo magis notatu dignæ sunt in-

signes Alexandri VI Constitutiones, ac circa dogma et morum disciplinam accuratissimæ decisiones, quod a tali Pontifice prodierint. Inde enim magis patefit quanta cum cura invigilet Christus, ne unquam a portis inferi commoveatur Petra, super quam ædificatam voluit Ecclesiam suam.

In Concilio generali Lateranensi, anno 1515, sessione 10, sic decrevit Leo X: « Nos itaque, ne id quod ad Dei gloriam « et fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem « salubriter est inventum (*nimirum ars typographica*) in contra- « rium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum « pariat, super librorum impressione curam nostram haben- « dam duximus, ne de cætero cum bonis seminibus spinæ « coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes « igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sa- « cro approbante Concilio, ut negotium impressionis librorum « hujusmodi eo prosperetur felicius quo deinceps indago soler- « tior diligentius et cautius adhibeatur, statuimus et ordina- « mus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus li- « brum aliquem seu aliam quamcumque scripturam, tam in Urbe « nostra, quam aliis quibusve civitatibus et diœcesibus impri- « mere seu imprimi facere præsumat, nisi prius, in Urbe, per « vicarium nostrum et sacri Palatii magistrum, in aliis vero « civitatibus et diœcesibus per Episcopum, vel alium haben- « tem peritiam scientiæ libri, seu scripturæ hujusmodi im- « primendæ, ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac in- « quisitorem hæreticæ pravitatis civitatis sive diœcesis, in « quibus librorum impressio hujusmodi fieret, diligenter « examinentur, et per eorum manu propria subscriptionem, « sub excommunicationis sententia gratis et sine dilatione « imponendam, adprobentur. Qui autem secus præsumpserit, « ultra librorum impressorum amissionem et illorum publi- « cam combustionem, ac centum ducatorum fabricæ principis « Apostolorum de Urbe sine spe remissionis solutionem, ac « anni continui exercitii impressionis suspensionem, excom- « municationis sententia innodatus existat. »

In Concilio Bituricensi, anno 1528, decreto 3: « Decernit « et statuit ne quis librarius libros infectos Lutherana hæresi « et sequacium vendat, neve impressores imprimant, neve « habentes apud se detineant, sed intra mensem unum Ordi- « nariis locorum aut vicariis eorumdem exhibeant, neve ali- « qui emant. Si quis vero hoc præsenti decreto et ejus pro- « mulgatione admoniti contravenerint, venditores, impresso- « res, emptores et detentores carceribus includantur, et alia « pœna arbitraria puniantur. » (Apud Labbe, t. 14,col. 426).

In Concilio Senonensi (Parisiis celebrato) anno 1528, decreto 33 inter disciplinaria: « Prohibemus ne deinceps per « provinciam nostram imprimantur libri sacri aut sanctorum « Doctorum qui vel de fide aut moribus ecclesiasticis habeant « tractatum, sine nostra suffraganeorumque nostrorum per « suas diœceses speciali auctoritate et permissione. Contra « facientes ipso facto sententiæ excommunicationis subja- « ceant. » (Apud Labbe, tomo 14, col 478).

Item in Concilo Colonienſi anno 1536, prohibita fuit librorum impressio absque prævia ecclesiasticæ auctoritatis licentia. (Apud Labbe, tomo 14, col. 559).

Et tandem notissima hac de re decreta edidit Tridentina Synodus, de quibus infra sermo recurret.

Unde revera Ecclesiæ competere potestatem librorum impressionem legibus suis regendi ac moderandi, prorsus evincunt, et ipse finis ad quem Ecclesia divinitus instituta est, et auctoritates quibus sese subjicere catholicus quisque tenetur.

Propositio VII[a]. — *Dicta Ecclesiæ potestas quoad librorum impressionem et prohibitionem extenditur ad omnes libros, qui fini Ecclesiæ proprio officere possunt: et an tales sint libri, judicare pertinet ad ipsammet Ecclesiam.* — 1° Quod dicta Ecclesiæ potestas extendatur ad libros omnes qui fini Ecclesiæ proprio (id est, æternæ fidelium saluti) officere possunt, aperte sequitur ex superioribus propositionibus. Hoc ipso enim quod liber aliquis talis sit, ut legentis fidem ac mores in discrimen adducere valeat, urgent rationes omnes, quibus probavimus posse

libros *noxios* ab Ecclesia prohiberi. Talis quippe liber ex hoc ipso inter *noxios* computandus est.

2° An aliquis liber sit, necne, pro noxio habendus, judicium ad ipsammet Ecclesiam pertinet. Etenim hoc ipso quod Christus pastoralem auctoritatem in Ecclesia instituerit ad pascendum totum ovile, penes eamdem auctoritatem esse voluit dijudicare quænam pascua salutaria forent et quænam noxia. Præterea, judicare an liber aliquis sit necne spirituali animarum saluti noxius, est judicare de re ad religionem pertinente seu de re spirituali. Jam vero judicium circa religionem et res spirituales ad Ecclesiam pertinere dogma catholicum est. Insuper potestatem sibi perpetuo vindicavit Ecclesia non solum noxios libros prohibendi, sed etiam simul pronuntiandi eos esse nocuos. Ecclesia autem constanti ac generali praxi sua nequit sibi potestatem tribuere quam non haberet; prout supra jam diximus. Tandem præter auctoritatem Ecclesiæ, nulla alia in mundo est quæ prætendere queat, sibi a Christo commissam esse potestatem decidendi, quinam libri sint æternæ fidelium saluti noxii.

Propositio VIII^a^. — *Dicta Ecclesiæ potestas noxiorum librorum lectionem prohibendi, ad Sacram etiam Bibliam extenditur.* — Ecclesiæ scilicet jus competit Sacrorum Bibliorum lectionem prohibendi nonnullis fidelium classibus. Etenim 1° falsum est, quod asserunt Protestantes, extare divinum et universale præceptum, quo singuli fideles Scripturæ Sacræ textum legere teneantur. Equidem semper commendavit semperque commendabit Ecclesia Sacræ Scripturæ lectionem: at iis quibus lectio hæc utilis aut necessaria est, prout sunt Episcopi ac clerici, et aliis qui sufficienti scientia jam instructi sunt ad discernendum verum sacri eloquii sensum, ac devitandos errores. Certum est, ita sublimen ac intellectu difficilem esse multis in locis Sacram Scripturam, ut rudibus ac temerariis facile esse possit errandi occasio. Quod invicte probat immensa illa hæresum sylva, quæ omnes ferme in aliquo perperam intellecto sacræ textu nitebantur. Absonum ergo est præ-

cepto divino teneri quoslibet etiam rudes et ignaros ad legendam Sacram Scripturam; et frustra ad probandum ejusmodi præceptum allegant Protestantes varia sanctorum Patrum dicta; utpote quorum sensus non is est, sed valde diversus; prout singula percurrendo centies probarunt doctores catholici. 2° Semel autem admisso, quoad nonnullas fidelium classes noxiam esse posse Sacrorum Bibliorum lectionem, consequens est ut possit Ecclesia lectionem illam prohibere; cum Ecclesiæ competat potestas noxia quælibet a fidelibus arcendi. Hinc jure suo usa est Ecclesia, Biblias in linguam vulgarem translatas prohibendo; ne scilicet a rudibus et imperitis sacræ paginæ legerentur, cum errandi periculo. 3° Cæterum non absolute prohibet Ecclesia dictam lectionem; sed cum hac limitatione, nisi abesse errandi periculum existimet superior ecclesiasticus, et facultatem concedat. Quo nihil sapientius esse vel ipsi Protestantes faterentur, nisi eos plene obcæcaret defendendæ suæ sectæ studium.

Propositio IX^a^. — *Dicta Ecclesiæ potestas librorum noxiorum lectionem prohibendi, extenditur ad scripta periodica, etiam nondum edita aut composita.* — Etenim ex ejusmodi scriptis jam editis facile prævidetur qualia futura sint quæ subsequentur; cum ab iisdem fere scriptoribus, eumdem in scopum, et nec dissimili plerumque doctrina concinnari soleant. Unde, verbi gratia, si diarium aliquod impia, hæreticalia et bonis moribus adversa continere consueverit, talia et in foliis subsecuturis haud defutura moraliter certum est. Aliunde autem qui prava ejusmodi scripta periodica edunt, ecclesiasticæ auctoritati examinanda et approbanda prævio non submittunt. Ergo si Ecclesia non posset ea scripta prohibere nisi jam edita, unumquodque folium seu unusquisque codex jam venenum infudisset, ante supervenientem prohibitionem. Præterea quotidie pro singulis editis foliis publicanda forent totidem prohibitoria decreta; quod vix ac ne vix quidem in praxi fieri potest. Ergo si Ecclesia prohibere non posset dicta scripta periodica nisi jam edita, careret opportuna ac neces-

saria potestate ad arcendam a fidelibus quammaximam pestem, permanens scilicet fidei ac morum subversionis periculum. Quod cum dici nequeat, concludendum est, ecclesiasticæ auctoritati competere potestatem periodica scripta prohibendi, non tantum quoad partes jam editas, sed etiam quoad edendas in futurum, quando valde probabile vel moraliter certum est, eas pravas ac noxias fore.

Propositio X^a^. — *Dicta Ecclesiæ potestas librorum noxiorum lectionem prohibendi, ita intelligenda est, ut possit Ecclesia libros etiam de se bonos prohibere, si absque auctoris nomine edantur.* — Per se quidem pravum non est librum edi, tacito auctoris nomine. At tales dari possunt locorum et temporum circumstantiæ, ut anonymos edendi libros facultate multi ad infundenda errorum et corruptelarum venena abutantur. Hinc Ecclesia, utpote instructa omni necessaria ac opportuna potestate ad arcenda noxia quælibet, poterit etiam libros absque auctoris nomine editos prohibere.

Objicies.— Viri pii ac sancti libros anonymos ediderunt.— *Respondeo:* et ita fecerunt non extante dicta Ecclesiæ prohibitione, concedo: et ita fecissent aut hodie facerent, extante prohitione hujusmodi, nego. Unde adductum exemplum probat solummodo non semper extitisse dictam prohibitionem ; at nequaquam probat penes Ecclesiam non esse jus prohibitionem illam decernendi, quandocumque opportunam eam existimabit.

Propositio XI^a^. — *Dicta Ecclesiæ potestas librorum noxiorum lectionem prohibendi ita intelligenda est, ut possit Ecclesia libros bonos ab hæreticis scriptos prohibere ; quo casu prohibitio* in odium auctorum *facta dicitur.* — Dantur libri ab hæreticis scripti, in quibus nihil pravi occurrit ; prout sunt libri non pauci de physica, mathesi et similes. Horum etiam librorum lectionem prohibendi potestatem habet Ecclesia. Nam qui bonum hæretici scriptoris librum legit, facile allicitur ad legenda etiam prava ejusdem scriptoris opera. Ita enim sunt homines natura comparati, ut librum scite ac bene scriptum legendo, paulatim erga auctorem bene afficiantur, atque ad legenda cætera

ejusdem scripta vehementer impellantur. Ergo quoad fideles periculo non vacat, quod bonos etiam hæreticorum libros legant. Ecclesiæ autem, ut probavimus, competit potestas noxiorum quorumlibet scriptorum lectionem fidelibus interdicendi : ergo et poterit prohibere ne bonos etiam libros ab hæreticis scriptos legant.

Præterea, juste privatur scriptor hæreticus facultate fideles edocendi etiam in re indifferenti. Pœnam enim illam meretur, tum ex eo quod prava etiam scripta ediderit, tum ex eo quod bonos suos libros ecclesiasticæ auctoritatis judicio non subjecerit, sicque justam Ecclesiæ legem violaverit.

Objicies 1°. — Per ejusmodi prohibitionem sine justa causa infertur damnum fidelibus et toti societati : impeditur scilicet in re litteraria ac scientifica progressus, ad quem plurimum juvant dicti libri boni, ab hæreticis scripti; et impedimentum illud injuste apponitur, cum (ex hypothesi) pravi non sint ejusmodi libri.

Respondeo. — *Primo*, noxios esse libros illos, licet in se bonos, eo quod facile impellant ad legenda prava eorumdem auctorum opera, sicque fidei et morum subversionis occasio esse possit eorum lectio. Eam ergo lectionem juste prohibere posset Ecclesia, etiam cum aliquo rei litterariæ ac scientificæ damno : æterna enim animæ salus cuilibet in scientiis et litteris progressui anteponenda est. *Secundo*, falsum est ex tali prohibitione impediri dictum progressum litterarium et scientificum. Etenim quæ huic progressui utilia sunt, plerumque libri a catholicis scripti melius aut saltem æquivalenter exhibent. Insuper si quis fidelium utile sibi existimet et nequaquam nocivum, aliquem hæretici scriptoris librum legere, id facile ac licite, non obstante dicta prohibitione, facere potest : postulando scilicet a superiore ecclesiastico licentiam, quæ nonnisi justa de causa denegari solet. Ergo nunquam sequetur prætensum illud rei litterariæ ac scientificæ detrimentum.

Objicies 2° — Evangelio contrarium est quemquam odisse : ergo Evangelio contraria est libri alicujus prohibitio *in odium auctoris*.

Respondeo. — Quando dicitur librum proscribi *in odium auctoris,* hujus locutionis sensus est, librum in se bonum esse; prohiberi tamen ejus lectionem, eo quod ab impio vel hæretico auctore scriptus sit: non autem sensus est, Ecclesiam odio habere ipsammet personam auctoris, aut velle ut fideles eum odio habeant. Noto notius est Ecclesiam pro hæreticis, et aliis quibuscumque errantibus, preces et vota effundere, ut in viam salutis reducantur, eosque summa charitate prosequi. Nunquam scilicet in hæreticos animadvertit Ecclesia *ex odio*, id est, ex eo quod ipsis malum optet; sed dumtaxat ad eos ab errore reducendos, aut ad arcendum a fidelibus subversionis periculum.

CAPUT II.

QUID POTESTATIS COMPETAT SÆCULARI PRINCIPI CIRCA LIBRORUM PROHIBITIONEM ET IMPRESSIONEM.

Distinguenda est potestas quam habet sæcularis princeps quatenus mere talis, et potestas quam habet quatenus Ecclesiæ advocatus seu defensor ac protector.

§ I.

Quid potestatis circa librorum prohibitionem et impressionem competat sæculari principi, quatenus mere tali.

Propositio I[a]. — *Potestatem habet sæcularis princeps ea impediendi quæ fini societatis civilis (id est, publicæ tranquillitati et prosperitati) nocerent.* — Tanquam certum hic supponimus, duas in mundo extare potestates distinctas, a Deo constitutas, ecclesiasticam et civilem Et priori quidem finis proprius est, ut homines vera fidei et morum regula instructos, et per ipsius sacerdotale ministerium divinis sacramentorum influxibus donatos, ad æternam visionis deificæ beatitudinem perducat:

posteriori autem ut tranquillæ eorumdem hominum temporali vitæ consulat. Utraque iis juribus, ex Dei voluntate, instructa censenda est, quæ ad proprium suum finem apte prosequendum et attingendum necessaria sunt atque opportuna. Repugnat enim velle Deum ut aliqua potestas certum aliquem finem assequatur, et ei potestati media ad id necessaria denegare. Ergo societatis civilis rectori, seu sæculari principi competit potestas ea impediendi et præcavendi, quæ ejusdem societatis civilis proprio fini nocerent.

Propositio II^a^. — *Sæculari principi non competit potestas pronuntiandi de vera religione, sive positiva, sive naturali; seu ad ipsum non pertinet judicare de dogmate et vera morum regula.* — Ad id enim peragendum constituit in mundo Christus, non civilium societatum rectores, sed ecclesiasticam auctoritatem. Suis ipse Apostolis dixit: *Euntes docete omnes gentes... qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Ipse etiam sæcularis princeps, non secus ac quilibet alius Christianus, in iis quæ religionem, id est, fidem et mores spectant, tenetur Ecclesiæ decisionibus et præceptis sese subjicere. Quod hic adnotamus dumtaxat, quia extra controversiam est apud catholicos.

Propositio III^a^.—*In materiis mixtis, seu quæ finem utriusque societatis, ecclesiasticæ scilicet et civilis, simul tangunt, sæcularis principis potestas, ecclesiasticæ potestati jure divino subordinata censenda est.* — Ambas illas potestates esse *distinctas*, et a Deo constitutas, omnino tenendum est. Quod autem sint ab invicem *independentes*, verum est in aliquo sensu, non item in altero. Independentes sunt quoad *proprietatem;* idest, sæcularis princeps potestatem suam accepit, non ab Ecclesia, sed a Deo : item Ecclesia suam, non a sæculari principe, sed a Deo habet. Potest proinde sæcularis princeps potestatem quam accepit vocare *suam* seu *propriam;* quod non posset dicere, si eam ab Ecclesia acceptam, tanquam merus minister Ecclesiæ exerceret; quia tunc proprie non *suam*, sed Ecclesiæ *propriam* exerceret.

At falsum est ambas illas potestates esse *independentes* quoad *subordinationem*. Nam pro objecto ambæ habent easdem personas et res, licet sub diverso respectu. Christiani, verbi gratia, quatenus cives, sunt vere principis sæcularis subditi ; et iidem sunt simul subditi Ecclesiæ. Jam vero non potuit Deus ambas ejusmodi potestates in mundo constituere, quin unam alteri, quoad materias mixtas, seu utrique simul subjectas, subordinaverit. Repugnat enim divina institutio, ex qua perpetuæ pugnæ, perpetui conflictus, perpetuus manichæismus oriretur. Jam vero si neutra alteri subordinetur et cedere debeat, devitari nequit absonum illud consectarium. Sit in exemplum sæcularis princeps, qui ad vexilla vocat Episcopum, et eum militare jubet, eo quod Episcopus ille sit civis, et quatenus talis sæculari principi subditus. Aliunde vero legibus suis prohibet Ecclesia ne Episcopus ille residentiam deserat, et militem agat. Si neutra potestas alteri subordinetur, neutra cedere debebit. Et sic nullum aderit finiendi conflictus legitimum medium. Imo sequeretur sibi Deum contradixisse. Ex hypothesi enim potestatem utrique dedisset; et tamen neutra societas eam exercere posset sine læsione juris alterius : porro potestas ad aliquid, quod sine injustitia peragi nequit, non est potestas : ergo simul Deus potestatem dedisset et non dedisset. Ergo in materiis mixtis, dictæ ambæ potestates institui a Deo non potuerunt, quin una alteri subordinaretur. Jam vero ex utriusque societatis proprio fine, facile colligitur, in materiis mixtis, non civili societati Ecclesiam, sed Ecclesiæ societatem civilem subordinari. Instituit enim Deus societatem civilem tanquam medium ad finem societatis ecclesiasticæ ; quod sic probatur : Voluit Deus homines singulos vitam in terris aliquandiu agere, ut libere et meritorie cœlestem sibi beatitudinem comparent ; quod ut peragere possint, instituit Ecclesiam, cujus auctoritate, magisterio, et sacerdotali potestate ducti ac informati, dictam perennem beatitudinem consequantur. Et hunc esse primarium finem a Deo intentum quoad transitoriam in terris hominum vitam, catho-

licus quisque fateri tenetur. Ad hunc autem præcipuum finem assequendum necessarius est civilis quidam ordo; quia ut homines dicto fini religioso convenienter vacare possint, necesse est ut in tuto et in quadam tranquillitate servetur et protegatur temporalis eorum vita; ad quod efficiendum civilis societas instituta est. Ergo, ex Dei intentione, civilis societas instituta est tanquam medium ad finem societatis religiosæ, non autem vice versa. Ergo in omnibus materiis quæ utriusque simul societatatis finem tangunt, Ecclesiæ cedere debet civilis potestas. Quod cursim hic adnotamus, alibi quæstionem illam fusius tractaturi. (Vide interim quæ diximus in tractatu *de Jure liturgico,* pagina 132 et seq.)

Propositio IV^a^. — *Potest sæcularis princeps prohibere libros qui religionem non tangunt, si sint societati civili et constituto gubernio noxii.* — Sequitur ex propositione prima, qua dictum est, sæculari principi competere potestatem ea impediendi, quæ fini societatis civilis noxia sunt. Nec obstat propositio secunda, qua sæculari principi denegavimus potestatem pronuntiandi de religione; quia, ex hypothesi, agitur de libris qui religionem non tangunt.

Hinc merum mendacium est, quod dictitant nonnulli, videlicet: Prætendi Romæ, et a doctrinæ romanæ defensoribus sustineri, nunquam et nulla ex causa posse a sæculari principe librum ullum prohiberi. Mendacium illud confutavit Zaccaria (*Storia polemica,* libro 2, dissertatione 2, capite 2, n. 3) in hunc modum: « Quod valeant sæculares principes « suis in statibus libros profanos prohibere, quibus legitimo « ipsorum regimini offendicula et oppositiones excitantur, « nemo est qui unquam in dubium vocaverit. Asserit quidem « Fra Paolo, in sua historia *de Sacra Inquisitione*, prætendi « Romæ *haud possse a sæculari principe ullum in suis statibus* « *librum ulla ex causa prohiberi:* at, prout in sua ad hanc his- « toriam responsione protestabatur (pagina 228) Cardinalis « Albitius, *merum commentum est assertio hæc: nunquam siqui-* « *dem Ecclesia et Summi Pontifices contenderunt, non posse a*

« *sæcularibus principibus prohiberi suis in statibus libros. Sese* « *principes intra limites potestatis suæ contineant, abstineantque* « *a prohibendis libris, de religione rebusque sacris et ecclesiasti-* « *cis tractantibus. Quod si prohibeant libros profanos, scanda-* « *losos, et tum bonis moribus tum legitimi gubernii christiani* « *regulis adversantes, non tantum gaudebit Roma, sed et lauda-* « *bit quamnaxime principem illum, qui ejusmodi zelum et pieta-* « *tem exeret.* Et in facto, quasnam unquam querelas emisit « Sedes Apostolica, ex eo quod rex Galliæ lacerari jusserit « librum archidiaconi Francisci Roerii, *stemmata Lotaringiæ ac* « *Barri ducum* inscriptum, in quo (ut ait Spondanus, ad an- « num 1583) *multa dignitati regni pari vanitate detrahebat, et* « *ad extremum quædam injuriose in regis contumeliam adjece-* « *rat?* Nullas sane. Et posset idem dici de multis aliis libris « a sæcularibus principibus prohibitis. Sed et ulterius dico : « nec quereretur Roma seu Ecclesia, si librum, etiam de re- « bus sacris et ecclesiasticis agentem, ex quo tamen in aliquo « statu orirentur perturbationes, prohiberet sæcularis prin- « ceps, dummodo judicium de doctrina Ecclesiæ relinqueret, « et ad solum finem consulendi interea publicæ tranquillitati « ac præpediendi perturbationes, prohibitionis decretum ede- « ret. Cæterum piissimi quique, ac suo in religionem studio « maxime conspicui principes, non tantum quoad libros de re « sacra agentes, suorumque statuum quieti nocuos, sed etiam « quoad libros profanos politico suo regimini adversos, hac « sua prædicta potestate quandoque uti noluerunt ; sed pro- « curarunt a Romano Pontifice istiusmodi libros prohiberi. « De quo exempla suppetunt, *relationes* Boteri, quas Gallia « (de qua is auctor haud amica dixerat) Romæ proscribi « procuravit : item *relationes* Antonii Perez, quæ procu- « rante Hispania, indici Romano insertæ sunt : item Scipionis « Maffei *fabula ordinis equestris Constantiniani,* qui liber, in- « stante Parmensi Duce, a S. Congregatione indicis confixus « est. »

Propositio V^a^. — *Ad sæcularem principem non pertinet libros*

de religione tractantes prohibere, ex eo quod sint contra veram religionem aut veram morum regulam. — Etenim prohibere librum quatenus veræ religioni, idest, veræ fidei et rectæ morum regulæ, contrarium, est hoc ipso pronuntiare quænam sit aut non sit vera religio, seu vera fides et recta morum regula : atqui, ex propositione secunda, ejusmodi judicium ad sæcularem principem non pertinet : ergo nec ad ipsum pertinet libros prohibere, ex eo capite quod veræ religioni adversentur. « Aliter se res habet, inquit Zaccaria, quoad « libros de religione ac materiis ecclesiasticis tractantes, aut « in quibus (etsi de re profana potissimum agant) aliqua in- « terjecta sunt religionem respicientia. Horum librorum pro- « hibitio, quantum ad dogma religionemque attinet, nonnisi « ecclesiasticæ potestati subjacet. » (*Storia polemica*, l. 2, diss. 2, cap. 2, n. 4).

Propositio VI[a]. — *Librum de religione aut rebus ecclesiasticis tractantem prohibere nequit princeps sæcularis, ex eo quod perturbationes in societate civili excitet, si eum librum Ecclesia approbet.* — Tunc enim iste liber inter eas materias computandus est, quas *mixtas* supra vocavimus. Quatenus nempe turbarum ac contentionum inter cives occasio est, societatis civilis interesse tangit, et laicæ potestati subjacet : quatenus vero de religione disserit, subest auctoritati ecclesiasticæ. Jam vero, ex propositione 3, in materiis mixtis laicalis potestas ecclesiasticæ est subordinata, eique cedere debet. Ergo, si dictum librum Ecclesia approbet, et licitam ejus lectionem fidelibus declaret, eum prohibere non poterit laica potestas, sub prætextu quod perturbationem in civili societate excitet. Antequam autem ecclesiastica potestas pronuntiaverit, poterit sæcularis princeps, librum de religione tractantem prohibere, ex eo capite quod turbas excitet, dummodo judicium de doctrina ecclesiasticæ potestati relinquat, et paratus sit prohibitionem retrahere, si Ecclesia permittendam, in ejus etiam statibus, lectionem decreverit.

§ II.

Quid potestatis circa librorum prohibitionem et impressionem competat sæculari principi, quatenus est Ecclesiæ advocatus seu defensor.

Officio principis de jure connexum est officium et prærogativa advocatiæ seu defensionis erga Ecclesiam. Cum nempe, ut supra diximus, societates civiles Deus in terris constituerit tanquam medium ad finem societatis religiosæ proprium, jus habet Ecclesia, ut supremi civilium societatum rectores, pro posse auxilientur, in prosequendo dicto religiosæ societatis fine. Tenentur proinde laici principes, vi officii sui, sæcularis brachii, ut dicitur, auxilium postulanti Ecclesiæ præstare. Ad id etiam tenetur quilibet catholicus princeps quatenus privatum Ecclesiæ membrum : nam et ipse est Ecclesiæ filius, et de fidelium Ecclesiæ subjectorum numero. Porro fideles singuli tenentur in commune Ecclesiæ bonum aliquatenus conspirare, et postulanti eidem Ecclesiæ, pro suo quisque modo auxiliari. Tenebitur ergo et ipse princeps Ecclesiam juvare; ad quod præstandum ingens penes ipsum potestas esse solet. Hinc *Episcopi foranei* (Evêques du dehors) Reges atque Imperatores catholici merito dici possunt, et revera dicti sunt. Quod quidem advocatiæ seu protectionis officium sibi competere, a Constantino Magno usque ad moderniora tempora, catholici quique principes probe intellexerunt.

Atvero ex ipsis nonnulli hocce suum advocatiæ officium in tyrannidem mutantes, Ecclesiam non protexerunt sed oppresserunt. Non alio, verbi gratia, quam explendi suum *protectoris* officium prætextu, Henricus VIII Magnam Britanniam in schisma et hæresim misere traxit.

Certum est, et per se patet, principem qui invitæ ac renitenti Ecclesiæ aliquid prætensi officii præstat, non protectoris, sed oppressoris personam agere. Hinc tanquam indubitatum

præsupponimus, nihil potestatis sæculari principi, protectoris titulo, competere, nisi in quantum ejus auxilium postulat, aut saltem consentiens recipit Ecclesia. Quibus prænotatis, sit,

Propositio I[a]. — *Ad sæcularem principem, quatenus Ecclesiæ protectorem pertinet, damnatos jam ab Ecclesia libros, etsi de religione tractantes, prohibere.* — Etsi enim ad ipsum non spectet de religione pronuntiare, nec proinde libros de religione tractantes ex propria sua auctoritate prohibere, ad eum tamen pertinet sæcularis brachii auxilium Ecclesiæ decretis præstare, ut executionem efficacius sortiantur.

Propositio II[a]. — *Si quis liber manifeste omnino seu evidenter religioni naturali, vel bonis moribus adversetur, vel errores renovet jam ab Ecclesia damnatos, eum prohibere potest sæcularis princeps, quin ecclesiasticum judicium exspectet.*— In hoc enim casu merito præsumitur Ecclesia consentire, imo et optare, ut sæcularis princeps istiusmodi libros statim prohibeat. Unde tunc sæcularis princeps, tanquam Ecclesiæ defensor, brachii sæcularis auxilium præstat, et tacitum quoddam ac permanens Ecclesiæ mandatum exequitur. « Si quis liber, ait Zaccaria, « damnatos jam ab Ecclesia errores *aperte* renovaret, vel « doctrinam propugnaret catholico dogmati *manifeste* con« trariam, bene posset princeps, non exspectato Ecclesiæ ju« dicio, eum proscribere ; qua agendi ratione, præstaret « dumtaxat adjutricem Ecclesiæ manum, et exequeretur vel « prolata jam ecclesiastica judicia, vel certe Ecclesiæ volun« tatem, quæ in tali casu tuto præsumi posset. Sed notentur « adverbia hæc, *aperte*, *manifeste* : deficiente enim hac cir« cumstantia, ecclesiasticam prohibitionem præveniendo, « supremum Ecclesiæ jus sibi princeps sæcularis usurparet.» (*Storia polemica*, libro 2, dissert. 2, cap. 3, n. 4.)

Propositio III[a]. — *Librorum censura, qualem exercuerunt Ludovicus XIV et alii Galliæ reges, nisi accesserit legitimæ auctoritatis ecclesiasticæ consensus et ratihabitio, de se fuit manifesta jurium Ecclesiæ usurpatio.* — Civilibus in Gallia legibus

et praxi cautum erat, ne libri possent typis mandari ac venales fieri, nisi prius auctoritate regia examinati et approbati. Cui legi subjacebant non profana tantum scripta, sed et quælibet alia de religione, rebusque sacris et ecclesiasticis tractantia, exceptis solis ritualibus libris, et Episcoporum pastoralibus instructionibus. Equidem ad ejusmodi examen peragendum judiciumque proferendum deputabantur viri ecclesiastici. Ast a rege eligebantur ac nominabantur, nec nisi ex regia auctoritate hoc suum officium explebant. Qui modus censuræ quandonam invehi cœperit (est enim a Gallia paulo antiquiori alienus) aliis expendendum relinquimus. Quo prænotato, sic positam conclusionem probamus :

1° Quod de se, id est, abstrahendo a legitimæ auctoritatis ecclesiasticæ ratihabitione, dictus censuræ modus manifesta fuerit jurium Ecclesiæ usurpatio, e superioribus conclusionibus aperte sequitur. Nequaquam scilicet ad sæcularem principem spectat de vera religione, id est, de vera fide ac morum regula judicare ; item ad ipsum non pertinet libros de religione, rebusque sacris et ecclesiasticis tractantes prohibere, ut jam probavimus. Sunt eæ solius ecclesiasticæ auctoritatis partes. Per supradictam vero censuram hasce partes sibi reges Galliæ vindicabant ; ergo, nisi id fecerint ex commissione aliqua auctoritatis ecclesiasticæ, jus Ecclesiæ invaserunt.

2° Æstimarunt nonnulli canonistæ, Episcopos Galliæ suas in hoc partes regi delegasse ; ita ut approbationem regiam libris appositam suam facerent. Proinde libros in Gallia cum regis approbatione editos, non fuisse contrarios Ecclesiæ legibus, quæ prohibent ne ullus imprimatur liber absque licentia Ordinarii, in cujus diœcesi impressio peragitur. Nimirum, ob dictam tacitam cujuslibet Episcopi delegationem, regiam approbationem vim simul habuisse licentiæ ab Ordinario loci concessæ ; sicque licite a fidelibus legi potuisse libros sola regia approbatione munitos.

3° An satis fundata sit opinio hæc, aliorum judicium sit.

Mihi haud certa videtur prætensa illa Episcoporum Galliæ delegatio. Equidem hasce partes circa librorum impressionem et prohibitionem sibi usurpantibus Galliæ regibus, siluerunt Episcopi, qui tot alias usurpationes iis temporibus pati cogebantur. Atvero a silentio ad consensum legitima non est illatio, quando silens merito timet ne sua reclamatio majora trahat detrimenta.

Præterea delegatio illa, qua Episcopi Galliæ totum illud negotium de permittendis vel prohibendis libris, ac proinde judicium de ipsa religione, rebusque sacris et ecclesiasticis, regiæ potestati commisissent, fuisset procul dubio de *causis majoribus*. Constat autem ejusmodi causas omni tempore Sedi Apostolicæ reservatas fuisse. Unde etiam admissa prætensa illa delegatione, probandum remaneret eam non fuisse invalidam et irritam.

Tandem quod præfatam regum Galliæ agendi rationem ratam habuerit Sedes Apostolica, multo minus probari posse videtur. Esto siluerit Sedes Apostolica : hoc œconomico silentio utitur in multis, quibus nequaquam consentit, prout in tractatu *de Principiis* probavimus.

Ulterius quæstioni non immoramur, cum agatur de re mortua; quæ faxit Deus ut non reviviscat unquam !

CAPUT III.

DE LIBERTATE TYPOGRAPHIÆ QUID CATHOLICIS SENTIENDUM SIT.

Dicemus 1° quotuplex distingui queat typographiæ libertas : 2° de libertate typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam : 3° de libertate typographiæ relative ad censuram potestatis laicæ seu guberniorum : 4° expendemus varias circa typographiæ libertatem opiniones, et quid catholicis sentiendum sit concludemus.

§ I.

Quotuplex distinguatur typographiæ libertas.

I. *Quid sit libertas typographiæ?* — Definiri potest : facultas libros imprimendi et evulgandi, absque prævia alicujus auctoritatis revisione et licentia. Seu brevius : facultas scripta edendi absque prævia censura. Censura enim vocari solet scriptorum examen, in ordine ad dandam vel denegandam licentiam ea imprimendi et in publicum edendi. Unde typographiæ libertatem excludit obligatio obtinendæ licentiæ ad imprimenda scripta. Stante hac obligatione, non adest typographiæ libertas : non stante, adest.

II. *Distinguenda est libertas typographiæ relative ad censuram auctoritatis ecclesiasticæ, a libertate typographiæ relative ad censuram auctoritatis laicæ seu civilis gubernii.* — Si nempe imprimi possint libri absque licentia auctoritatis ecclesiasticæ, et requiratur licentia civilis gubernii, aderit libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam, non autem relative ad censuram auctoritatis civilis ; et vice versa. Si autem neutrius auctoritatis licentia requiratur, aderit typographiæ libertas absoluta seu omnimoda.

III. *Distinguenda est typographiæ libertas de jure, a libertate typographiæ de facto.* — Si auctoritas civilis imprimi libros sinat absque licentia sua, adest *de facto* libertas typographiæ relative ad censuram civilem. Si auctoritas civilis non sinat libros absque sua licentia imprimi, sed jus non habeat ita statuendi, adest *de jure* (quamvis non adsit *de facto*) libertas typographiæ relative ad censuram auctoritatis civilis. Item si Ecclesia sineret imprimi libros absque sua licentia, adesset *de facto* libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam. Si jus non haberet Ecclesia prohibendi ne libri absque ipsius licentia imprimantur, adesset *de jure* libertas typographiæ relative ad auctoritatem ecclesiasticam.

Præmissæ distinctiones per se patent : et tamen, quia ad eas non satis attenderunt moderni quidam scriptores (etiam catholici) erronea et absona haud pauca circa typographiæ libertatem protulerunt.

§ II.

De libertate typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam.

Propositio I[a]. — *De jure non existit nec existere potest quoad Ecclesiæ subditos libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam.* — Idem enim est, *de jure* existere libertatem typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam, ac Ecclesiæ non competere jus prohibendi ne absque sua licentia edantur libri. Nimirum assertio hæc, *exstat de jure libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam*, prorsus æquivalet isti : *Ecclesia jus non habet prohibendi ne absque ipsius licentia libri imprimantur*. Unde si revera Ecclesia jus istud habeat, et nemo possit unquam hoc jus ei adimere, impossibile erit existere *de jure* libertatem typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam.

Jam vero dictum jus Ecclesiæ competere, et quidem vi institutionis divinæ, quæ a nemine mutari potest, supra (capite I) probavimus. Ergo revera *de jure* non existit nec existere potest apud Ecclesiæ subditos, id est, apud christianos, libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam.

Propositio II[a]. — *De facto non existit apud christianos libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam.* — Eo sensu *de facto* existeret dicta libertas, quod Ecclesia, licet jus habeat librorum impressionem absque prævia sua licentia prohibendi, tamen de facto ita non prohiberet, sed sineret imprimi libros absque censura et licentia ecclesiastica. Atqui certum est e contra legibus suis Ecclesiam prohibuisse, ne libri imprimerentur absque prævia ecclesiastica censura et licentia ; et

hodiedum vigere ejusmodi leges, infra probatur. Ergo neque de jure, neque de facto existit libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam. Ita concludimus *quoad christianos* seu Ecclesiæ subditos : nam infideles Ecclesiæ legibus non constringuntur *proxime ;* sed tantum *remote,* id est, eo sensu quod teneantur veram religionem amplecti, sicque fieri Ecclesiæ subditi.

§ III.

De libertate typographiæ relative ad censuram auctoritatis laicæ seu civilis gubernii.

PROPOSITIO I^a^.--*Datur de jure libertas typographiæ, relative ad censuram civilem, quoad libros de religione rebusque sacris aut ecclesiasticis tractantes : unde censura civilis, si exstet quoad ejusmodi libros, est injusta, utpote jurium Ecclesiæ et populorum christianorum læsiva.* — Sequitur ex præcedenti capite, ubi probavimus laicæ potestati non competere jus hosce libros prohibendi. Si editos prohibere nequeat, a fortiori neque poterit eorum impressionem impedire. Ad id enim requireretur ut posset judicare de religione, id est, de vera fide et morum regula : porro tale judicium ad Ecclesiam exclusive pertinet.

Objicies. — Summum sequi potest reipublicæ simul et Ecclesiæ detrimentum, si nequeat sæcularis princeps impedire ne imprimantur scripta impia, religioni revelatæ ac etiam naturali ac bonis moribus adversa.

Respondeo. — Non sequetur dictum detrimentum, si exerceatur censura ecclesiastica, et ei princeps brachii sæcularis auxilium præstet. Non dicimus prævіæ censuræ subjiciendos non esse ejusmodi libros : absit. Sed dicimus hanc censuram ab ecclesiastica auctoritate exercendam esse, non a civili.

PROPOSITIO II^a^. — *Quoad scripta, quæ religionis interesse non tangunt, potest civile gubernium, non tantum jam edita prohibere, sed etiam decernere, ut absque ipsius licentia non impri-*

mantur. — Nam, ex dictis sub præcedenti capite, jus habet sæcularis princeps ea omnia arcendi, quæ fini societatis civilis proprio, id est, publicæ tranquillitati et securitati, noxia forent. Ergo impedire etiam potest ne imprimantur scripta quæ factiones politicas excitarent, aliave damna societati civili et constituto gubernio inferrent. Ergo et potest decernere ne imprimantur scripta (si tamen de iis sint quæ religionis interesse non tangunt) nisi ea prius ipse viderit, et imprimendi licentiam concesserit. Hæc civilium guberniorum potestas ex jure naturali evidenter deducitur. Quis, verbi gratia, injustum aut tyrannicum somniavit nuperum gubernii Galliæ decretum, quo prohibuit, ne, dum obsideretur Sebastopolis, epistolæ aliæve notititiæ de rebus quæ ibidem contigissent, publici juris fierent, ante obtentam a gubernio licentiam? Quia nempe hujusmodi notitiarum publicatio grave publicæ rei damnum inferre potuissent, juste gubernium prævium censuram illam decrevit. Eadem autem urget ratio quoad scripta omnia quæ civili societati nocere possent.

Nota.— Ex dictis patet, quomodo sese ad invicem habeant ambæ censuræ, ecclesiastica nempe et civilis, quando simul in eodem regno vigent. Censuræ ecclesiasticæ subjici debent scripta omnia, antequam typis mandentur. Lex enim ecclesiastica id præscribens generalis est, et nullum scriptum excipit. Cujus ratio est quia, ut possit auctoritas ecclesiastica imprimendi licentiam denegare scriptis religioni noxiis; debet compertum habere quænam ea sint; id autem ut discernat, debent omnia ipsi subjici. Quod si reperiant censores ecclesiastici nonnulla scripta religionis interesse non tangere, declarabunt se impressioni non obstare, et scripta hæc ad censuram civilem remittent. Censura autem civilis non pronuntiabit nisi de scriptis, quæ censores ecclesiastici sub jurisdictionem suam non cadere agnoverint.

Propositio III[a]. — *Si quis populus supremam potestatem alicui principi conferat sub ea conditione, quod neque ecclesiastica neque civilis potestas ulla prævia censura libertatem typographiæ*

coercere poterit; vel si hæc conditio in constitutione fundamentali alicujus regni reperiatur; de jure talis conditio pro nulla et non adjecta habenda est, utpote de se prava et injusta. — Etenim neque dictus populus, neque dicta fundamentalis constitutio, potuit Ecclesiam spoliare jure quod habet a Christo, subditis suis, ubicumque terrarum existant, prohibendi, ne libros absque ipsius licentia imprimant. Ergo conditio hæc, in quantum ecclesiasticam censuram respicit, est injusta, ac proinde nulla de se et irrita. Insuper neque dictus populus, neque dicta fundamentalis constitutio impedire potuit quin christianus princeps, hoc ipso quod laicam potestatem possideat, jus et officium habeat sæcularis brachii auxilium præstandi Ecclesiæ legibus et decretis. Ergo non obstante præfata conditione, auxilium ejusmodi in suo regno præstare poterit censuræ ecclesiasticæ.

Tandem, vi juris naturalis, ille qui civili societati præsidet eamque regit, potest et tenetur arcere et præcavere, quæ fini ejusdem civilis societatis noxia forent. Ergo vi juris naturalis præpedire potest eorum librorum impressionem qui factiones aliave detrimenta inferrent. Quod si ejusmodi libri simul interesse religionis tangant, et sic non ad ipsum sed ad ecclesiasticam auctoritatem pertineat eorum impressionem interdicere, procurare poterit ut per istam auctoritatem eorum impressio prohibeatur.

Hinc, sicut in matrimonio et aliis contractibus, adjectio alicujus conditionis turpis pro nulla habetur nec vitiat contractum, ita princeps qui supremam auctoritatem sub dicta conditione accepisset, posset eam non servare; et juramentum de ea servanda, si forte emisisset, utpote de re prava, eum non adstringeret. Ad nullum enim populum pertinet sive jus naturale, sive jus quod Ecclesiæ suæ Christus contulit, supprimere.

PROPOSITIO IV^a^. — *Contingere potest ut alicubi existat de facto libertas typographiæ, tum relative ad censuram ecclesiasticam, tum relative ad censuram civilem.* — Tales enim dari pos-

sunt in aliquo regno circumstantiæ, ut tum Ecclesia, tum etiam sæcularis princeps opportunum existiment, ad majora detrimenta vitanda, dictum jus suum non exercere, et librorum impressionem omnino liberam relinquere. Si enim in aliquo regno, etsi christianis populis constante, ita erroneæ doctrinæ passim animos invaserint, ut excitatum inde fuerit ingens in dictas censuras odium, simulque pravorum audacia ac potentia ita invaluerit, ut parati sint factionibus et tumultibus ejusmodi censuris obsistere, aliave id genus oritura mala prævideantur, contingere poterit, ut Ecclesia et gubernium ab exercendo dicto jure suo prudenter abstineant. Licitum quippe est minus malum permittere ut majus præcaveatur. At certe talis regni status, de se bonus non est, sed pravus. Et a dogmate catholico prorsus aberraret, qui huncce statum tanquam de se optimum laudibus extolleret. Ad Galliam quod attinet, an hodie in ea vigere desierit lex ecclesiastica de non imprimendis absque prævia licentia libris, ita ut catholici tuta conscientia possint in ea regione scripta sua edere quin ea censuræ ecclesiasticæ subjecerint, infra expenditur.

§ IV.

Recensentur variæ circa typographiæ libertatem opiniones, et quid catholicis sentiendum sit concluditur.

Prima opinio eorum est, qui præviæ censuræ jus denegant tum ecclesiasticæ, tum civili potestati. Hi nempe tenent unicuique homini jus competere quælibet scripta sua edendi, quin ulla in terris auctoritas id legitime præpedire valeat; unde injustam et humano generi noxiam contendunt prævias censuræ institutionem.

Secunda opinio eorum est, qui expendentes quæstionem quoad sola gubernia civilia, non autem simul quoad auctoritatem ecclesiasticam, contendunt a civili gubernio absolute et in omni casu omnino liberam relinqui debere librorum impressionem.

Tertia opinio eorum est, qui pariter quæstionem expendentes dumtaxat quoad gubernia, supponunt et admittunt, olim quidem legitimam et opportunam fuisse prævium censuram a potestate laica exclusive factam, qualis, verbi gratia, viguit in Gallia sub Ludovico XIV et aliis regibus; at simul existimant, ob hodiernas circumstantias, noxiam eam fore; ita ut merito catholici eam repellant, et typographiæ libertatem anteponant.

Quarta opinio sic exprimi potest: Ecclesia jus hodie habet et semper habuit subditos suos in conscientia et sub pœnis ubique terrarum obligandi ad subjiciendos censuræ ecclesiasticæ libros, antequam eos imprimant: non debent catholici agnoscere in civilibus guberniis jus sibi vindicandi censuram librorum qui religionis interesse tangunt: at debent agnoscere eorum jus quoad libros, religionis interesse non tangentes; item eorum jus sæcularis brachii auxilium præstandi censuræ ecclesiasticæ; item jus, ex merito præsumpta Ecclesiæ voluntate, præpediendi impressionem et divulgationem scriptorum, quæ evidenter bonis moribus, aut religioni naturali adversantur, in iis regnis ubi gubernium, sive merito et prudenter ob varias circumstantias, sive immerito, sæcularis brachii auxilium censuræ ecclesiasticæ non præstat.

Quibus opinionibus sic expositis, quid de unaquaque sentiendum sit sequentibus propositionibus determinatur.

Propositio I[a]. — *Opinio primo loco exposita erronea est, Ecclesiæ injuriosa, et absona.* — Etenim, ex superius probatis, certum est Ecclesiæ competere potestatem subditis suis prohibendi ne ullos libros absque auctoritatis ecclesiasticæ licentia imprimant. Ergo eam Ecclesiæ potestatem negare erroneum est. Est insuper Ecclesiæ injuriosum: nam Ecclesia ejusmodi potestatem sibi vindicavit, ut patet ex ipsius hac de re legibus: unde dicere Ecclesiam dicta potestate carere, idem est ac dicere eam errasse et injuste egisse. Tandem est omnino absonum: cum enim libri sint cibus animarum, propugnare libertatem libros etiam venenatos edendi et spargendi, majo-

ris insipientiæ est quam si diceretur, liberum cuique esse debere venena propinare et homicidia patrare. Unde ab hocce opinionis monstro catholicorum quisque abhorrere debet ; prout expresse docuit Gregorius XVI, (in Encyclica *mirari*, 15 augusti 1832), his verbis : « Huc spectat deterrima illa, ac « nunquam satis execranda et detestabilis libertas artis libra- « riæ ad scripta quælibet edenda in vulgus, quam tanto con- « vicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhor- « rescimus, venerabiles Fratres, intuentes quibus monstris « doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obrua- « mur, quæ longe ac late ubique disseminantur ingenti libro- « rum multitudine, libellisque et scriptis mole quidem exi- « guis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem « egressam illacrymamur super faciem terræ. Sunt tamen, « proh dolor ! qui eo impudentiæ abripiuntur, ut asserant « pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem « satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta « pravitatum tempestate ad religionem ac veritatem propu- « gnandam edatur. Nefas profecto est, omnique jure impro- « batum patrari data opera, malum certum ac majus, quia « spes sit inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena li- « bere spargi ac publice vendi comportarique, imo et obbibi « debere sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habea- « tur, quo qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem con- « tingat. Verum longe alia fuit Ecclesiæ disciplina in excin- « denda malorum librorum peste, vel ab Apostolorum ætate « quos legimus grandem librorum vim publice combussisse « (Act. Apost. 19). Satis sit leges in Concilio Lateranensi V, « in eam rem datas, perlegere ; et Constitutionem quæ dein- « ceps a Leone X... fuit edita, ne *id quod ad fidei augmentum* « *ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in* « *contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum* « *pariat*. Id quidem et Tridentinis Patribus maxime curæ « fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere, edito salu- « berrimo decreto de indice librorum, quibus impura doc-

« trina contineretur, conficiendo. *Pugnandum est acriter,* « inquit, Clemens XIII felicis recordationis prædecessor nos- « ter, in suis de noxiorum librorum proscriptione encycli- « cis litteris, *pugnandum est acriter, quantum res ipsa postulat,* « *et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies:* « *nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis fa-* « *cinorosa elementa in flammis combusta depereant.* Ex hac ita- « que constanti omnium ætatum sollicitudine, qua semper « sancta hæc Apostolica Sedes suspectos et noxios libros « damnare et de hominum manibus extorquere enisa est, pa- « tet luculentissime, quantopere falsa, temeraria, eidemque « Apostolicæ Sedi injuriosa et fecunda malorum in christiano « populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram « librorum veluti gravem nimis et onerosam rejiciunt, sed « eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent a « recti juris principiis abhorrere, jusque illius decernendæ « habendæque audeant Ecclesiæ denegare. »

Propositio II[a]. — *Vera non est opinio secundo loco exposita.* — Etenim opinio illa laicæ potestati seu sæculari principi nullum omnino præviæ censuræ jus tribuit. Porro, ex probatis supra, capite 2, etsi ad sæcularem principem non spectet præviæ censuræ suæ subjicere libros religionis interesse tangentes, jus tamen illud habet quoad libros qui religionem non tangunt. Id nempe postulat commune civilis cui præest societatis bonum. Quis, verbi gratia, non perspiciat, summa induci posse societatis civilis discrimina, si imprimi et divulgari permittatur, quidquid in regio consilio, aut ab exercituum ducibus, propositum et statutum fuerit?

Præterea certum est civilis gubernii jus et officium ecclesiasticæ censuræ sæcularis brachii auxilium præstandi. Unde jure suo utitur princeps qui lege sua prohibet, ne ulli imprimantur libri, nisi cum prævia ecclesiasticæ auctoritatis licentia. Porro hoc etiam jus censuræ ecclesiasticæ auxiliandi, laicæ potestati denegat præfata opinio. Ergo vera non est

opinio hæc, nec iis accensenda quas licite valeant catholici amplecti ac defendere.

Quod si quis sustineret dumtaxat, opportunum non esse in aliquo regno, attentis peculiaribus circumstantiis, ut princeps dicto suo jure ibi utatur, id licitam opinandi libertatem non excederet.

Propositio IIIa. — *Vera non est opinio tertio loco exposita.*— Supponit enim et admittit opinio hæc de se legitimam esse prævium censuram, a potestate laica exclusive factam, qualis viguit in Gallia sub Ludovico XIV aliisque regibus. Ob præsentes autem circumstantias, censet omittendam eam esse, et relinquendam omnimodam imprimendi libertatem. Id porro duplicem errorem involvit :

1° Erroneum est laicæ potestati jus tribuere, sibi exclusive librorum censuram propria auctoritate vindicandi. Cum enim jus illud ad Ecclesiam pertineat, et quidem exclusive quoad libros religionis interesse tangentes, hoc ipso quod sæcularis princeps dictam censuram sibi soli reservaret, Ecclesiæ jura usurparet, et illegitime ageret. Unde rex qui sibi prævium librorum censuram exclusive vindicaret, excusari ad summum posset ex præsumpto consensu et tacita delegatione auctoritatis ecclesiasticæ.

2° Dum concludit præfata opinio, hodie in Gallia et similibus regionibus relinquendam esse omnimodam imprimendi libertatem, id ita intelligere videtur, ut sublata civilis gubernii censura, possit jam quilibet in iis regionibus, absque ulla ullius auctoritatis licentia libros licite imprimere. Porro id etiam erroneum est. Quantumvis enim a guberniis permittatur typographiæ libertas, non ideo vigere desinunt Ecclesiæ leges, quibus prohibentur auctores, editores ac typographi, ne libros edant quin prius ab ecclesiastica auctoritate licentiam obtinuerint. Et quamvis in ejusmodi regionibus laica potestas brachii sui auxilium non præstet et ad parendum dictæ prohibitioni non cogat, non ideo prohibitio hæc desinit obligare sub peccato, et sub pœnis ecclesiasticis.

PROPOSITIO IVa. — *Opinio quarto loco exposita, vera est, et eam catholicus quisque tenere debet.* — Etenim opinio illa his assertis constat :

1° Ecclesia jus hodie habet et semper habuit subditos suos in conscientia et sub pœnis ubique terrarum obligandi ad subjiciendos censuræ ecclesiasticæ libros, antequam eos imprimant. — Porro id certum est et omnino tenendum, ut constat ex probatis supra, capite 1.

2° Non debent catholici agnoscere in civilibus guberniis jus sibi vindicandi censuram librorum, qui religionis interesse tangunt : at bene possunt et debent agnoscere eorum jus quoad libros religionis interesse non tangentes ; itemque eorum jus sæcularis brachii auxilium præstandi censuræ ecclesiasticæ. — Porro illius etiam asserti veritas ex dictis supra, capite 2, aperte sequitur.

3° In iis regionibus, in quibus laica potestas brachii sui auxilium, sive merito et prudenter ob temporum iniquitatem, sive etiam immerito, ecclesiasticæ censuræ non præstat, potest sæcularis princeps, ex legitime præsumpta Ecclesiæ voluntate, impressionem impedire eorum scriptorum, quæ evidenter bonis moribus et religioni naturali adversantur. — Equidem ex *propria sua auctoritate*, non posset sæcularis princeps ejusmodi scripta, utpote quæ religionem tangunt, prohibere, aut præviam censuram quoad ea exercere ; siquidem id ad Ecclesiam exclusive pertinet. At, in hypothesi quod censura ecclesiastica brachii sæcularis auxilium in aliqua regione non habeat, a perditis viris ibi spargerentur dicti libri, nisi obstaret laica potestas. Merito proinde tunc præsumitur Ecclesia consentire et optare, ut a sæculari principe tanta pestis coerceatur.

Hoc autem restringimus ad libros religioni naturali aut bonis moribus *evidenter* adversantes. Immerito enim Ecclesia præsumeretur consentire, ut sæcularis princeps judicaret de controversiis circa religionem, resque sacras et ecclesiasticas. Id enim rei catholicæ magis noxium foret, quam quilibet

pravi libri. Quod si contendat sæcularis princeps alios etiam pravos libros esse præpediendos, procuret primum eos ab ecclesiastica auctoritate proscribi, aut censura ecclesiastica non imprimendos pronuntiari ; et tunc bene poterit et ipse eosdem proscribere, ac eorum impressioni obsistere.

Ex dictis sub præsenti capite facile poterit lector colligere, an et qua ex parte moderni quidam gallici scriptores circa typographiæ libertatem erraverint.

CAPUT IV.

QUIBUSNAM ECCLESIASTICIS PERSONIS COMPETAT POTESTAS LIBROS PROHIBENDI, AC CIRCA EORUM IMPRESSIONEM LEGES EDICENDI.

Dictum est superioribus capitibus ecclesiasticæ auctoritati competere potestatem noxiorum librorum impressionem ac lectionem prohibendi. At non diximus quænam ecclesiasticæ personæ hac potestate polleant. Id nunc breviter expendendum.

Propositio I[a]. — *Dicta potestate destituuntur, qui fori externi jurisdictionem non habent.* — Nam prohibere ne liber imprimatur aut legatur, et vi talis prohibitionis hujus libri impressionem et lectionem illicitam efficere, est fori externi jurisdictionem exercere Proinde qui fori externi jurisdictione caret, hoc ipso caret et potestate librorum impressionem aut lectionem interdicendi.

Propositio II[a]. — *Dicta potestate carent parochi.* — Ipsis enim non competit fori externi jurisdictio.

Propositio III[a]. — *Dicta potestate carent Universitates et earum doctores.* — Etenim doctoratus nequaquam fori externi jurisdictionem confert, nec per eum quis efficitur in Ecclesia pastor. Hinc erroneam hac in re Gersonis doctrinam sic reprehendit Zaccaria (*Storia polemica*, libro 2, dissert. 2, cap. 2, n. 2) : « Joannes Gerson, in suo *de Examinatione doctrinarum*

« tractatu, plus æquo extollit licentiatorum et doctorum in « theologia potestatem ; dum ipsis contendit a Sede Apos- « tolica concessum, ut quocumque in loco legere, disputare, « docere, ac *pravos libros prohibere* valeant ; etsi fateatur « hanc eorum potestatem immediatis Episcopis subjici, et « posse ab iisdem justa ex causa impediri. Facultas enim, « quam a Cancellario recipiunt dicti laureati, ad summum « aptos eos efficit, ut ab Ecclesiæ pastoribus, id est, Episco- « pis, in librorum aut propositionum examinatores et consul- « tores convenienter eligantur ac deputentur. At per lauream « non constituuntur *Pastores*, apud quos solos residet *aucto-* « *ritativa* et *authentica* (ut cum Gersone loquamur) libros « damnandi potestas. »

Propositio IV[a]. — *Dictam potestatem proprie non competere Prælatis regularibus et aliis jurisdictionem fori externi habentibus, si non sint Episcopi, tradere videntur Zaccaria et alii.* — « Quando dicimus Ecclesiæ competere librorum prohibi- « tionem, id de sola illa Ecclesiæ parte intelligimus, cujus « proprium est officium ac veluti innata potestas fideles « gubernandi. Ab ista vero auctoritate eos omnes exclu- « dimus qui non sunt Episcopi ; soli siquidem Episcopi a Spi- « ritu positi sunt *regere Ecclesiam Dei*. Et revera ad ipsos « solos ex divina institutione pertinet docere tanquam fidei « judices et pascere. Unde quamvis doceant et pascant etiam « parochi et alii, id tamen non agunt nisi ex auctoritate ab « Episcopis recepta, aut ex zelo, et sub Episcoporum direc- « tione ac potestate ; nunquam autem tanquam fidei judices. » (Zaccaria, *Storia polemica delle proibizioni de' libri,* libro 2, diss. 2, cap. 4, n. 1.)

« Superiores quoque religiosorum libros subditorum suo- « rum recensere solent, eosdemque imprimendi licentias « impertiri ; sed hoc unice disciplinam regularem spectat. » (Heimans, *de Ecclesiastica librorum in Belgio prohibitione*, pag. 3, edit. Bruxellis 1849.)

Id videtur intelligendum eo sensu, quod dicti Prælati, qui

non sunt Episcopi, nequeant de libris pronuntiare tanquam *judices fidei*. Cæterum vere obligatoriæ sunt in conscientia quoad suos subditos ejusmodi Prælatorum prohibitiones, de non imprimendis aut legendis libris.

Propositio V[a]. — *Dicta potestas plenarie et universaliter residet penes Summum Pontificem et Concilia œcumenica.* — 1° « Haud negari potest, inquit Zaccaria (loco citato, n. 3), « libros prohibendi potestatem penes Summum Pontificem « principaliter residere. Ipse enim Pastorum Pastor, Magis- « trorum Magister, et Episcoporum Episcopus. Ipsi a Christo « specialiter commissum quidquid ad sacrum pascendi, do- « cendi et Ecclesiam gubernandi ministerium pertinet. Cui « ministerio cum sit connexa libros prohibendi potestas, in « ipso præ cæteris potestas hæc requiritur; ut nempe a grege « noxia pascua, a fidelibus errores, ab Ecclesia quamlibet « doctrinæ et morum pravitatem arcere valeat. Et de facto « hacce potestate Summi Pontifices omni ætate usi sunt » Idem sic breviter exprimi potest : quod Romano Pontifici competat plena potestas universalem Ecclesiam regendi, pascendi ac gubernandi, dogma catholicum est : ergo et penes ipsum plene et universaliter residet potestas ecclesiastica circa librorum prohibitionem et impressionem.

2° Item Concilio œcumenico plene et universaliter competere dictam potestatem per se patet ; cum œcumenicum non sit Concilium nisi Summo Pontifici unitum, et potestas hæc in Summo Pontifice resideat.

Propositio VI[a]. — *Dicta potestas unicuique Episcopo quoad suam diœcesim competit : multoties tamen expedit ut ea non utatur.* — Etenim Episcopus ordinariam habet in diœcesi sua fori externi jurisdictionem ; estque judex fidei, non quidem infallibilis, sed quasi in prima instantia ; atque ipsi tanquam vero ac proprio dicto Pastori incumbit noxia quælibet ab ovibus sibi commissis arcere. Porro et hoc ipso potestatem habet librorum noxiorum lectionem et impressionem prohibendi.

Dicimus autem *multoties expedire ut ea non utatur*. De quo

sic Zaccaria (*Storia polemica,* libro 2, dissert. 2, cap. 4, n. 1) : « Librorum prohibitiones a particularibus Episcopis pronuntiatæ, duplex secum trahunt inconveniens : alterum est, « quod ejusmodi prohibitiones extra ipsorum diœcesim vim « non habeant : alterum, quod etiam in ipsorum diœcesi non « habeant vim plenam et absolutam. Nimirum, cum Episcopi, « etsi fidei judices, sint tamen fallibililes, pronuntiatæ ab « ipsis ejusmodi prohibitiones contradictionibus et litibus « facile obnoxiæ sunt. De quo nimis multa exempla, hisce « ultimis etiam temporibus, exhibuit Gallia ; ubi contra pas- « torales Episcoporum litteras, librum aliquem proscri- « bentes, alia atque alia scripta edita sunt, quibus evincere- « tur injustam fuisse proscriptionem. Quod potissimum con- « tingere solet quando Episcopi libros prohibent ob propo- « sitiones damnatis jam erroribus affines, sed quæ adhuc in « universali Ecclesia tolerantur, et videntur aliquatenus « licite sustineri posse. »

Ex iis tamen clarissimi Zaccariæ verbis perperam colligeretur, nunquam aut raro expedire ut Episcopi noxios libros proscribant. Imo contrarium tenendum probat *Mandatum* Leonis XII (26 martii 1825), post regulas Indicis positum, quo Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos hortatur, *ut, quia prorsus impossibile est libros omnes noxios incessanter prodeuntes in indicem referre, propria auctoritate illos e manibus fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur, quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant.*

Quod attinet ad prohibitionem de non imprimendis libris absque prævia licentia, eam hodie pronuntiandam non habent Episcopi, cum sit jam universali lege quoad totam Ecclesiam sancita.

Propositio VII[a]. — *Dicta potestas particularibus etiam Episcoporum Conciliis competit.* — Si enim competat singulis Episcopis, a fortiori competit iisdem in Concilio adunatis. Ast etiam ab ejusmodi Conciliis pronuntiatæ librorum prohibi-

tiones duplici supradicto inconvenienti obnoxiæ sunt. « Equidem ipsorum decreta latius vigebunt quam privati Episcopi. « Attamen, nisi ab universali Ecclesia pro regula recipiantur, « aut a Summo Pontifice confirmentur, ab ægre ferentibus « oppugnari poterunt, nec plenum unquam vigorem habebunt... Quod multo magis applicandum venit cleri comitiis « (aux *assemblées* du clergé) quæ non sunt Concilia proprie « dicta. Hinc contra comitia anni 1700 quædam edita sunt, « quæ in horum comitiorum honorem nequaquam cesserunt. « Comitia autem anni 1660, varias a se pronuntiatas prohibitiones contra Missale in linguam gallicam a doctore sorbonico « du Voisin translatum, postularunt (litteris 7 januarii 1661) « ab Alexandro VII auctoritate Pontificia roborari. » (Zaccaria, *Storia polemica*, libro 2, diss. 2, cap. 4, n. 2.)

Ast temperanda etiam sunt hæc Zaccariæ verba, per relatum superiori propositione *Mandatum* Leonis XII.

CAPUT V.

DE INDICE NOTIO HISTORICA.

Quæstio I[a]. — *Quid sit Index.* — 1° Indicis nomine proprie intelligitur liber, Sedis Apostolicæ auctoritate editus cum hac inscriptione, *Index librorum prohibitorum.* Vocatur *index*, quia *indicat* quinam sint libri prohibiti.

2° Liber iste, qualis hodie Sedis Apostolicæ auctoritate editus viget, duabus partibus constat: prior complectitur leges seu decreta, quibus prohibentur certæ quædam librorum *species*, et varia circa librorum impressionem servanda præscribuntur: posterior est catalogus librorum *nominatim* prohibitorum.

3° Sub priori parte hæc occurrunt: primo, decem decreta, quæ inscribuntur, *regulæ Indicis, sacrosanctæ Synodi Tridentinæ jussu editæ:* secundo, *observationes ad regulam quartam et nonam, Clementis VIII jussu factæ:* tertio, *observationes ad regu-*

lam decimam, Alexandri VII jussu additæ: quarto, *Instructio Clementis VIII:* quinto, Constitutio *Sollicita* Benedicti XIV: sexto, ejusdem Benedicti XIV jussu edita *Decreta de libris prohibitis nec in indice nominatim expressis:* septimo, *mandatum* quoddam Leonis XII: octavo, duplex *monitum* Sacræ Congregationis Indicis.

4° Indicis vocabulo quandoque designatur, non præfatus liber, sed ipsa Sacra Congregatio Cardinalium, cui commissa est cura noxios libros Summi Pontificis nomine et auctoritate prohibendi, et dicto librorum prohibitorum catalogo adjiciendi. In hoc sensu dicitur, verbi gratia, librum aliquem *decreto Indicis fuisse confixum;* idest a præfata Sacra Congregatione prohibitum vel proscriptum. Ipsa autem Sacra Congregatio vocata est *Indicis*, quia initio ipsi commissa est cura dicti libri ordinandi atque edendi.

5° Confecti sunt etiam particulares in aliquibus provinciis ecclesiasticis librorum prohibitorum indices. Sed ubi sermo est de *indice* simpliciter et sine addito, intelligitur Index Pontificius, idest, supradictus liber Sedis Apostolicæ auctoritate editus.

Quæstio II[a]. — *Quid circa libros noxios dispositum fuerit, ab anno* 1500 *usque ad Concilium Tridentinum?* — Probavimus jam supra (capite 1, propositione 5) perpetuo in Ecclesia viguisse praxim noxios libros prohibendi: ad quod patefaciendum chronologice documenta adduximus usque ad initium decimi tertii sæculi. Hic nunc ab anno 1500 usque ad Tridentinam Synodum cursim subjicienda visa sunt varia hac de re ecclesiastica statuta, ut videat lector, quænam disciplina Indicis confectioni proximius præcesserit.

Anno 1501, prohibuit Alexander VI ne scripta ulla imprimerentur absque prævia Ordinarii licentia. Documentum illud retulimus supra (capite 1, propositione 6).

Anno 1515, idem universali decreto prohibitum est, in generali Concilio Lateranensi, sess. 10, sub excommunicatione et aliis pœnis (vide illud decretum supra, capite 1, propos. 6).

Anno 1520, Leo X, Constitutione sua *Exurge Domine*, sub pœnis per sacros Canones contra hæreticos statutis, universis fidelibus prohibuit, *ne scripta etiam præfatos errores non continentia ab eodem Martino (Luthero) quomodolibet condita vel edenda, seu eorum aliqua, tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer suspecta, et ut ejus memoria omnino deleatur de Christi fidelium consortio, legere, adserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, sive defendere per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, seu in domibus suis sive aliis locis publicis vel privatis tenere, quoquomodo præsumant : quinimo illa comburant.*

Anno 1524, Parlamentum Parisiense flammis comburi jussit Lutheri scripta et a Clemente VII obtinuit, ut in Bulla *Cœnæ* sequentis anni, cum cæteris hæreticis excommunicarentur Martinus Lutherus, *librosque ipsius Martini aut quorumvis aliorum ejusdem sectæ, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicæ quomodolibet legentes, aut in suis domibus tenentes, imprimentes aut quomodolibet defendentes ex quavis causa publice vel occulte, quovis ingenio vel colore.*

Anno 1528, Concilium Brugense, decretis 3 et 4, prohibuit sub pœna carceris, ne libri lutherana hæresi infecti imprimerentur, atque injunxit ut jam impressi intra mensem locorum Ordinariis traderentur. Item decrevit ne vendi aut emi possent libri Sacræ Scripturæ in linguam vernaculam translati, nisi prius fuissent ab Ordinariis recogniti. (Vide apud Labbe, tomo 14, col. 426).

Eodem anno 1528 Concilium Parisiense (quod et Senonense vocatur) sub excommunicatione prohibuit, ne Lutheri libros quisquam detineret : item sub excommunicatione, ne imprimerentur libri sacri aut sanctiorum doctorum de fide aut moribus tractantes, sine Ordinariorum licentia : item sub excommunicatione decrevit, ut libri omnes fidem aut mores concernentes, a viginti annis citra impressi et postea imprimendi, non legerentur absque Ordinarii examine et licentia. (Vide apud Labbe, tomo 14, col 442 et 477).

Anno 1529, Cantuariense Concilium severe prohibuit Lutheranorum libros, quorum indicem seu catalogum contexuit (vide apud Zaccaria, *Storia polemica*, l. 1, epoca 4, n. 6).

Anno 1536, a Concilio Coloniensi districte prohibitum fuit, ne ulli imprimerentur libri, absque prævia Ordinariorum licentia (vide apud Zaccaria, loco citato, n. 7).

Circa annum 1543, Parisiis ediderunt theologi sorbonici *indicem librorum hæreticorum* (apud Zaccaria, ibid., n. 8).

Anno 1546, similem *indicem* edidit facultas Lovaniensis (ibid.)

Anno 1548, item pravorum librorum indicem edidit Joannes Casa, qui tunc Venetiis nuntii Apostolici munere fungebatur (ibid.)

Anno 1549, Concilium Coloniense brevem indicem edidit auctorum, quorum scripta sub anathemate prohibuit, *donec* (sunt Concilii verba) *pleniori catalogo libros contagiosos* indicaret (apud Labbe, tomo 14, col. 635).

Anno 1550, Julius III primus Bullæ *in Cœna Domini* inseruit generalem formulam, qua hæreticorum libri sub excommunicatione prohibentur.

Eodem anno publicavit Facultas Lovaniensis novam et adauctam sui indicis editionem. Atque idem præstitit anno sequenti Parisiensis Facultas.

Tandem anno 1557, Romæ confectus est primus index, Sedis Apostolicæ auctoritate munitus. Nimirum Paulus IV generalem prohibitorum librorum indicem Sacræ Congregationi Inquisitionis contexendum commisit. Editus est liber cum hoc titulo: *Index auctorum et librorum, qui tanquam hæretici aut suspecti aut perniciosi ab Officio S. Romanæ Inquisitionis reprobantur et in universa christiana republica interdicuntur*. Mox tamen ab eodem Paulo IV index ille suppressus est; ita ut admodum rara sint ejus exemplaria (vide apud Zaccaria, *Storia polemica*, libro 1, epoca 5, n. 10).

Anno 1558, jussit præfatus Paulus IV alium concinnari copiosiorem indicem; qui anno sequenti prodiit, ita inscriptus:

Index auctorum et librorum, qui ab Officio sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis caveri ab omnibus et singulis in universa christiana republica mandantur, sub censuris contra legentes vel tenentes libros prohibitos, in Bulla quæ lecta est in Cœna Domini expressis, et sub aliis pœnis in decreto ejusdem Sacri Officii contentis.

Cum autem plus æquo rigidus in nonnullis hic index visus fuisset, ejusdem Pauli IV jussu publicatum est anno 1561 a Cardinali majori inquisitore monitum sic inscriptum ; *Moderatio indicis librorum prohibitorum.* Hocce monito concedebatur : « 1° ut tollerentur ex indice libri qui nulla alia ratione prohibiti sunt, nisi quia ab impressoribus suspectis emanarunt : « 2° versiones catholicorum doctorum tolerentur factæ ab « hæreticis, dummodo tollerentur hæreses : 3° libri catholicorum, non alia ratione prohibiti, nisi quia præfationes, « summulas et scholia habent hæreticorum, purgati tolerentur. » (Apud Zaccaria, loco citato, n. 12).

Ex dictis patet jam ante Tridentinam Synodum exstitisse indicem quoad universalem Ecclesiam obligatorium.

Quæstio IIIª. — *Quid in Concilio Tridentino peractum sit.* — Magis in dies grassante pravorum librorum peste, opportunum remedium existimarunt Tridentini Patres, si novus index ab ipsomet Concilio conficeretur. Sed obstabat, quod jam ejusmodi indicem edidisset Summus Pontifex ; eas autem causas quibus manum semel apposuerit Sedes Apostolica, nulli fas sit, ac ne ipsi etiam generali Concilio, propria auctoritate, seu absque ipsiusmet Sedis Apostolicæ assensu, iterum tractare ac definire. Sublata est difficultas a Paulo IV, qui per litteras in forma Brevis Patres Concilii ipse adhortatus est, ut manum huic operi admoverent.

Quapropter ad conficiendum indicem deputati sunt a Concilio decem et octo Patres, quibus liceret theologos sibi adjungere, quorum opera uterentur.

Opus absolverunt dicti 18 Patres sub finem anni 1563. Sed cum tunc Tridentini Patres vehementer optarent Concilio fi-

nem imponi, (prout revera die 4 decembris ejusdem anni impositus est), defuit tempus ad indicem illum conciliariter approbandum, conficiendumque decretum quo universaliter obligatorius ediceretur. Igitur, sessione 25 et ultima, statuerunt Tridentini Patres in hunc modum : « Sacrosancta Syno-
« dus, in secunda sessione..., delectis quibusdam Patribus
« commisit, ut de variis censuris ac libris vel suspectis vel
« perniciosis quid facto opus esset considerarent, atque ad
« ipsam sanctam Synodum referrent : audiens nunc, huic
« operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen,
« ob librorum varietatem et multitudinem, possit distincte
« et commode a sancta Synodo dijudicari, præcipit ut, quid-
« quid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici
« exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur et
« evulgetur. »

Quæstio IV[a]. — *Quid post Tridentinam Synodum a Pio IV peractum sit?* — Indicem a supradictis 18 Tridentinis Patribus confectum, ad trutinam revocavit Pius IV, eum denuo doctorum virorum examini subjiciens, et per seipsum ipsemet recognoscens. Ac tandem eum, Constitutione *Dominici gregis*, 24 martii 1564, confirmavit. Editus est cum hac inscriptione: *Index librorum prohibitorum, cum regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Sanctissimi D. N. Pii IV Pontificis Maximi comprobatus.* Initio hujus indicis, post dictam Pii IV constitutionem, inserta est præfatio quædam Francisci Forerii, ex ordine dominicanorum, qui secretarium egerat commissionis 18 Patrum a Synodo Tridentina deputatorum. Quam præfationem refert Zaccaria (*Storia polemica*, libro 1, epoca 6, n. 3).

Post ejusmodi præfationem proxime sequebantur *decem regulæ* quales in modernis etiam editionibus habemus. Istæ autem regulæ sunt illæ ipsæ, quæ in Concilio Tridentino a supradictis 18 delectis Patribus confectæ fuerant; prout in memorata præfatione testatur Forerius his verbis : *Subjectas regulas componendas judicarunt.*

Quæstio V[a]. — *Quomodo a sancto Pio V (et non a Sixto V ut multi falso asseruere primum instituta sit Sacra Congregatio Indicis.* — Asserunt Spondanus, Cardinalis de Luca, Plettenberg, Vanespen, et alii communiter, Sacræ Congregationis Indicis auctorem fuisse Sixtum V: at minus recte. Hodie siquidem comperta res est, institutam eam fuisse a sancto Pio V, proximo post Pium IV Summo Pontifice. Nimirum illa ipsa commissio quam Pius IV ad absolvendum indicem deputaverat, post ejusdem indicis publicationem non fuit exstincta; sed Pii V auctoritate transiit in Sacram Congregationem Indicis, cujus officium esset libros qui in posterum prohibendi essent decretis suis configere, et prohibitorum scriptorum catalogo adjicere. Id testatur dominicanus Libelli, qui sub Alexandro VII dictæ S. Congregationi Indicis fuit a secretis: « Hanc postea deputationem, inquit, in Indicis Congregatio-« nem Pius V erexit, secretario eidem adsignato Antonio « Possio; ad quod munus deinceps Summi Pontifices viros ex « ordine Prædicatorum adsumpserunt. » (Apud Zaccaria, *Storia polemica,* libro 1, epoca 6, n. 4). Item ex certis testimoniis noscuntur nomina secretariorum Sacræ Congregationis Indicis, ante Sixtum V. (Vide apud Zaccaria, loco citato).

Quæstio VI[a]. — *Quid circa Indicem peractum sit a Sixto V et Clemente VIII?* — Sacræ Congregationis Indicis facultates adauxit Sixtus V. Insuper ejusdem Pontificis jussu, anno 1590, novus index confectus est, sed nunquam publicatus. (Vide apud Zaccaria, *Storia polemica,* l. 1, epoca 6, n. 11). Et huic indici, ejusdem Sixti V jussu, insertum fuerat primum volumen *Controversiarum* Bellarmini (vide ibidem, n. 12).

Negotium illud novi conficiendi indicis ad optatum finem perductum est sub Clemente VIII; qui, Constitutione *Sacrosanctum fidei catholicæ depositum,* 17 octobris 1596, novum illum indicem approbavit et confirmavit. Præfixa erat inscriptio hæc: *Index librorum prohibitorum, cum regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Pii IV primum editus, postea vero a Sixto V auctus, et nunc demum S. D.*

N. Clementis Papæ VIII jussu recognitus et publicatus: instructione adjecta de exequendæ prohibitionis, deque sincere emendandi et imprimendi libros ratione. Initio hujus indicis occurrebant, Constitutio Pii IV, præfatio Ferrerii, decem regulæ Indicis, observationes in quartam et nonam regulam, necnon in talmud aliosque hebræorum libros, et in librum Joannis Bodini, et tandem instructio in ipso titulo memorata. (Vide apud Zaccariam, *Storia polemica,* libro 1, epoca 6).

Quæstio VII[a].—*Quid ab Urbano VIII dispositum?* — Quoad auctores degentes in statu Pontificio, qui libros suos alibi imprimi procurabant, editum est a Sacra Congregatione Inquisitionis, 18 septembris 1625, decretum sequens, Urbani VIII auctoritate confirmatum :

« Sanctissimus Dominus noster, pro debito sui pastoralis « officii corrigere volens abusus nonnullorum, in statu Sedi « Apostolicæ mediate vel immediate subjecto existentium, « qui libros a se compositos extra præfatum statum, absque « ulla Ordinariorum et inquisitorum loci ubi degunt appro- « batione, imprimendos transmittunt ; statuit et decrevit, ut « in posterum nemo in statu prædicto degens, cujusvis con- « ditionis, gradus, ordinis et dignitatis existat, libros de qua- « vis materia tractantes, et ubicumque compositos, audeat « alio deferre vel mittere imprimendos, sine expressa in scri- « ptis adprobatione Illustrissimi et Reverendissimi Domini « Cardinalis, Sanctissimi Domini Nostri Vicarii, et Magistri « Sacri Palatii, si in Urbe ; si vero extra Urbem existant, « sine Ordinarii et inquisitoris loci illius, sive ab iis deputa- « torum, facultate et licentia, operi præfigenda. Libros au- « tem, quos contra præsentis decreti tenorem imprimi conti- « gerit, præter alias pœnas arbitrio Suæ Sanctitatis infligen- « das, absque alia declaratione ex nunc prohibet et pro ex- « presse prohibitis haberi vult et mandat. Contrariis quibus- « cumque non obstantibus... »

Item sub Urbano VIII, anno 1632, prodiit prima indicis editio sub uno solo alphabetico ordine digesta, cura ac labore

Francisci Magdaleni Capiferri, ex ordine Prædicatorum. Priores enim indices libros in tres classes divisos exhibebant (vide apud Zaccaria, *Storia polemica*, l. 1, epoca 6, n. 22).

Quæstio VIII[a]. — *Quid ab Alexandro VII circa Indicem fuerit dispositum.* — Jussu dicti Pontificis facta est, anno 1664, nova indicis editio; cui Sacræ Congregationis Indicis secretarius *Libellus* catalogum adnexuit Cardinalium et consultorum præfatæ Congregationis, a prima ipsius fundatione usque ad dictum annum 1664.

Anno sequenti, iterum editus, detracto prædicto catalogo, librorum prohibitorum index, curante Vincentio Fano, qui Libello successerat.

Anno 1666, damnata est ab Alexandro VII propositio sequens, quam nonnulli sustinebant : *Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri usquedum adhibita diligentia corrigantur* (45[a] inter propositiones damnatas 18 martii 1666).

Quæstio IX[a]. — *Quid a Benedicto XIV peractum sit?* — Edidit laudatus Pontifex, anno 1753, celebrem suam Constitutionem *Sollicita*, qua peragendæ librorum censuræ normam præscripsit.

Anno 1757, 3 julii, editum est Sacræ Congregationis Indicis decretum, quo facultas datur Sacræ Scripturæ vulgares versiones legendi, dummodo versiones illæ, vel approbatæ fuerint a Sede Apostolica, vel editæ sint cum catholicorum auctorum annotationibus.

Anno 1758, prodiit novus index, sic inscriptus : *Index librorum prohibitorum, Sanctissimi D. N. Benedicti XIV, Pontificis Maximi jussu recognitus atque editus.* In modo cum concinnandi adhibita est melior forma, quæ a præcedentium methodo nonnihil discrepat, et quæ postea semper servata est.

Quæstio X[a]. — *Quid circa Indicem peractum sit, a tempore Benedicti XIV ad hodiernum usque diem?* — Sub Pio VI confectus quidem fuerat novus index; at publicatus non est ante Pium VII. Hujus autem Pontificis jussu publicata est nova editio, sic inscripta : *Index librorum prohibitorum, S. D. N.*

Pii VI Pontificis jussu editus, et sub Pio VII ad annum usque 1806 *continuatus.* Altera sub Pio VII prodiit editio anno 1819.

Sub Gregorio XVI duplex item prodiit indicis editio, nimirum, annis 1835 et 1841.

Recentes autem ejusmodi editiones nihil aliud sunt quam reproductiones indicis Benedicti XIV, cum accessione librorum noviter proscriptorum, qui suis respective locis inseruntur.

CAPUT VI.

QUAM VIM OBLIGANDI HABEAT PRIOR PARS INDICIS, QUÆ SCILICET LIBRORUM NOMINATIM PROHIBITORUM CATALOGO PRÆMITTITUR.

Vocamus hic *priorem partem* indicis varia illa decreta quæ in indice, ante catalogum librorum *nominatim* prohibitorum, reperiuntur. Inter ejusmodi leges seu decreta, primum et præcipuum locum obtinent decem *regulæ*, quæ a nonnullis Tridentinæ Synodi Patribus confectæ, a Pio Papa IV postmodum editæ sunt. Hisce decem regulis, quæ *Tridentinæ* vocari solent, accesserunt subsequentium Pontificum auctoritate, nonnullæ aliæ præscriptiones, prout initio superioris capitis enarravimus. De ejusmodi decretis hic expendendum venit an legis universalis vim habeant, et an libri, qui in eis prohiberi dicuntur, sint revera inter prohibitos computandi, antequam *nominatim* in indicem relati fuerint.

Propositio I^a^. —*Decem Indicis regulæ rationem habent legum universalium ex Pontificia auctoritate.* — Ita tenendum est, si earum observantia Pontificiis Constitutionibus præscripta sit, et ejusmodi Pontificiæ Constitutiones sint leges universales: atqui,

I. *Decem regularum Indicis observantiam præscripserunt variæ Summorum Pontificum Constitutiones.* — 1° Sic habetur in Constituti \1 (Pii IV *Dominici gregis,* 24 martii 1564 : « Ipsum in« dicem, una cum regulis ei præpositis, auctoritate Aposto-

« lica tenore præsentium approbamus, imprimique ac divul-
« gari, et ab omnibus universitatibus catholicis ac quibuscum-
« que aliis ubique suscipi, easque regulas observari manda-
« mus ac decernimus. Inhibentes omnibus ac singulis... ne
« quis contra earum regularum præscriptum, aut ipsius
« prohibitionem Indicis libros ullos legere habereve audeat. »

2° In Constitutione *Sacrosanctum* Clementis VIII, 17 octobris 1595, enarrat primum Pontifex quid a Tridentina Synodo, et Pio IV peractum sit: « Sacra Tridentina Synodus, inquit,
« pestilentem noxiorum librorum copiam quæ plus nimio
« excreverat coercere atque auferre cupiens, primum quidem
« doctissimos aliquot viros delegit, qui de tota ea re cognos-
« cerent et deliberarent, deinde vero, cum ii in negotio non
« parum progressi essent, justis de causis eadem Synodus
« permota, ad ipsam Apostolicam Sedem integram rem de-
« ferendam statuit. Itaque felicis recordationis Pius Papa IV
« prædecessor noster, qui tunc ad Ecclesiæ gubernacula
« sedebat, Prælatis quibusdam doctrina et prudentia præ-
« stantibus adhibitis, indicem librorum prohibitorum, et re-
« gulas quasdam, per suas litteras in forma Brevis promulga-
« vit... »

Postea idem Clemens VIII dictum indicem et regulas Pii IV, cum adjectis a se præscriptionibus, observari præcipit in hunc modum: « Nos tam eamdem Pii prædecessoris Consti-
« tutionem, et indicem ac regulas, quam hæc ipsa illis addita
« prout inferius descripta sunt, omnia et singula, auctoritate
« Apostolica, tenore præsentium approbamus.., atque ab om-
« nibus, tam Universitatibus quam singularibus personis ubi-
« que locorum existentibus, sub eisdem pœnis in dicta Pii
« Constitutione contentis observari præcipimus et manda-
« mus... Non obstantibus... consuetudinibus...; quibus omni-
« bus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione
« de illis... specifica et ad verbum inserta mentio habenda
« esset..., specialiter et expresse derogamus. »

3° In Constitutione *Speculatores*, 5 martii 1664, qua novam

et novæ formæ indicis editionem publicavit Alexander VII, sic decernitur : « Composito indice generali hujusmodi, cui « etiam regulæ indicis Tridentini, cum observationibus et « instructione memorato indici Clementino adjectis, appositæ « fuerunt, Nos... eumdem indicem..., cum omnibus et sin- « gulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsen- « tium confirmamus et approbamus, ac ab omnibus tam uni- « versalibus quam singularibus personis, ubicumque locorum « existentibus, inviolabiliter et inconcusse observari manda- « mus et præcipimus, sub pœnis... »

4° In Constitutione *Quæ ad catholicæ*, 23 decembris 1757, Benedicti XIV : « Crescente autem in dies exitiosa ipsorum « segete et copia, renovari identidem atque augeri oportuit « indices ipsos. Quorum primum quidem publica Ecclesiæ « auctoritate a sapientissimis Tridentinæ Synodi Patribus « dispositum, felicis recordationis Pius Papa IV prædecessor « noster optimis regulis communitum perfecit, atque Aposto- « lica auctoritate vulgavit. Deinde vero Clemens Papa VIII « itidem prædecessor noster librorum numero auctum, atque « nonnullis in antedictas regulas observationibus illustratum « nova luce donavit. Alexander denique Papa VII, pariter « prædecessor noster, diversa a prioribus methodo ordina- « tum, atque in varias partes tributum hujusmodi indicem « suo nomine edi voluit ac promulgari. »

Enarrat postea Benedictus XIV suo etiam jussu concinnatum fuisse novum indicem, de quo sic decernit : « Absolutum « itaque juxta mentem nostram laudatum indicem, et ab « iisdem Cardinalibus revisum atque recognitum, typis Ca- « meræ nostræ Apostolicæ edi voluimus, ipsumque præsenti- « bus litteris nostris tanquam expresse insertum habentes, « auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus et « confirmamus, atque ab omnibus et singulis personis, ubi- « cumque locorum existentibus, inviolabiliter et inconcusse « observari præcipimus et mandamus ; sub pœnis tam in re- « gulis Indicis, quam in litteris et Constitutionibus Apostolicis

« alias statutis et expressis ; quas tenore earumdem præsen-
« tium litterarum confirmamus et renovamus. Non obstanti-
« bus... consuetudinibus etiam immemorabilibus...

5° Tandem Gregorius XVI in sua Encyclica 8 maii 1844 :
« In communem notitiam revocatum volumus standum esse
« generalibus regulis et decessorum nostrorum decretis,
« quæ indici librorum prohibitorum præpositæ habentur ;
« atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse qui no-
« minatim in eumdem indicem relati sunt, sed ab aliis etiam,
« de quibus in commemoratis generalibus præscriptionibus
« agitur. »

Ergo 1° decem regularum Indicis observantiam præscribunt plures Pontificiæ Constitutiones.

II. *Ejusmodi Pontificiæ Constitutiones, non sunt leges particulares, sed universales, seu universam Ecclesiam respicientes.* — Universalis enim est Pontificia lex, in qua exprimitur Summi Pontificis voluntas universaliter obligandi, et quæ fuit sufficienter promulgata : atqui,

1° In dictis Pontificiis Constitutionibus exprimitur universaliter obligandi voluntas. Præcepta enim in eis contenta exprimuntur, non per particulares, sed per *universales* propositiones, ita ut nihil denotet præcepta illa ad aliquas dumtaxat personas aut regiones restringi.

Imo expressis verbis declaratur leges istas esse universales ; ut patet ex formula, *ab omnibus tam Universitatibus quam singulis personis ubique locorum existentibus ;* quæ formula, cum iisdem aut æquivalentibus terminis, reperitur in citatis Constitutionibus Pii IV, Clementis VIII, Alexandri VII et Benedicti XIV.

2° Non deest sufficiens promulgatio. Vide id probatum infra, cap. 9. Sane cum suum indicem universaliter obligatorium reddere voluit Benedictus XIV, non procuravit Pontificium hac de re decretum in singulis provinciis promulgari, sed more solito edidit dumtaxat suum Breve *Quæ ad catholicæ* (23 decembris

1757), in quo sic disposuit : « Ipsumque præsentibus litteris « nostris tanquam expresse insertum habentes, auctoritate « Apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, « atque ab omnibus et singulis personis *ubicumque locorum* « *existentibus,* inviolabiliter et inconcusse observari præcipi- « mus et mandamus ; *sub pœnis,* tam in regulis Indicis quam « in litteris et Constitutionibus Apostolicis, alias statutis et « expressis ; quas tenore præsentium confirmamus et reno- « vamus... *Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum* « *transumptis seu exemplis impressis, manu alicujus notarii pu-* « *blici subscriptis, et sigillo Prælati alicujus in dignitate eccle-* « *siastica constituti obsignatis, eadem prorsus fides habeatur, quæ* « *ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.* »

Ergo revera decem Indicis regulæ, utpote per universales Romanorum Pontificum leges præscriptæ, rationem legis universalis et ipsæ habent.

Propositio II[a]. — *Decem Indicis regulæ proprie dictis Tridentinis decretis non sunt annumerandæ : ipsis tamen indirecte accessit Tridentinæ Synodi auctoritas.* — Equidem ipsiusmet Tridentinæ Synodi jussu, conficiendo prohibitorum librorum indici operam navarunt 18 Patres, ad id designati ; et dictas decem regulas indici a se confecto præmiserunt. Sed, (prout superiori capite, quæstione 3 et 4, narravimus) instante Concilii conclusione, huncce indicem Tridentini Patres conciliariter non expenderunt, nec ullo decreto approbarunt aut obligatorium decreverunt ; sed Romano Pontifici negotium remiserunt.

Decreverunt tamen hoc modo : *Quidquid præstitum est Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur et evulgetur.* Porro his verbis indirecte suum faciebant futurum Sedis Apostolicæ hac de re decretum. Cum ergo Sedes Apostolica dictas decem regulas approbaverit et obligatorias decreverit, dici potest huic Pontificio decreto Tridentini etiam Concilii auctoritatem, in aliquo vero sensu, id est, indirecte, accessisse.

PROPOSITIO III^a^. — *Cæterœ præscriptiones, quæ ante librorum nominatim prohibitorum catalogum in Indice reperiuntur, legis universalis rationem habent.* — Ejusmodi enim decreta Pontificia, nimirum Clementis VIII, Alexandri VII et Benedicti XIV auctoritate edita, universalem Ecclesiam respiciunt, prout ex ipso tenore patet. Prætercea editum a se Indicem præcepit Benedictus XIV (Constitutione *Quæ ad catholicæ*, 23 decembris 1757) *ab omnibus et singulis personis ubicumque locorum existentibus inviolabiliter et inconcusse observari ;* et quidem *sub pœnis, tam in regulis Indicis, quam in litteris et Constitutionibus Apostolicis expressis.* Porro in isto Indice continentur dictæ præscriptiones. Ergo et istæ præscriptiones quoad omnes obligatoriæ sunt. Ergo legis universalis rationem habent.

PROPOSITIO IV^a^. — *Falsa et omnino derelinquenda est opinio quæ tenet, aut nullos aut non omnes libros, qui in generalibus* (1) *regulis Indicis prohiberi dicuntur, per solas illas regulas effici prohibitos ; sed tunc dumtaxat evadere prohibitos, quando* nominatim *prohibentur.* — Fatemur non defuisse doctores qui aliter senserint. Inter quos alii existimarunt, vi generalium regularum Indicis non tam prohiberi libros, quam tradi modum juxta quem prohiberi debeant (vide apud Billuart, *de legibus,* dissert. 3, art. 2, § 1) : alii distinguunt inter primæ et secundæ classis libros ; et concedunt quidem vi regularum generalium esse prohibitos libros *primæ classis ;* at tenent libros *secundæ classis* non esse vi dictarum generalium regularum prohibitos ; ita ut tunc dumtaxat evadant prohibiti, quando *nominatim* a Sacra Congregatione prohibentur. De quo sic Layman (libro 2, tractatu 1, cap. 15, n. 8) : « In prima « (classe) ponuntur auctores omnes hæretici, vel de hæresi « publice suspecti ; quorum omnes libri de religione trac- « tantes vel hæresim continentes, tum editi tum in posterum

(1) Vocamus hic *generales Indicis regulas,* tum decem illas regulas in Concilio Tridentino concinnatas et a Pio IV editas, tum alias generales præscriptiones, quæ a subsequentibus Pontificibus dictis decem regulis adnexæ sunt, et habentur in Indice Romano, ante librorum nominatim prohibitorum catalogum.

« edendi prohibentur... Ad alteram vero classem pertinent « libri, qui doctrinam non sanam, suspectam, vel moribus « fidelium repugnantem continere judicantur, tametsi a ca- « tholicis auctoribus prodierint... *Cujusmodi libri non ante « prohibiti censentur, quam speciatim in Indicem relati fue- « rint.* »

Dicimus autem præfatam utramque opinionem omnino derelinquendam esse. Etsi enim olim probabilis aliquatenus videri potuerit, at hodie nullatenus potest ut talis propugnari; ob Encyclicas nempe Gregorii XVI mox citandas litteras, quæ falsam eam esse palam faciunt. Hinc excusandi quidem præfati auctores, quia quo scripserunt tempore res haud adeo eliquata fuerat ; at minime excusandus hodiernus scriptor qui eis adhæreret. His ad positæ conclusionis intelligentiam prænotatis, remanet ut conclusionem ipsam veram probemus.

Argumentum I.— *Ex litteris Encyclicis Gregorii XVI*, 8 *maii* 1844. — Sub finem ejusmodi litterarum sic habetur : « In « communem notitiam revocatum volumus, *standum esse gene- « ralibus regulis et decessorum nostrorum decretis,* quæ Indici « prohibitorum librorum præposita habentur ; atque adeo « *non ab iis tantum libris cavendum esse, qui nominatim in « eumdem Indicem relati sunt ; sed ab aliis etiam, de quibus in « commemoratis generalibus præscriptionibus agitur.* » (Illas Encyclicas litteras vide apud *Journal historique de Liége,* tom. 11, pag. 86). Ex illo textu sic arguimus : si libri per generales regulas non efficerentur prohibiti, sed dumtaxat per decreta quibus *nominatim* prohibentur, *cavendum esset* tantummodo a libris in Indicem *nominatim* relatis, non autem ab aliis *de quibus in commemoratis generalibus præscriptionibus agitur* : sed contrarium expresse declarat Gregorius XVI : ergo revera libri de quibus in generalibus regulis agitur, per illas regulas efficiuntur prohibiti, et tales revera sunt antequam *nominatim* a Sacra Congregatione prohibeantur.

Argumentum II. — *Ex ipsomet textu generalium regularum.* — 1° Sic habet *secunda* ex decem regulis : « Hæresiarcharum

« libri... *omnino prohibentur*. Aliorum autem hæreticorum « libri, qui de religione quidem ex professo tractant, *omnino* « *damnantur*. Qui vero de religione non tractant, a theologis « catholicis, jussu Episcoporum et inquisitorum examinati et « approbati *permittuntur*. » Et infra de alia librorum specie dicitur, *permitti poterunt*. Jam vero dum legislator varias librorum species enumerans, de aliquibus dicit, *omnino prohibentur*, *omnino damnantur*, dubitari nequit quin velit et decernat eos libros esse prohibitos et damnatos ; præsertim cum simul de aliis speciebus dicat, *permittuntur*, *permitti poterunt*. Si noluisset libros illos revera prohibitos efficere, et intendisset dumtaxat indicare libros istos esse a Sacris Congregationibus prohibendos, absone locutus fuisset. Non enim debuisset dicere *prohibentur*, *damnantur*, sed *prohibeantur*, *damnentur*.

2° Regula septima sic decernitur : « Libri qui res lascivas « seu obcœnas ex professo tractant, narrant aut docent... « *omnino prohibentur* ; et qui eos habuerint severe ab Epi- « scopis puniantur. Antiqui vero ab ethnicis conscripti... « *permittuntur* : nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt. » Nisi hoc suo decreto legislator dictos libros revera prohibitos reddere voluisset, injuste jussisset ut puniantur horum librorum detentores ; siquidem libri isti nequaquam essent adhuc prohibiti, sed prohibendi. Eodem modo argui potest ex regula nona.

3° Regula *decima* sic disponit : « Liberum tamen sit Epi- « scopis, et inquisitoribus generalibus, secundum facultatem « quam habent, *eos etiam libros*, *qui his regulis permitti viden-* « *tur prohibere*. » Ibi aperte supponitur esse libros qui per dictas regulas permittuntur, et alios qui per easdem non permittuntur, seu vere prohibiti efficiuntur. Si enim vi harum regularum nulli essent prohibiti, seu (quod idem est) si per hasce regulas libri omnes remanerent permissi, absurde Episcopis liberum declararetur prohibere *eos etiam libros*, qui his regulis permitti videntur ; siquidem omnes pro permissis ha-

bendi forent. Ergo sunt libri qui per illas regulas prohibiti vere efficiuntur.

Tales autem sunt libri omnes, in iis regulis per species suas designati, de quibus dicitur *prohibentur* vel *damnantur*, vel aliquid simile. Nisi enim hi per dictas regulas prohibiti censendi sint, nulli censendi forent.

4° Sub finem regulæ decimæ sic habetur : « Ne quis audeat « contra harum regularum præscriptum, *aut* hujus Indicis « prohibitionem libros aliquos legere aut habere. » Quæ verba rem prorsus evincunt, ut patet ex particula disjunctiva.

Argumentum III. — *Ex decretis quæ Benedicti XIV auctoritate regulis Indicis adnexa sunt.* — Habentur decreta hæc in Indice sic inscripta : *Decreta de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis.* Et eis hocce proœmium præmittitur : « Cum non omnes libri, qui vi Constitutionum Apostolicarum « aut decretorum Congregationum Sancti Officii et Indicis « prohibiti sunt, singillatim describi in Indice propter eorum « ingentem numerum possint, necessarium visum est hujus- « modi libros ad certa quædam capita revocare, ac per mate- « rias de quibus agunt eorum veluti indicem conficere ; ut, « si quod circa librum aliquem in Indice non descriptum, *aut* « *in regulis ejusdem Indicis non comprehensum*, exoritur dubium, « intelligi possit, utrum inter prohibitos sit computandus. » Ibi aperte supponitur nullatenus dubitari posse an liber aliquis sit prohibitus, quando in regulis Indicis comprehenditur. Supponitur nempe tam certo tunc illum esse inter prohibitos computandum, quam si *nominatim* in Indice descriptus reperiretur. Præterea ipsamet inscriptio adversariorum opinionem subvertit ; si quidem exprimit dari libros *prohibitos, nec in Indice nominatim expressos.*

Argumentum IV. — *Ex Constitutione Dominici gregis Pii IV.* —In hac Constitutione, qua primum Indicem, cum præmissis decem generalibus regulis, confirmavit laudatus Pontifex, sic habetur : « Inhibentes.., ne quis *contra earum regularum præs-* « *criptum, aut ipsius prohibitionem Indicis*, libros ullos legere

« habereve audeat. Si quis autem adversus regulas prohibi-
« tionemque fecerit etc. » Ibi sane prohibiti apertissime declarantur, non tantum libri per Indicem nominatim prohibiti, sed etiam prohibiti per generales regulas.

Argumentum V. — *Ex paritate cum Bulla Cœnæ.* — In ea Bulla sub excommunicatione Summo Pontifici reservata prohibentur non *nominatim*, sed generatim et in globo, omnes hæreticorum libri, hæresim continentes, vel de religione tractantes. Et tamen nulli dubium est quin hac prohibitione attingantur ejusmodi libri omnes, atque etiam ii qui in dies prodeunt. Ergò a pari dicendum est vere prohibitos effici libros omnes, qui per generales Indicis regulas prohibentur, quamvis non *nominatim* designentur, sed tantum per species. Ejusmodi enim generales regulæ non minus legum Pontificiarum rationem habent, quam ipsa Bulla in Cœna Domini.

Argumentum VI. — *Ex auctoritate Sacræ Congregationis Indicis.* — In decreto, verbi gratia, 26 aprilis 1853, cujus tenorem referimus infra (capite 10), de quodam libro quem proscribit, sic declarat : *Opus jam reprobatum damnatumque in regula* 2 *Indicis, ut alia id genus nefaria et contemnenda hæreticorum scripta.* Ergò Sacra Congregatio opus illud jam, vi regularum generalium, proscriptum existimavit, antequam *nominatim* prohiberetur.

Ergo revera prorsus dereliquendi sunt auctores qui tenuerunt, aut nullos, aut *secundæ* dumtaxat classis libros, per generales Indicis regulas esse prohibitos. Quæ opinio semper quidem falsa fuit : at hodie adeo aperte, ob citatas Gregorii XVI litteras, ut mihi videatur jam dici posse temeraria atque erronea.

Conclusio *præsentis capitis.* — Ex dictis concludendum est totam illam partem Indicis, quæ nominatim prohibitorum librorum catalogo præmissa est, rationem legis universalis habere. Proinde obligatoria quoad omnes et singulas christiani orbis regiones censenda est, iis solis exceptis, in quibus constaret prævaluisse contrariam consuetudinem legitime præ-

scriptam. An autem talis consuetudo legitime præscripta alicubi revera (verbi gratia in Galliis) contra legem prævaluerit, est quæstio quam infra, capite 9, expendimus et negative omninò solvendam probamus.

CAPUT VII.

De auctoritate seu vi obligandi decretorum ss. congregationum inquisitionis et indicis, quibus libri aut propositiones nominatim damnantur aut prohibentur.

Dicemus 1° de distinctione ejusmodi decretorum in dogmatica et disciplinaria : 2° de ipsorum vi obligandi quando sunt et in quantum sunt dogmatica : 3° de ipsorum vi obligandi quando sunt et in quantum sunt disciplinaria.

§ I.

De distinctione dictorum decretorum in dogmatica et disciplinaria.

1° Decretum contra librum aliquem aut aliquam propositionem editum pro *dogmatico* habendum est, quando, non tantum prohibet ne legatur aut defendatur ejusmodi liber aut propositio, sed insuper eis inurit erroris, schismatis, hæreseos, aliasve notas. E contra si decretum nihil tale pronuntiet, sed prohibeat solummodo ne liber legatur aut retineatur, decretum est mere *disciplinare*.

2° A Sacra Congregatione Inquisitionis nonnunquam emittuntur decreta dogmatica. Ad ipsam nempe deferri solent propositiones suspectæ ; quæ, si fidei aut bonis moribus adversentur, ab Eminentissimis dictæ Congregationis Patribus damnantur, sive tanquam erroneæ, sive tanquam schismaticæ aut hæreticæ, sive tanquam scandalosæ, etc. Item si pronuntiandum sit in aliquo libro contineri propositiones rectæ fidei aut bonis moribus contrarias, id ab eadem Sacra Inquisitionis

Congregatione præstari solet : et tunc dicitur pronuntiari de *facto dogmatico ;* nimirum de facto illo, an talis doctrina seu propositio revera in tali libro contineatur.

3° Sacra autem Congregatio Indicis prohibendis dumtaxat noxiis libris plerumque adlaborat ; ita ut ipsius decreta esse soleant solummodo disciplinaria. Alios autem libros prohibet ex eo quod, licet in se boni, nocumentum tamen multis legentibus afferre possint (prout Biblia Sacra vulgari idiomate edita) ; et alios ex eo quod intrinsece pravi sint. Dum tamen libros de se pravos proscribit, non definit expresse, hanc vel illam propositionem esse tenendam aut rejiciendam ; et ideo illa etiam decreta quibus libros ob pravam eorum doctrinam profligat, inter disciplinaria computanda sunt.

4° Propositam quæstionem, de vi obligandi decretorum Sacræ Congregationis Inquisitionis et Sacræ Congregationis Indicis, solvemus primo quoad decreta dogmatica, et dein quoad disciplinaria,

§ 2.

An et quatenus obligent dogmatica Sacrarum Congregationum decreta?

Propositio I[a]. — *Summus Pontifex, loquens ex cathedra, infallibilis est in decretis circa dogmata, circa facta dogmatica, et circa disciplinam universalem. Remissive.* — Id certum hic supponimus, et omninò tenendum probabimus in tractatu *de Papa.*

Propositio II[a]. — *Decreta dogmatica, quæ a Sacris Congregationibus, absque Summi Pontificis confirmatione aut speciali mandato eduntur, esse aliquatenus infallibilia tenet Zaccaria ; eo nimirum sensu, quod contingere nequeat ut ejusmodi decretis immerito aliqua doctrina tanquam erronea damnetur, aut alia nota percellatur.* — Triplex distingui solet dogmaticorum ejusmodi decretorum species. Etenim 1° alia eduntur *nomine Pontificis ;* ita ut in eis mentio non fiat de Cardinalibus, nisi tan-

quam consiliariis. Talia sunt Alexandri VII, Innocentii XI et Alexandri VIII decreta, quibus nonnullæ propositiones proscriptæ sunt. Item « exemplum notatu dignum hujusmodi « prohibitionis legitur apud Sotomajor (parte 2, pag. 252). « Innocentius nempe Papa X, per decretum Sacræ Inquisi- « tionis, 24 januarii 1647, proscripsit librum *De l'autorité de* « *S. Pierre et de S. Paul ;* eodemque decreto ut hæreticam « damnat propositionem libri principem, quo duorum Apos- « tolorum in jurisdictione asserebatur æqualitas. » (Heymans, *De librorum prohibitione,* pag. 182, edit. Bruxellis 1849). 2° Alia eduntur Emissentissimorum Patrum nomine, sed facta relatione Summo Pontifici, et de *speciali* ejus *mandato,* aut etiam accedente ejusdem *confirmatione.* 3° Dari tandem possunt quæ a Sacra Congregatione edantur, de consensu quidem Summi Pontificis, sed absque ipsius confirmatione aut speciali mandato.

De hac ultima specie quid tenuerit clarissimus Zaccaria, sub præsenti conclusione pandendum duximus. Equidem alicubi auctor ille asserit, decreta hæc *non esse vere infallibilia :* sed alibi mentem suam fusius explicans, eorum infallibilitatem in sensu positæ conclusionis, admittere videtur. Quapropter utrumque locum subjicimus.

1° Sic habet pagina 386 (*Storia polemica..* edit. Romæ 1777): « Alle volte questi decreti sono espressamente stesi a nome « del solo Papa ; nè i Cardinali di esse Congregazioni ci si « nominano se no come esaminatori, che abbiano a Sua Santita « dato il loro voto ; come vedesi ne' decreti di Alessandro VII, « d'Innocenzo XI, e di Alessandro VIII, contro alcune propo- « sizioni. Tal altra volta si publicano a nome degli Eminen- « tissimi Padri, ma dopo informato il Papa, e di speziale « suo ordine. In questi due casi sonoci veramente alcuni, i « quali vogliono che allora il Papa vada considerato, non « come capo della Chiesa, ma sol come capo e presidente di « quelle Congregazioni, e que pero in tali prohibizioni non « influisca la sua infallibilità ; ma egli è anche vero, che

« più sono di contrario avviso, e sostengono con molta ra-
« gione, che ancora in tali casi il Papa operi qual capo infal-
« libile della Chiesa. Ecco dunque falso anche per questa
« parte, che *i più zelanti partigiani dell' infallibilita del Papa*
« *accordino, che non è infallibile nelle proibizioni de' libri* (1).

« Restano quelle proibizioni che le Congregazioni fanno,
« coll' assenso bensì del Papa, ma non di particolare suo
« comandamento. *Queste non sono veramente infallibili.* »

2° Pagina autem 381 ejusdem operis, sic legere est : « E
« quanto al dirsi generalmente, che ci possono essere state,
« e ci potranno essere delle proibizioni Romane di libri in-
« giuste (purchè non di quelle che escano immediatamente
« dal Papa parlante *ex cathedra*, o dalle Sacre Congregazioni
« facciansi di spezial suo ordine, e con ispeziale sua appro-
« vazione per tutta la Chiesa) non trovera quest' autore (2)
« da noi gran contrasto. Perrochè in tali giudizi, se dalla
« infallibilita non sono sostenuti, per quanto venganci da per-
« sone respettabilissime, può, ora per parte de' revisori, ora
« anche per sinistra impressione di qualche giudice, o sofis-
« tico, o pauroso, o prevenuto, introdursi quando orrezione
« o surrezione, e quando anche o summo gius che passa in
« ingiura, o soverchia durezza e poca equita. Non sono le
« proibizioni di diversa natura dalle dispense, le quali certa-
« mente, parlando in genere, posson talora essere ingiuste.

« Ma in primo luogo, le ingiustizie che potessero alcuna
« volta corrompere un decreto di proibizione, se facciasi in
« riguardo della doctrina, per mio avviso, al più potrebbono
« aver luogo, perchè sia stata ad un autore attribuita qualche
« proposizione ch'egli veramente non abbia preteso di avan-
« zare, o certo non abbia voluta dirla nel senso reo, che da'
« censori le viene dato : *ma non giammai per rispetto alla dottrina*
« *medesima, almeno se teologica sia o sacra ; essendo io persuaso,*

(1) Sunt verba Jansenistæ Arnaldi, quæ ibi confutat Zaccaria.

(2) Nempe Arnaldus, cujus erroneam doctrinam ibi explodit Zaccaria.

« *che alla providenza appartenga di non permettere, che Roma,* « *anche fuori del caso in cui il Pontifice parli ex cathedra, con-* « *damni come errore una doctrina che tale non sia.* La sperienza « conferma la mia asserzione. Perrochè non si trovarà, dacchè « sono istituite le Sacre Congregazioni di Cardinali, che sia « stata da esse in qualche libro condamnata doctrina, « la quale non meritasse la fatta censura. Ma vi è anche la « sua ragione assai forte, cio è acchiocchè, quando il Papa « stesso ex cathedra ne proscrivisse qualcuna, ne si desse « a'malcontenti occasione di cavillare ; e sempre più si ris- « pettasse la sua censura, mentre ancor le altre condanne « fatte o da lui, benchè non ex cathedra, o da'suoi tribunali « si conoscessero costantemente esenti da errore nelle dot- « trina. »

Utriusque citationis verba conferendo, hæc videtur fuisse clarissimi Zaccariæ opinio : Sacrarum Congregationum decreta dogmatica, absque Pontificis confirmatione aut speciali mandato edita, fallibilia quidem esse in eo sensu, quod immerito proscribi possit liber tanquam continens errorem, quem revera non continet : non autem in eo sensu, quod per talia decreta possit tanquam erronea condemnari, aut alia nota percelli, doctrina aliqua, quæ notas illas non mereatur.

Propositio III^a^. — *Infallibilia non sunt decreta dogmatica a Sacris Congregationibus, absque Pontificis confirmatione aut speciali mandato edita.* — Etsi vera mihi videatur conclusio hæc, eam tamen absolute non propugno, ob supra expositam Zaccariæ contrariam opinionem ; sed eam prorsus ipsarummet Sacrarum Congregationum crisi ac correctioni subjiciendo. Quo prænotato,

Probatur I. — *Ex communi doctorum sententia.* — Hac de re disserit Lacroix ubi quæstionem istam expendit : *Si opinio ab aliqua Sacra Congregatione Romæ damnetur, an ideo amittat probabilitatem ?* (*De conscientia,*, tomo 1, n. 214). Enumeratis nempe Sancti Officii, Indicis, aliisque Sacris Congregationibus, sic docet : « Declarationes omnium harum Congregationum

« non sunt infallibiles, nisi fiant de speciali mandato Papæ,
« et nomine ipsius toti Ecclesiæ, post rem cum eo collatam.
« Tunc enim non tam sunt declarationes vel decreta harum
« Congregationum, quam Papæ ipsius, quas per tales Congre-
« gationes facit. De cætero tali Congregationi, ut contradis-
« tinctæ a Papa, nulla infallibilitas est appromissa, quamvis
« magna tribui debeat auctoritas. Ita Cardenas, in 1. *Crisi* d. 9.
« Et Terillus, in *Reg.* q. 14. n, 55 ». (loco citato n. 215).

Puto et ita sentire communiter doctores catholicos nec eorum exquirendis et subjiciendis textibus immorandum existimo.

Probatur II. — *Ex ratione theologica*, — Privilegium inerrantiæ Romano Pontifici divinitus concessum ipsi omnino personale est ; neque potest Summus Pontifex prærogativam illam aliis communicare. Textus enim Sacræ Scripturæ, et traditionis documenta quæ Summi Pontificis infallibilitatem adstruunt, simul aperte hanc prærogativam exhibent tanquam ipsi exclusive ex divina institutione propriam. Jam vero si infallibilia forent decreta dogmatica ex mandato *generali* a Sacris Congregationibus edita, incommunicabilis non esset infallibilitatis prærogativa, nec soli Romano Pontifici exclusive propria. Nam per ejusmodi *generale* mandatum deputantur quidem Cardinales ad judicandum de doctrina ; et auctoritate Pontificia hoc suum munus explent ; at judicia Cardinalium non sunt proprie judicia ipsiusmet Pontificis, quandiu Pontifex ea in particulari non cognoverit et assensum dederit. Nemo enim potest judicare de veritate aut falsitate alicujus propositionis, nisi propositionem illam cognoscat, et proprii intellectus actu eam veram aut falsam pronuntiet. Ergo si intervenerit dumtaxat generale mandatum, et non supervenerit ipsummet Pontificis propriedictum judicium, dicta decreta dogmatica non erunt simul judicia Cardinalium et Pontificis, sed dumtaxat judicia Cardinalium Ergo si forent infallibilia, infallibilitas hæc inhæreret Sacræ Congregationi, et Pontifex S. Congregationem generaliter ad judicandum de

doctrina deputando, ei suam communicaret inerrantiæ prærogativam.

Objicies. 1° — Per generale mandatum quo Romanus Pontifex Sacræ Congregationi Inquisitionis committit ut de doctrina pronuntiet, simul ei confert auctoritatem suam Pontificiam; ergo et auctoritatem infallibilem.

Respondeo. — Ei confert auctoritatem Pontificiam, quoad eam partem quæ est communicabilis et delegabilis, concedo : quoad eam partem quæ nequit communicari et delegari, nego. In iis scilicet quæ ad regimen ecclesiasticum pertinent et a voluntate pendent, potest Summus Pontifex auctoritatem suam delegare. Et de facto pluribus Sacris Congregationibus legislativam suam potestatem in certis materiis contulit Sedes Apostolica ; ita ut universaliter obligent decreta disciplinaria a Sacris Congregationibus,intra fines concessæ ipsis facultatis edita, perinde ac si ab ipso Pontifice immediate prodiissent. Et tunc applicandum venit axioma, *quod facit per alios perinde est ac si per se faceret.*

At vero potestas infallibiliter pronuntiandi de dogmate, ipsimet Pontifici, id est, judiciis ab ipsiusmet intellectu elicitis, divinitus alligata est. Ut nempe infallibile sit judicium de alicujus propositionis veritate aut falsitate, necesse est ut ipsemet Pontifex ad hanc propositionem attendens, de ea pronuntiet. Ergo nequit Pontifex hanc inerrantiæ prærogativam aliis communicare seu delegare. Ergo quamtumvis Sacram Inquisitionis Congregationem ad pronuntiandum de doctrina deputaverit, infallibile non erit ullum hujus Congregationis dogmaticum decretum, nisi Pontifex hocce decretum suo proprio et proprie dicto judicio firmaverit. Ejusmodi autem proprie dictum Pontificis judicium in generali mandato non includitur.

Objicies. 2° — Per generale mandatum, id est, deputando Sacram Congregationem ad pronuntiandum de doctrina,Summus Pontifex *sua facit* ejusdem Congregationis decreta, dogmatica. Ergo perinde valent decreta illa ac si forent ipsius-

met Pontificis judicia. Ergo infallibilia censenda sunt.

Respondeo. — Per solum generale mandatum Summus Pontifex nequaquam *sua facit* dicta Sacræ Congregationis judicia, eo modo qui ad infallibilitatem requireretur. Nam, ex dictis, ad infallibilitatem requireretur, ut quod de unaquaque propositione Sacra Congregatio pronuntiavit, idipsum Romanus Pontifex de iisdem propositionibus proprie dicto suo judicio pronuntiaret. Porro ejusmodi proprie dictum Pontificis judicium non adest per solum generale mandatum, ut patet : adest vero per *speciale* ipsius mandatum aut confirmationem, ut infra ostenditur.

Objicies. 3°—Rem evinci rationibus Zaccariæ supra relatis.

Respondeo. — Etsi de iis sim qui clarissimum virum summa æstimatione prosequantur, fateor tamen dictas rationes haud mihi peremptorias videri. Arguit nempe *primo* ab experientia, qua teste, nullum adhuc intervenit dictæ speciei decretum, erroneum aliquid definiens. Esto ita sit (a quo expendendo hic abstinemus, ne quis nobis Galilæi condemnationem et alia nonnulla obstrepat). At potuit ita contingere ob notam illam Eminentissimorum Patrum sapientiam, qua solent arduas de dogmate quæstiones Summo Pontifici remittere, ut eas suo supremo ac infallibili judicio dirimat ; ita ut suo nomine et absque Pontificis confirmatione aut speciali mandato non definierint, nisi quæ alias jam omnino plana erant.

Arguit *secundo* ex eo quod, ad majorem conciliandam Pontificis ex cathedra loquentis definitionibus reverentiam, divina dispositione cautum censendum sit, ut etiam dicta Congregationum decreta inerrantiæ privilegio donarentur. At quamvis negare non audeam ita revera fuisse divinitus dispositum, dico tamen id rigorose non probari. Non enim necesse fuit ut Pontifici ex cathedra loquenti reverentiam conciliaret Deus, omnibus qui excogitari possunt modis : at satis fuit provideri sufficienti aliquo modo : qualis profecto fuit, Pontificis ex cathedra loquentis inerrantiam revelasse, et Ecclesiæ suæ omnino certam fecisse.

PROPOSITIO IVª. — *Infallibilia non esse dicta decreta dogmatica, quando eduntur Summi Pontificis nomine, item quando eduntur nomine Sacræ Coagregationis, sed de speciali mandato Pontificis, aut cum ipsius confirmatione, pauci quidam doctores catholici opinati sunt : ast esse tunc infallibilia tenendum est.* — PROBATUR PRIOR PARS conclusionis, id est, a nonnullis revera doctoribus catholicis negatam fuisse dictam infallibilitem. Id testatur Zaccaria (*Storia polemica*, in appendice n. 6, pagina 386, edit. Romæ 1777) : « Quandoque inquit, hæcce decreta expresse « eduntur solius Papæ nomine ; neque in eis de se mentionem « faciunt harum Congregationum Cardinales, nisi tanquam « examinatoribus qui votum suum Summo Pontifici aperue- « runt... Quandoque autem Eminentissimorum Patrum no- « mine publicantur ; sed facta relatione Summo Pontifici, et « de speciali ejus mandato. *In his duobus casibus sunt revera « nonnulli qui tenent, Summum Pontificem censendum esse agere, « non tanquam totius Ecclesiæ caput, sed duntaxat tanquam « caput et præses illarum Congregationum ; ac proinde in his de- « cretis ipsius infallibilitatem non intervenire. At simul et id « certum est, stare multo plures pro sententia opposita, atque ab « eis merito sustineri, etiam in his casibus agere Summum Ponti- « ficem tanquam infallibile caput Ecclesiæ.* »

Idem testatur Lacroix (tomo 1, n. 216) : « Si in aliqua Con- « gregatione, inquit, damnetur opinio post informatum Papam « et ex mandato ipsius, illaque damnatio rite communicetur « toti Ecclesiæ, erit infallibilis, et censebitur immediate « exire a Papa ; ideoque opinio illa amittet probabilitatem, uti « constat ex dictis. Nec refert *quod aliqui* (apud Cardenas, in « 2 crisi d. 1, n. 99) *dicant, quando Pontifex per Congregatio- « nem ita condemnat aliquid, tunc non loqui ut caput Ecclesiæ, « sed solum ut caput et præsidem talis Congregationis*... Nam « tunc Pontifex loquitur ut caput Ecclesiæ, quando edit « decretum pro tota Ecclesia, quodque vult ab omnibus ob- « servari : sed hoc facit in nostro casu : ergo »

PROBATUR POSTERIOR PARS conclusionis, id est, dicta dog-

matica decreta in memoratis duobus casibus esse infallibilia.

I. Infallibilia sunt in priori casu, quando scilicet eduntur Summi Pontificis nomine. Nam decretum dogmaticum Summi Pontificis nomine publicatum omnino habendum est tanquam ipsummet Pontificis judicium. In hoc nempe casu Summus Pontifex definitionem tanquam suam publicat. Nec minus certum est ipsum tunc esse hujus definitionis auctorem, quam si eamdem definitionem per Bullæ aut Brevis formam ediceret. Quod si dicas ejusmodi decreta dogmatica a Sacra Congregatione concinnari non autem ab ipsomet Pontifice, reponam ego neque ab ipsomet Pontifice concinnari Brevia et Bullas dogmaticas; sed ad eas præparandas et extendendas aliena opera utitur. Nemo nescit, verbi gratia, celebrem Bullam *Auctorem fidei* a clarissimo Cardinali Gerdil extensam fuisse. Nec sommiet quis ejusmodi decreta forsan publicari quandoque inscio Pontifice; quia id pari jure dici posset de quibuslibet dogmaticis Constitutionibus. Nimirum divina assistentia qua præcavebit semper Christus Dominus ne Ecclesia per suppositiias bullas dogma ticas in errorem inducatur, præcavebit etiam ne enascatur error ex decretis dogmaticis, Romani Præsulis nomine falso publicatis. Ergo revera per dicta dogmatica decreta censendus est Summus Pontifex publice docere : Papa autem publice fidem edocens infallibilis est.

Prætereainanis est opinio quæ tenet Pontificem tunc agere dumtaxat tanquam præses Sacræ Congregationis, non autem tanquam universæ Ecclesiæ caput. Nam ita Papa agere censendus foret, vel quia non posset, vel quia non vellet tanquam universalis Ecclesiæ caput agere. Atqui neutra hypothesis ullo solido fundamento nititur. Et primo quidem cur non posset Papa per dicta decreta dogmatica universalem Ecclesiam edocere, seu tanquam universalis Doctor agere? Sane cum ista decreta (ut supponimus) sufficienter promulgentur, et promulgentur nomine Summi Pontificis, ac proinde tanquam ipsiusmet Sedis Apostolicæ definitiones, nulla est ratio cur nequeat Papa totam Ecclesiam hac forma tanquam supremus

et infallibilis Doctor edocere. Secundo, neque dici potest Papam posse quidem, sed tamen de facto nolle per ejusmodi decreta tanquam universalem Doctorem agere. Nam prætensam hanc voluntatem nemini unquam ullus Papa declaravit. Seclusa autem tali declaratione, censendus est Papa universalem Ecclesiam docere velle, quoties per publicum suum decretum dogma definit. Sed decreta dogmatica de quibus agimus sunt vere decreta ipsiusmet Pontificis, siquidem ipsius nomine eduntur et publicantur ; ergo per ipsa Summus Pontifex tanquam universalis Doctor agere velle censendus est. Secus enim et de ipsis Bullis dogmaticis objici posset, nolle Pontificem per ipsas tanquam Ecclesiæ caput agere.

II. Infallibilia sunt dicta decreta in posteriori etiam casu, id est, quando eduntur quidem nomine Sacræ Congregationis, sed de *speciali mandato* Papæ, aut accedente ipsius confirmatione.

1° In casu accedentis Pontificiæ confirmationis, patet decretum ipsimet Pontifici esse attribuendum ; siquidem illud confirmando suum facit. Et cum aliunde sit dogmaticum et publicetur, per illud Summus Pontifex universalem Ecclesiam docere censendus est ; ac proinde, infallibile sit ejusmodi decretum necesse est.

2° Infallibile etiam est decretum dogmaticum, Sacræ Congregationis nomine editum, si publicetur *de speciali mandato* Pontificis. Hoc ipso enim quod Summus Pontifex, habita notitia de aliquo ejusmodi decreto dogmatico, vult et jubet illud publicari, ipsum approbat ac suum facit. Proinde ipsemet judicat ac definit, id ipsum quod in decreto definitur. Ergo non minus valebit istud decretum, quam si a Pontifice ipso immediate et ipsius nomine ederetur et publicaretur. Ergo et per ipsum censendus est Pontifex tanquam universalis Doctor, ac proinde infallibiliter, de dogmate pronuntiare.

Propositio Va. — *Sacrarum Congregationum decreta dogmatica, de speciali mandato Pontificis, vel confirmante Pontifice edita, per se sola non faciunt de fide id quod definiunt ; unde qui*

propositionem sic definitam negaret, non mereretur notam hæreseos : mereretur tamen notam erroris et temeritatis. — Notet lector verba hæc conclusionis *per se sola*. Contingere quippe potest ut Sacra Congregatio Inquisitionis tanquam hæreticam damnet propositionem aliquam, quæ jam antea pro hæretica tenenda erat. Nos autem hic casum supponimus alicujus propositionis, quæ ante Sacræ Congregationis decretum nondum necessario tenenda erat ut hæretica, vel erronea, vel temeraria; utpote circa quam (tolerante adhuc Ecclesia) dissentiebant doctores catholici. Si eam Sacra Congregatio Inquisitionis hæreticam pronuntiet, vel erroneam, vel alia nota dignam, quærimus an ex tunc *de fide* tenendum sit, propositionem hanc inflicta nota esse revera dignam : et dicimus hæreticum non fore qui id negaret : haud tamen a nota erroris et temeritatis esse excusandum, si dictum Sacræ Congregationis decretum de speciali mandato Pontificis, aut ipso confirmante publicatum fuerit. Quod sic probatur :

1° Opinio quæ tenet, Sacrarum Congregationum decreta dogmatica, etiam de speciali mandato Papæ aut ipso confirmante publicata, non esse infallibilia, eo quod tunc non censendus sit Summus Pontifex tanquam universalis Ecclesiæ Doctor et caput agere, ista, inquam, opinio nondum fuit damnata, et sustinetur a nonnullis catholicis doctoribus. Constat ex propositione 3. Ergo opinio hæc notam hæreseos nondum meretur. Ergo qui contradiceret decreto dogmatico Sacræ Congregationis Inquisitionis, de speciali mandato Papæ aut ipso confirmante publicato, et contrarium teneret, dicendus non esset hæreticus. Tunc dumtaxat ipsi hæreseos nota inuri poterit, quando dicta opinio tanquam hæretica damnata fuerit ; id est, quando definitum fuerit præfata decreta dogmatica esse infallibilia, et hæreticum esse qui id negat.

2° Mereretur tamen erroris et temeritatis notam. Quamvis enim supradicta opinio nondum expresse damnata fuerit, tamen omnino futilis est, et certo falsa probatur, ut ostendimus. Proinde dicta decreta dogmatica sunt *certo* infallibilia,

quamvis id nondum sit *de fide*. Jam vero qui rejicit definitiones, Sedis Apostolicæ auctoritate publicatas, et *certo* infallibiles, erroris et temeritatis notam meretur.

Propositio VI[a]. — *Sacrarum Congregationum decreta dogmatica, sine speciali Summi Pontificis mandato aut confirmatione publicata, etsi non sint certo infallibilia, maximæ tamen auctoritatis sunt.* — Major enim est ejusmodi decretorum auctoritas, quam eorum quæ a quibusvis Episcopis aut Conciliis particularibus emitterentur : siquidem fiunt auctoritate Pontificia, quamvis de generali et non de speciali mandato Pontificis. Atque id etiam inde patet, quod Romanis Cardinalium Congregationibus subjiciantur quælibet Episcoporum et Conciliorum particularium decreta ; ita ut, vi ordinariæ suæ jurisdictionis, et sine *speciali* mandato Papæ, possint ejusmodi Sacræ Congregationes de Episcoporum et particularium synodorum decretis cognoscere et judicare ; ipsarum autem decreta nequeant ab ullo Episcopo aut particulari Concilio reformari, sed tantum a Romano Pontifice.

Ingens etiam auctoritas ejusmodi Sacrarum Congregationum decretis accedit, tum ex conspicua sapientia et doctrina qua plerumque purpurati Patres emicant, tum ex summa qua procedere solent prudentia ; accitis scilicet peritissimis theologis, qui sedulo quæstiones expendant, et quid sibi videatur Eminentissimis Patribus pandant.

Conclusio paragraphi. — Ex præmissis propositionibus facile patet solutio quæstionis, quam præsenti paragrapho dirimendam suscepimus, *an et quatenus obligent Sacrarum Congregationum decreta dogmatica ?* Nimirum,

1° Si edita sint et promulgata ipsiusmet Pontificis nomine, vel de speciali ejus mandato, vel ipso confirmante, tenetur sub gravi quilibet christianus assensum eis præstare. Sequitur ex eo quod ejusmodi decreta sint infallibilia, et eorum negatio *certo erronea*. Est enim peccatum grave opinionibus circa fidem *certo erroneis* scienter adhærere. Hinc possunt Concilia provincialia, et singuli in respectivis diœcesibus Episcopi

condemnare libros et censuris plectere scriptores, qui dicta decreta dogmatica impugnare præsumunt. Etsi enim quæstiones fidei dirimere nequeant singuli Episcopi, nec etiam synodi provinciales, possunt tamen exigere ut teneatur quod dictis decretis definitum fuit, et in renitentes pœnis animadvertere. Quia scilicet quæstio tunc desinit esse dubia et libera, quamvis antea theologis liberum foret in utramque partem opinari; seu, quod idem est, desinit esse de iis *quæstionibus fidei*, adhuc (tolerante Ecclesia) controversis, a quibus dirimendis synodis particularibus abstinendum est.

2° Si dicta decreta dogmatica nomine Sacræ Congregationis edita fuerint, absque Summi Pontificis confirmatione aut speciali mandato, cum tunc (ex dictis supra) certo infallibilia non sint, ad præstandum eis assensum non obligant. Ob maximam autem auctoritatem, quam etiam tunc ipsis inesse supra exposuimus, summa eis reverentia debetur.

§ III.

De vi obligandi dictorum decretorum, quando sunt et in quantum sunt disciplinaria.

Superiori paragrapho diximus de vi obligandi ejusmodi decretorum, quando sunt et in quantum sunt dogmatica. Diximus nempe quandonam sequatur obligatio eis assentiendi, seu verum credendi quod definiunt.

Hic vero Sacrarum Congregationum Inquisitionis et Indicis decreta expendimus in quantum sunt *disciplinaria ;* id est, in quantum obligant, non jam ad credendum, sed ad aliquid aliud; verbi gratia, ad abstinendum a lectione alicujus libri. Agimus nempe hic de iis decretis quibus dictæ Congregationes varios nominatim proscribunt libros, prohibendo ne legantur, retineantur, typis mandentur, vendantur aut emantur; et quærimus an et quatenus ejusmodi prohibitiones obligent.

Propositio I[a]. — *Potuit Sedes Apostolica dictis S. Congregationibus potestatem conferre prohibendi libros quos ipsæ noxios*

æstimarent, et ejusmodi prohibitiones universaliter obligatorias reddere. — Cum enim summe utile sit ut noxiorum librorum pestis a fidelibus arceatur, neque possit per seipsum Romanus Pontifex libros omnes qui in dies eduntur legere, et an noxii sint judicare, postulat generale Ecclesiæ bonum ut possit alios ad id præstandum deputare. Sicut nempe in multis aliis ad regimen Ecclesiæ spectantibus, ita et quoad ejusmodi tam necessarias librorum noxiorum prohibitiones, Summus Pontifex potestatem suam delegare valet. Quod cum extra controversiam sit, fusiori probatione non adstruimus.

Propositio IIª.— *Dictis Sacris Congregationibus de facto potestatem fecit Sedes Apostolica libros quos ipsæ noxios æstimarent prohibendi, ita ut ejusmodi prohibitiones universaliter obligatoriæ forent.* — Constat, quoad S. Congregationem Inquisitionis, Constitutione *Licet ab initio* Pauli III anni 1542; et quoad S. Congregationem Indicis, Constitutione *Immensa* Sixti V, anni 1588. Atque id pluribus documentis confirmare supervacaneum est, cum pariter sit extra omnem omnino controversiam.

Propositio IIIª. — *Prohibitiones librorum a dictis Sacris Congregationibus factæ, absque confirmatione aut speciali mandato Summi Pontificis, non sunt infallibiles; ita ut contingere possit prohiberi librum qui nec pravus, nec noxius, nec proinde prohibendus sit: id tamen raro continget.* — Dicimus *si fiant absque confirmatione aut speciali mandato Pontificis.* Nam contingere nequit ut ipse Summus Pontifex ex cathedra loquens, quoad universalem Ecclesiam tanquam pravum vel noxium prohibeat librum, qui talis non esset. Etenim ejusmodi prohibitione Pontifex pronuntiat istius libri doctrinam esse pravam vel noxiam: porro talis pronuntiatio est judicium de dogmate aut moribus. Sed Pontifex, ex cathedra loquens, infallibilis est circa dogma et mores; ergo errare nequit prohibendo librum tanquam pravum vel noxium. Jam vero, si prohibitio promulgetur de *speciali mandato* Pontificis, perinde est ac si ipse suo nomine promulgaret. Ergo sic facta prohibitio, cen-

senda est a Papa fieri ex cathedra ; proindeque pro infallibili habenda est. Hinc in propositione loquimur dumtaxat de librorum prohibitionibus, quæ fiunt absque speciali mandato Pontificis ; et dicimus eas tunc non esse infallibiles. Quod sic adstruitur :

1° Id tenent communiter doctores catholici : « Fatemur « quidem, ait sanctus Ligorius, in damnatione librorum er- « rores et fraudes intervenire posse, sicut in aliis omnibus « humanis judiciis : sed quid inde? Numquid ideo legitimæ « auctoritati minime parendum? hoc unum inde deduci po- « test, scilicet probos et peritos seligendos esse censores. » (In Appendice *de prohibitione librorum*, capite 4, n. 15).

Item Zaccaria, de « prohibitionibus quæ fiunt a Congrega- « tionibus, de consensu quidem Papæ, sed non de speciali « ejus mandato, » sic asserit : « Istæ revera non sunt infalli- « biles. » (*Storia polemica*, pag. 386, edit. Romæ 1777). At- que ibidem, pagina 381 : « Quod si dicatur generatim, po- « tuisse et posse contingere injustas librorum prohibitiones « (dummodo non intelligatur de iis quæ a Papa ex cathedra « loquente immediate procedunt, vel de iis quæ fiunt a Sacris « Congregationibus de speciali Papæ mandato aut approba- « tione), haud multum repugnabo. In his quippe judiciis, si « infallibilitatis prærogativa non nitantur, quantacumque ve- « neratione judices digni sint, sive ex parte censorum, sive « etiam ex sinistro sentire judicis alicujus..., contingere « possunt obreptiones aut subreptiones ; et quandoque etiam « summum jus, quod in injuriam transit, vel nimius rigor et « parum æquitatis. »

2° Non esse infallibiles librorum prohibitiones, a Sacris Congregationibus absque speciali Papæ mandato factas, inde sequitur, quod tunc eis non accedat Summi Pontificis, tan- quam universalis Ecclesiæ Pastoris pronuntiantis, auctoritas. Jam vero, ut supra deduximus, Summo Pontifici exclusive propria est inerrantiæ prærogativa ; nec potest eam ulla dele gatione aliis communicare.

Unde revera contingere potest ut a Sacris Congregationibus Inquisitionis et Indicis, si non agant de speciali mandato Pontificis, liber aliquis injuste prohibeatur.

Diximus tamen in propositione id *raro contingere posse:* nimirum ob summam quacum in hocce negotio Eminentissimi Patres procedere solent maturitatem atque integritatem, necnon ob sapientissimas cautiones, a Benedicto XIV descriptas (in Bulla *Sollicita*), quæ pro norma habentur. (Vide S. Ligorium, *Appendix de prohibitione librorum*, capite 4, n. 15 et seq.)

Propositio IV[a]. — *Dicta Sacrarum Congregationum in prohibendis libris fallibilitas, nequaquam impedit quin ejusmodi prohibitiones obligare valeant, in quantum sunt disciplinares.* — Id facile vel ex ipso jure naturali evincitur. Nam si magistratus, tribunalia et aliæ (quibus humanæ societates reguntur et administrantur) auctoritates, eo quod sint fallibiles, adeoque contingere possit ut tanquam pravum et noxium aliquid prohibeant quod tale non sit, potestatem non haberent subditos prohibitionibus suis obstringendi, summum sequeretur ipsiusmet societatis damnum. Tunc scilicet quidquid princeps legibus aut mandatis prohiberet, quidquid vetitum ab aliis magistratibus et auctoritatibus ediceretur, omni efficacia careret. Posset siquidem quilibet subditus non obtemperare, objiciendo fallibilem esse auctoritatem quæ prohibitiones illas sancivit, et contendendo nec pravam nec noxiam esse rem prohibitam, adeoque immerito fuisse prohibitam. Fingatur exercitus, in quo liberum militibus foret ducum suorum mandata ac prohibitiones flocci habere, sub eo prætextu quod infallibiles non sint duces, et contingere possit ut immerito aliquid prohibeant! Quodnam, quæso, foret talis exercitus robur, imo an et exercitus nomine dicendus foret?

Postulat ergo generale bonum, proindeque exigit jus naturale, ut obligatoriæ sint legitimæ auctoritatis prohibitiones, etiam quando ex errore ab ipsa prohibetur tanquam pravum aut noxium quod tale non est.

Hæc tamen juris naturalis conclusio duas exceptiones patitur:

1° Non obligant dictæ prohibitiones aut præscriptiones, si legi Dei adversentur; si nempe prohibeatur quod lege Dei præscribitur, aut vice versa. Nam tunc auctoritati humanæ obsequi, peccare est.

2° Non obligant dictæ prohibitiones si manifeste seu evidenter injustum gravamen afferant. Quia tunc humana auctoritas potestatem suam excedit. Dicimus, si *manifeste seu evidenter* injustum gravamen afferant: nam in dubio remanet obtemperandi obligatio. Quæ omnia tanquam ex ipso jure naturali certa communiter a doctoribus traduntur.

Jam vero hæc applicando librorum prohibitionibus Sacrarum Congregationum auctoritate factis, patet positæ conclusionis veritas. Nam dictæ Congregationes, quoad ejusmodi prohibitiones, sunt profecto auctoritates legitimæ : siquidem ad hoc ipsum deputantur a Summo Pontifice, cui in persona Petri a Christo Domino collata est universalem Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi plena potestas. Ergo quamvis non sint infallibiles, et contingere possit ut tanquam pravum aut noxium prohibeant librum, qui revera talis non sit, tamen obligatoria erit prohibitio.

« Quod si quandoque, ait sanctus Ligorius, aliquis liber « inconsiderate proscriptus fuerit, id Ecclesiæ auctoritati « non officit, nec fideles ab onere obediendi excusat : hoc « enim raro accidit ; et valde magis expedit equidem ad com- « mune bonum, alicujus libri lectionem aliquando non dam- « nandam damnari, quam perniciosi libri damnandam lectio- « nem permitti. » (Appendix *de prohibitione librorum*, capite 4, n. 24).

Ad utrumque autem supra exceptum casum quod attinet, in dictis librorum prohibitionibus applicationem non habet. Nam 1° nunquam continget ut Sacra Congregatio librum prohibeat, quem fideles ex præcepto divino legere teneantur. Nullum enim exstat præceptum quo Deus hunc vel illum librum legere jusserit. Et neque ad ipsam Sacram Bibliam legendam teneri fideles, ac merito prohiberi Sacrorum Biblio-

rum in linguam vulgarem translationes, probant doctores catholici.

2° Nec continget casus quo libri alicujus prohibitio vi obligandi careat ratione *evidentis injustitiæ*. Nam *primo* rarissimus saltem erit casus, quo merito *manifestum et evidens* dici valeat, nihil prorsus inesse noxii in aliquo libro prohibito. Quantumlibet enim quis sibi doctus videatur, et nihil noxii in eo libro perspiciat, tamen regulariter loquendo contrarium tanquam probabile saltem habere debebit, vel ex eo solo quod Eminentissimi Patres ita censuerint. At *secundo*, demus *manifestum* seu *evidens* esse nihil noxii in libro prohibito contineri: an ideo interveniet *injustum* illud *gravamen*, quo prohibitioni vis obligandi adimatur? Nequaquam. Nam quod fidelibus non liceat librum legere aut retinere, qui tamen nil noxii continet, id eis notabile damnum non infert. Insuper damnum illud (sive auctori libri, sive aliis quibusdam illatum) pro *injusto* habendum non est, si necessarium sit ad præcavendum aliud ingens ac generale totius societatis detrimentum. Jam vero, si obligatoriæ non forent librorum prohibitiones nisi in hypothesi quod Sacra Congregatio non erraverit, sequeretur dictum generale damnum. Tunc enim de singulis prohibitionibus disputari posset, an obligatoriæ essent; et quisque prout merito vel immerito factam prohibitionem existimaret, posset eam pro obligatoria habere vel non habere. Ex quo maxima ex parte evanesceret ejusmodi prohibitionum utilitas. Ergo etiam in casu erroris ex parte Sacræ Congregationis, injustum non est quod fideles teneantur abstinere a libri lectione; et quod inde redundat detrimenti, sive in auctores librorum, sive in editores, sive in nonnullos alios, non est damnum ipsis *injuste* illatum. Quia ob generale totius fidelium societatis bonum, necesse est ut etiam in hoc casu, et cum hisce consectariis, obligatoria sint decreta quibus Sacræ Congregtiones libros prohibent. Multa sunt ejusmodi detrimenta, quæ, ob generale bonum, privatis sine injustitia inferri possunt. De quo ut exemplum afferamus, sane errare potest princeps plu-

res juvenes ad vexilla vocando quam necesse foret. Hoc tamen damnum, multis illatum, injustum non est; quia postulat generale bonum ut ad principem pertineat judicare de necessario militum numero.

Ergo qui ad eludendam dictarum prohibitionum obligationem, objiciunt Sacrarum Congregationum fallibilitatem, et perperam proscriptos (ut ipsis videtur) nonnullos libros, non minus absone arguunt quam si dicerent, standum non esse tribunalium sententiis, eo quod errare possint et aliquoties revera erraverint; aut non teneri milites obsequi ducum prohibitionibus ac mandatis, eo quod contingere possit ut aliquid nullatenus noxium duces prohibeant.

Notetur aliud etiam secuturum generale bonum ex hujusmodi prohibitionibus, etiamsi caderent in libros nonnullos nequaquam noxios. Nimirum occasioni fidelibus essent obedientiam Ecclesiæ mandatis, et abnegationem in Evangelio tantopere commendatam exercendi. Sane haud noxiæ sunt per se carnes: eas tamen Ecclesia tempore quadragesimæ prohibet. Et Deus primis parentibus, cujusdam determinatæ arboris fructum, etsi per se non noxium (ut æstimant interpretes) ne ederent præcepit. Eccur ergo non posset Sedes Apostolica obligatorias reddere dictas librorum prohibitiones, etiamsi quandoque libros nec pravos nec noxios attingerent? Id vero sit ad abundantiam juris dictum. Satis enim urget generalis boni exposita ratio, ut pro obligatoriis habendæ sint dictæ librorum prohibitiones, etiamsi in libros non noxios quandoque cadant. Cæterum non alia de causa libros prohibent Sacræ Congregationes, quam quod eos aut pravos aut saltem noxios existiment.

Propositio V^a^. — *Perperam contenderetur universaliter obligatorias non esse dictas librorum prohibitiones, ex eo quod sufficienter non promulgentur.* — Loquimur semper sub præsenti capite de libris *nominatim* prohibitis, per aliquod Sacræ Congregationis Inquisitionis aut Sacræ Congregationis Indicis decretum. Jam vero ejusmodi decretis deesse vim universaliter

obligandi perperam argueretur ex sufficientis promulgationis defectu. Nam

1° Ut leges auctoritate Pontificia latæ universaliter obligent, necesse non est eas in singulis provinciis promulgari; sed sufficit ut more solito Romæ promulgentur. Id probatum vide in meo tractatu *de Principiis*.

Porro dicta decreta, quibus libri nominatim a Sacris Congregationibus prohibentur, Romæ cum dictis solemnitatibus promulgantur. Affiguntur nempe in acie campi Floræ et in aliis locis solitis. Postea autem inseruntur in *authenticis* eis librorum prohibitorum *Indicibus*, qui Pontificia item auctoritate Romæ imprimuntur, et dein per universum christianum orbem diffunduntur. Sicque ad singularum Ecclesiarum et regionum notitiam facile perveniunt.

2° Etiamsi dicta decreta solitis solemnitatibus Romæ non promulgarentur, nihilominus universaliter obligatoria forent. Nam sufficienter promulgatæ sunt Pontificiæ Constitutiones, quibus institutæ sunt Sacræ Congregationes Inquisitionis et Indicis, et quibus eisdem Congregationibus collata est potestas libros pravos et noxios prohibendi. Jam vero vi ejusmodi Constitutionum obligatoria sunt dictarum Congregationum decreta, libros prohibentia, etiamsi non promulgentur. Nam Summus Pontifex potestatem Sacris Congregationibus conferendo, dictos libros prohibendi, hoc ipso ipsemet prohibet, et jam in antecessum, ac semel pro semper, prohibitos declarat eos libros, qui fuerint ab iisdem Sacris Congregationibus prohibiti. Ergo vi ejusmodi Pontificiarum Constitutionum prohibitus existit liber, statim ac eum decreto suo Sacræ Congregationes prohibuerunt. Nimirum, verificata illa conditione quod Sacra Congregatio librum prohibuerit, statim et hoc ipso liber ille cadit sub prohibitionem in dictis Pontificiis Constitutionibus contentam. Cum ergo dictæ Pontificiæ Constitutiones sufficienter fuerint promulgatæ ad obligandum universaliter, nequaquam opus est ut insuper promulgetur Sacræ Congregationis decretum ; sed sufficit certa de ipso notitia ad inducendam obligationem.

3° Idem gravissimi doctores concludi posse existimant, ex eo quod quilibet liber nominatim seu particulari Sacræ Congregationis decreto prohibitus, simul prohibitus existat *vi generalium regularum Indicis*, et regulæ istæ sufficienter promulgatæ sint ad obligandum universaliter

Sic habet Zaccaria (*Storia polemica*, pagina 389, edit. Romæ 1777) : « Aminadvertit Pater Ligorius, postea Sanctæ Agathæ « Gothorum Episcopus, prohibitorum librorum Indicem in « variis christiani orbis provinciis fuisse receptum, prout ex « supra deductis historicis documentis prespici potuit : inu- « tiliter proinde moveri quæstionem, an necesse sit publicari « in provinciis librorum prohibitiones, ut obligare valeant : « novas siquidem librorum prohibitiones non esse *novum jus*, « sed dumtaxat jam recepti juris novam applicationem, quam « exequitur illa eadem auctoritas quæ dictum jus constituit. « Nunquam sane prohibebitur Romæ liber, qui sub regulas « et generalia Indicis decreta convenienter reduci non valeat. « Harum igitur regularum vigore, etiamsi Romæ nova prohi- « bitione liber non proscriberetur, ubicumque tamen ejusmodi « regulæ promulgatæ sunt, deberet is liber tanquam prohi- « bitus haberi. »

« Sane, inquit Steyaert, decreta librorum prohibitoria no- « vum jus non faciunt; sed jus vetus et receptum regularum « Indicis supponendo, determinant modo quis liber quo or- « dine haberi debeat juxta easdem regulas » (*Aphorism.*, p. 2, disp. 22, n. 8).

Eamdem doctrinam propugnat Heymans (*De librorum prohibitione*, pag. 247, edit. Bruxellis 1849).

Mihi vero non liquet, an revera nullus unquam Romæ liber nominatim prohibitus sit, aut prohiberi possit, qui (sicut existimat clarissimus Zaccaria) *sub regulas et generalia Indicis decreta convenienter reduci non valeat*. Et *primo* quidem, etsi fere chimericus dici possit casus, quo Sacra Congregatio erret, librum qui nec pravus, nec noxius sit prohibendo, cum tamen hac in re, ut supra dictum est, Eminentissimi Patres iner-

rantiæ prærogativa non potiantur, dari posse hunc casum concedendum est; et revera concedunt Sanctus Ligorius, et ipsemet Zaccaria. Jam vero liber sic prohibitus sub nulla regularum generalium categoria comprehenderetur; et tamen ex dicto errore non sequeretur prohibitionem hanc non obligare, ut supra probavimus. *Secundo* dubium mihi insuper est, num dari etiam possit liber, qui merito tanquam noxius, attentis temporum circumstantiis, a S. Congregatione prohibeatur, quin tamen sub aliqua ex generalibus regulis comprehendatur. Quapropter satius duco hocce probationis medium urgere, non quoad *omnes omnino*, sed quoad *fere omnes* libros nominatim prohibitos. At cum hac saltem restrictione valere ratiocinium existimo. Etenim saltem fere omnes libri qui nominatim prohibentur, jam prohibiti existunt per generales Indicis regulas. Cum ergo generales istæ regulæ sufficienter promulgatæ sint, necesse non est promulgari particularia decreta, ut libri isti inter prohibitos computandi sint.

4° Valet insuper argumentum ex recepto generaliter in tota Ecclesia Indice, supposita jam hujusce generalis receptionis probatione. Sic nempe arguimus : si receptus universaliter fuerit Index, decreta quibus libri nominatim prohibentur, obligatoria sunt absque promulgatione : atqui Index universaliter receptus fuit : ergo. An vera sit minor, id est, asserta generalis receptio Indicis, infra expendimus. In hypothesi autem quod vera sit, admittenda est major; quod sic probatur : quando lex aliqua Pontificia generali usu in Ecclesia recepta est, frustra de sufficienti ejus promulgatione quæstio moveretur; quia etiamsi alias insufficiens fuisset promulgatio, per illam tamen generalem receptionem suppleretur; prout concedunt illi etiam auctores qui necessariam in provinciis promulgationem propugnant. Ergo supposita Indicis universali receptione, obligatorius erit Index, nec in contrarium objici poterit ullus promulgationis defectus. Aliunde vero recipere Indicem, non est recipere dumtaxat huc usque emanata librorum prohibitoria decreta, sed etiam in posterum emittenda.

Nam Indicem recipere, est recipere totam illam legislativam dispositionem, quam Sedes Apostolica ad arcendam noxiorum librorum pestem sancivit. Porro Sedes Apostolica non decrevit dumtaxat prohibitos fore libros in aliquo determinato catalogo jam descriptos, sed insuper tribunal constituit, cum facultate catalogum illum in dies augendi, id est, alios atque alios libros, prout opus fuerit, condemnandi ac prohibendi. Vult nempe Sedes Apostolica observari Indicem, non quatenus est prohibitorum librorum catalogus finitus et clausus, sed quatenus est catalogus semper continuandus, et accessione novorum qui a Sacra Congregatione prohibebuntur librorum semper augendus. Ergo recipere Indicem est recipere, tum ei jam insertas, tum in posterum inserendas librorum prohibitiones. Ergo ubi receptus fuit Index, obligant decreta libros nominatim prohibentia, quin decreta ista promulgatione indigeant ut obligent. Quod si universaliter receptus fuerit Index, universaliter obligabunt absque promulgatione dicta decreta.

Propositio VI^a^. — *Ad probandum obligatoria non esse dicta Sacrarum Congregationum decreta, absone objicitur prohibitio cujusdam operis Bellarmini*, — Sequitur ex propositione quarta. Nam etiamsi revera erret Sacra Congregatio librum aliquem immerito prohibendo, vim obligandi habet decretum; prout in dicta propositione 4 probavimus. Quatenus autem verum sit quod de prohibito Bellarmini opere asseritur, abs re non erit breviter hic exponere.

Relatus quidem fuit primus *Controversiarum* ipsius tomus in novum quemdam Indicem, quem concinnari Sixtus V jusserat, ut eum (abrogatis antiquioribus) publicaret et universaliter obligatorium decerneret. Sed obiit Sixtus V antequam intentum perfecisset. Subsecuti autem Pontifices usque ad Clementem VIII, Indicem illum non publicarunt. Clemens vero VIII, non Sixtinum illum Indicem publicandum duxit; sed novum confici jussit et publicavit. Dictum autem Bellarmini opus neque in hoc Clementis VIII Indice, neque in ullo ex sequentibus reperitur. Unde verum quidem est præfatum Bellarmini

opus relatum fuisse in Indicem : sed in Indicem qui nunquam publicatus fuit, quique proinde nunquam vim legis habuit.

Quod memoratus Sixti V Index, revera confectus fuerit, imo et typis mandatus, documentis probat Zaccaria, in sua *Storia polemica delle proibizioni de' libri* (pag. 165, edit. Romæ 1777) ; ubi et refert decem regulis additas fuisse duodecim alias. Et pagina sequenti testatur in hunc Indicem relatum fuisse tomum primum *Controversiarum* Bellarmini. Quod autem Index ille nunquam publicatus fuerit, ex relatis ibidem a Zaccaria omnino constat.

Documenta hæc Sanctus Ligorius haud satis nota habuisse videtur, quando ad objectionem, *opera Venerabilis Bellarmini fuerunt vetita* : ita reposuit : « Respondetur... quod jure me- « rito opusculum quoddam Bellarmini tradatur fuisse veti- « tum » (1) Prohibitio enim de qua in vita Bellarmini, videtur illa ipsa fuisse quam retulimus, videlicet primi tomi *Controversiarum*. Porro cum prohibitio hæc exstiterit dumtaxat in Indice non publicato, et in Indicibus publicatis numquam inserenda visa sit, potius signum est Sacram Congregationem suam hac de re sententiam mutasse, atque agnovisse dictum opus non esse prohitione dignum

CAPUT VIII.

AN ET QUATENUS TOTUS INDEX LEGIS UNIVERSALIS RATIONEM HABEAT.

Propositio I^a^. — *Paucæ quædam Indicis præscriptiones, ob impossibilitatem eas observandi, hodie in nonnullis regionibus non obligant.* — Sic, verbi gratia, disponit regula decima Indicis : « In singulis civitatibus ac diœcesibus, domus vel loci, « ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecæ librorum « venalium sæpius visitentur a personis ad id deputandis ab

(1) In *Appendice de prohibitione librorum*, cap. 4, n. 24.

« Episcopo sive ejus vicario, atque etiam ab inquisitore hæ-
« reticæ pravitatis; ut nihil eorum quæ prohibentur, aut im-
« primatur aut vendatur aut habeatur. Omnes vero librarii
« et quicumque librorum venditores habeant in suis biblio-
« thecis indicem librorum venalium quos habent, cum subs-
« criptione dictarum personarum; nec alios libros habeant
« aut vendant aut quacumque ratione tradant, sine licentia eo-
« rumdem deputatorum, sub pœna amissionis librorum et aliis
« arbitrio Episcoporum vel inquisitorum imponendis : emp-
« tores vero, lectores vel impressores, eorumdem arbitrio
« puniantur.... Nemo vero audeat librum, quem ipse, vel
« alius in civitatem introduxit alicui legendum tradere...,
« nisi habita licentia a personis deputandis... Idem quoque
« servetur ab hæredibus et executoribus ultimarum volun-
« tatum, ut libros a defuncto relictos, sive eorum indicem
« illis personis deputandis afferant, et ab eis licentiam obti-
« neant, priusquam eis utantur, aut in alias personas qua-
« cumque ratione eos transferant. In his autem omnibus et
« singulis pœna statuatur, aut amissionis librorum, vel alia,
« arbitrio eorumdem Episcoporum. »

Hæ præscriptiones hodie in Gallia aliisque regionibus ad praxim deduci nequeunt. Necessarium quippe ad id foret sæcularis brachii auxilium, quo in iis regionibus carent Episcopi. Obligatoriæ proin non sunt præscriptiones illæ, ob impossibilitatem eas observandi. Nulla enim lex ad impossibile obligare valet.

Item autem dicendum de aliis, si quæ sint, Indicis præscriptionibus, quarum observatio aut *physice* aut *moraliter impossibilis* hodiernis temporibus evaserit.

Propositio II[a]. — *Neque impossibilitas observandi aliquas legis dispositiones, neque aliquarum regionum privilegium aut legitime contra legem præscripta consuetudo impedit, quin lex in vero ac proprio sensu universalis sit.* — Duplici nempe sensu intelligi potest legis alicujus universalitas: *primo* in eo sensu quod legislator eam ad aliquam particularem regionem non

restrinxerit, sed quoad universas sibi subjectas personas et regiones tulerit: *secundo*, in eo sensu quod de facto obliget quoad omnes suas dispositiones, et nullus ab ea eximatur, sive titulo privilegii, sive titulo legitime præscriptæ consuetudinis. Porro lex universalis *proprie* dicitur in priori sensu; per oppositionem scilicet ad leges, quæ ad obstringendam dumtaxat particularem aliquam regionem aut subditorum classem feruntur. Jam vero, sic intelligendo *legis universalis* denominationem, patet universalem remanere et dicendam esse legem, quoad universas subditas personas et regiones latam, quamvis aliqua ejus dispositio observatu impossibilis alicubi evaserit; item quamvis aliquibus exemptionis ab ea lege privilegium concessum fuerit, et quamvis in aliquibus locis legitime contra legem consuetudo præscripserit.

Propositio III[a]. — *Totus Index in vero ac proprio sensu legis universalis rationem habet.* — Dicimus *totus Index*, idest, tum decreta quibus libri nominatim prohibentur, tum decem regulæ aliæque præscriptiones, quæ catalogo librorum nominatim prohibitorum præmissæ sunt.

Fuit autem conclusio hæc jam probata per partes. Etenim supra probavimus priorem partem Indicis, idest, decem regulas, aliasque eis adnexas generales præscriptiones, vim legis universalis habere: et idem postea probavimus quoad posteriorem partem, idest, quoad decreta quibus libri nominatim prohibentur. Ergo totus Index vim legis universalis habet. Neque objiciatur, aliquas Indicis dispositiones hodie non obligare, ob impossibilitatem eas observandi; quia id non impedit quin Index universalis legis rationem habeat, in vero et proprio sensu, explicato sub præcedenti propositione.

Item non objiciatur, in Gallia, Germania et aliis regionibus ob contrariam legitime præscriptam consuetudinem non vigere Indicem, saltem quoad plures ipsius præscriptiones; proinde Indicem jam dici non posse legem universalem. Nam *primo*, an revera admittenda sit in dictis regionibus prætensa illa legitime præscripta consuetudo, est gravissima quæstio,

quam infra expendimus, et negative solvendam propugnamus. *Secundo,* etiamsi talis consuetudo admittenda foret, non ideo desineret Index legis universalis rationem habere. Nam privilegium exemptionis ab aliqua universali lege, non impedit quin lex illa universalis dicenda sit : consuetudo vero contra legem legitime prævalens, nihil aliud est quam privilegium exemptionis a lege, ex tacito legislatoris consensu proveniens.

CAPUT IX.

CONFUTATUR OPINIO QUÆ TENET, INDICEM NON OBLIGARE IN GALLIA, GERMANIA, BELGIO ET ALIIS REGIONIBUS.

Quanti momenti sit hujusce opinionis veritatem falsitatemve omnino exploratam habere, vel inde satis patet, quod si semel admittatur etiam ut probabilis, subvertat prorsus atque in nihilum practice redigat in quam maxima christiani orbis parte totum illud sapientissimarum legum propugnaculum, quo Tridentina Synodus et Romani Pontifices noxiorum librorum pestem a fidelibus arcere tam sollicite conati sunt. Sicut enim in Gallia et Germania Indicem non vigere aliqui opinati sunt, ita alii quoad Belgium, regnum Neapolitanum aliasque regiones idem tenuerunt. Quorum si vel probabilis opinio censenda sit, jam intra solius fere status Pontificii fines vis obligandi Indicis concludenda erit. Sufficit enim *probabiliter* non obligare legem ut practice non obliget.

Hinc non miretur lector in expendenda illa quæstione, utpote nostris temporibus gravissima, scriptionem nostram aliquantisper detineri. Solet autem dicta opinio triplici fundamento superextrui : nimirum, quod Index receptus non fuerit, quod non fuerit per provincias singulas promulgatus, et tandem quod contraria consuetudo legitime præscripserit. Quapropter triplici paragrapho hujusce triplicis fundamenti inanitatem probabimus.

§ I.

Indicem, in dictis regionibus non vigere, perperam argueretur ex eo quod apud eas regiones non fuerit receptus.

Etenim 1° Index ad obligandum acceptatione non indiguit: 2° perperam asseritur eum in dictis regionibus non fuisse receptum : quæ duo firmantur sequentibus propositionibus.

Propositio I^a^. — *Index ad obligandum acceptatione non indiguit.* — Etenim præscriptiones et decreta quibus constat Index, sunt leges Pontificiæ de se universales, ut supra demonstravimus. Atqui leges Summi Pontificis subditorum acceptatione nullatenus indigent ut eos obstringere valeant.

Etenim si necessaria foret ejusmodi acceptatio, vel quia Papa non posset, vel quia nollet obligare nisi ultro acceptantes: atqui neutrum dici valet:

1° Quod possit Papa, si velit, universos fideles, quantumvis renitentes seu non acceptantes, legibus suis in conscientia obligare, est doctrina catholica adeo certa, ut ejus negatio dici debeat erronea, atque in schisma et hæresim inducens. Nam de fide est Romano Pontifici, in persona Beati Petri, collatam a Christo fuisse universalem Ecclesiam *pascendi regendi atque gubernandi plenam potestatem* (Concilium Florentinum). Atqui in tali potestate comprehenditur potestas fideles, absque ulla eorum acceptatione, legibus constringendi. Potestas enim vi cujus Papa non posset præceptis et legibus suis obligare nisi volentes, nedum esset *plena,* dicenda foret inanis et derisoria. Præterea dogma catholicum est Romano Pontifici competere Primatum, non tantum honoris, sed et jurisdictionis. Porro qui nequit præceptis et legibus suis obligare nisi volentes, nedum in eos habeat Primatum jurisdictionis, seu jurisdictionem principalem, nullam habet. Unde revera systema illud quo Romanis Pontificibus denegatur potestas legibus suis omnes et singulas diœceses obligandi, nisi Episcopi consentiant et accipient, seu (quod idem est)

systema Febronii, quo Papæ tribuitur dumtaxat potestas leges proponendi, non autem eas obligatorias reddendi ante Episcoporum acceptationem, istud inquam systema aperte erroneum est, atque in schisma et hæresim inducens. Proinde omnino reprobanda est formula, qua Gallicani scriptores adeo frequenter utuntur ad probandum aliquam legem Pontificiam in Galliis non obligare : *Constitutio ista*, inquiunt *non fuit recepta in Gallia*. Quæ sane formula, in quantum innuit ac supponit non posse Romanum Pontificem legibus suis nisi volentes obstringere, totum recondit schismaticum Febronii systema. Hinc merito editores Cassinenses in nova editione Lucii Ferraris: *Quis enim dicat ex ovium acceptatione vim pendere legum, quas pro communi bono supremus Ecclesiæ Pastor constituat, quibus velit omnes omnino obligare?* (verbo *libri prohibiti*, ultimo articulo, § 4, sub finem). Vide idem probatum in publicatione periodica *Analecta Pontificia* 18ᵉ livraison, pag. 2618, ubi nonnulla adducuntur valde notanda Cardinalis Albitii dicta.

2° Vi obligandi non carent leges Pontificiæ, ex eo quod de facto *nolit* Papa leges suas obligare nisi acceptentur. Equidem consentire merito præsumitur Summus Pontifex ut, si quis Episcopus Pontificiam legem noviter latam diœcesi suæ minus opportunam existimet, possit supplicationem ad Sedem Apostolicam, pro impetranda dispensatione, dirigere ; et interea, donec rescriptum fuerit, suspendatur in ea diœcesi obligatio dictam legem observandi ; prout in tractatu *de Principiis* fuse probavimus : atvero falsum omnino est consentire Romanum Pontificem, ut possint Episcopi legem non observare, non expedita dicta supplicatione, et etiamsi eis postulatam exemptionem denegaverit. Nequaquam enim præsumi potest in Romano Pontifice voluntas, quæ generali Ecclesiæ regimini summe nociva foret. Porro si consentiret Romanus Pontifex, ut Episcopi leges Pontificias observare in suis diœcesibus non tenerentur, nisi quando et in quantum liberet eas acceptare, jam actum foret de vigore universalis regimi-

nis, ut patet. Ergo talis consensus nequaquam potest in Romano Pontifice merito supponi.

Ergo revera Pontificiæ leges de quibus agimus acceptatione non indigueruut neque ex eo quod Papa *non possit*, neque ex eo quod *nolit* eas absque acceptatione obligatorias reddere. Ergo etiamsi receptæ non fuerint, id non impedivit quin initio universaliter obligaverint.

Propositio IIa. — *Index in Gallia olim receptus fuit.* — 1° Sic decrevit Concilium provinciale, Aquis Sextiis (à Aix) celebratum, anno 1585 : « Nullus, cujusvis conditionis ac sta-« tus ille sit, libros prohibitos, juxta Indicem Sedis Apostolicæ « jussu editum, legere aut domi retinere aut vendere quo-« quomodo audeat : alioquin sciat se excommunicationis sen-« tentia innodatum, a qua nonnisi a Romano Pontifice absolvi « potest. Idque parochus singulis diebus dominicis populo « denuntiet. Curent vero Episcopi, ut omnes parochi hujus-« modi Indicem librorum prohibitorum penes se habeant. » (Labbe, t. 15, col. 1124, edit. parisiis 1672). Ergo receptus fuit Index in provinciæ Aquensis diœcesibus.

2° In Concilio provinciali Tolosano, anni 1590, hæc statuta sunt : « Quæ de librorum lectione, improbatione Sacra Tri-« dentina præcepit Synodus, ea diligentissime serventur. « Quæ prohibitorum librorum regulæ ex Tridentini Concilii « decreto in libro Indicis sancitæ editæque sunt, eas in suis « diœcesibus promulgari, venalesque in bibliopolarum typo-« graphorumque officinis haberi Episcopi jubeant, publica-« tamque in eos, qui libros prohibitos aut legunt aut reti-« nent excommunicationem aliquoties in anno proponi pu-« blice curent.

« Qui libri deinceps excudentur, Episcopi et inquisi-« toris fidei diligentia et auctoritate et examinentur et ap-« probentur. Adprobatio libri initio apponatur. Qui libros « absque adprobatione tyographus ediderit, canonicis pœnis « coerceatur.

« Qui audiendis confessionibus præpositi sunt, quo suis

« pœnitentibus facilius satisfaciant, librorum prohibitorum « Indicem habeant, quem iterata sæpius lectione, notum sibi « familiaremque reddant. » (Labbe, t. 15, col. 1423, edit. Parisiis 1672). Ergo receptus fuit Index in provinciæ Tolosanæ diœcesibus.

3° Concilium provinciale Avenionense, anni 1594, decrevit in hunc modum : « Curent Episcopi ne per eorum negligen- « tiam libri hæreticorum, aut alias a Sede Apostolica dam- « nati..., alicubi videantur, legantur, habeantur, reperian- « turve. Sed regulas Indicis librorum prohibitorum auctoritate « Pii IV Pontificis editas, aut auctoritate aliorum Pontificum « edendas, observari tum ab omnibus, tum præcipue ab im- « pressoribus et bibliopolis curent. » Ibidem sequuntur variæ circa eamdem materiam præscriptiones, inter quas et ista : « Index porro Romanus librorum prohibitorum pro foribus « officinæ prostet. » (Labbe, t. 15, col. 1439, edit. Parisiis, 1672). Ergo et in diœcesibus Avenionensis provinciæ Index receptus fuit.

4° In Concilio provinciæ Narbonensis, anni 1609, sic occurrit dispositum : « Quod sancte a Conciliis ordinatum est « insequentes, quoscumque libros a Sancta Sede Apostolica « vetitos, et ex professo de hæresi et rebus obcœnis trac- « tantes, aut legi aut domi retineri prohibemus, sub pœna « excommunicationis ipso facto incurrendæ, et aliis pœnis a « Summis Pontificibus et œcumenicis Conciliis ordinatis. « Curent ergo Episcopi pro subditorum salute, ne libros hu- « jusmodi retinentes pœnas ignoranter incurrant, ut omnes « parochi Indicem librorum a Sancta Sede Apostolica prohibi- « torum penes se habeant, eumdemque bis saltem in anno « perlegant. Biblia vero Sacra, idiomate gallico conscripta, « legere aut domi retinere nemini liceat, nisi ab Episcopo « aut ejus vicario generali, expressa in scriptis obtenta licen- « tia. » (Labbe, t. 15, col. 1577, edit. Parisiis 1672). Ergo et in Narbonensis provinciæ diœcesibus constat receptum fuisse Indicem.

5° In Concilio Bituricensi, anni 1584 : « Sit Index libro-
« rum prohibitorum apud scribam et actuarium cujuscumque
« Episcopatus, qui singulis annis exibeatur bibliopolis et ty-
« pographis, ne per errorem improbatos libros disseminent;
« neve populus catholicæ religioni addictus per ignorantiam
« libros prohibitos retineat. » (Apud Labbe, t. 15, col. 1071 edit. Parisiis 1672). Ergo et in diœcesibus Bituricensis provinciæ receptus fuit Index.

6° Concilium Burdigalense, anni 1583, ita quoad seminarii alumnos decrevit : « Libros a Sancta Sede Apostolica damna-
« tos et impudicos, ne norint quidem de nomine; multo
« vero minus eos unquam legere audeant. » (Labbe, t. 15, col. 997, edit. Parisiis). Quæ verba prorsus innuunt tanquam obligatorium receptum fuisse Indicem in Burdigalensi provinciæ.

In Concilio ejusdem provinciæ Burdigalensis, anni 1624, ita decernitur : « Cæteris omnibus eosdem et omnes per Indi-
« cem expurgatorium Concilii Tridentini damnatos libros, sub
« pœna excommunicationis latæ sententiæ legere aut retinere
« prohibemus. » (Labbe, t. 15, col. 1637, edit. Parisiis, 1672). Ergo et in provincia Burdigalensi receptus fuit Index.

7° Concilium Rotomagense anni 1581 : « Admoneri per
« omnes dominicas jubemus populum, nemini licere libros
« sortilegiorum, libertinorum, quorumcumque hæreticorum,
« aut alios damnatos a Sede Romana, apud se retinere aut
« legere, sine licentia Sanctissimi Domini nostri Papæ; sed
« retinentes aut legentes excommunicationi subjacere. »
(Labbe, t. 15, col. 825, edit. Parisiis 1672). Ergo et in provincia Rhothomagensi receptus fuit Index.

8° Concilium Turonense, anni 1583 : « Prohibet hæc Syno-
« dus ne libri magicæ artis, hæreticorum..., imprimantur,
« vendantur, legantur aut retineantur omnino, his demptis
« quibus *a Summo Pontifice* vel de jure concessum est. »
(Labbe, t. 15, col. 1006, edit. Parisiis 1672). Ergo et in diœcesibus Turonensis provinciæ receptus fuit Index.

9° Concilium Ebredunense, anni 1727 : « Priorum Concilio-
« rum vestigiis inhærens declarat hæc sancta Synodus,
« omnes qui prohibitos libros seu libellos, et præsertim ad-
« versus præfatas Constitutiones Apostolicas recens vulgatos,
« tam scriptos quam typis editos, legere, describere aut apud
« se retinere ausi fuerint, excommunicationis vinculo esse
« innodatos. » (Labbe, t. 21, col. 1916, editionis Venetæ).

10° Cum hodie Cameracensis diœcesis intra fines Galliæ concludatur, abs re non erit etiam citare Concilium Cameracense anni 1586, quamvis eo tempore Cameracensis provincia Hispanicæ ditioni subjaceretur.

« Non permittantur cuivis de populo libri Sacræ Scripturæ,
« lingua vulgari, contra quartam regulam Indicis librorum
« prohibitorum ; nisi de licentia Episcoporum aut deputato-
« rum ab eis.» (Vide apud Heymans, *De librorum in Belgio prohibitione*, pag. 234, edit. Bruxellis 1849). « Deinde habemus
« quod Philippus II, per edictum datum die 15 februarii
« 1569 præceperit, ut Index Romanus, sicut per Pium IV
« publicatus fuerat, reciperetur et observaretur in omnibus
« regnis suæ ditionis, et ideo ipsum ad omnia Consilia regia
« transmitti mandaverit, ut eorum auctoritate per provincias
« more solito promulgaretur. Quod proinde præsertim in
« nostro regno Neapolitano sine ulla contradictione execu-
« tioni demandatum fuit. Et cum Innocentius XII conquere-
« retur apud Carolum II quod in Flandriis quidam libri ab
« Ecclesia proscripti impune legerentur, Carolus de hac re
« scripsit gubernatori, tunc Bavariæ electori; et hic regis
« epistolam Bruxellarum senatui transmisit; qui die 13
« aprilis 1696 sic electori respondit : *In hoc usque tempus*
« *non audivimus quemquam tueri voluisse scripta et libros legi-*
« *time prohibitos. Præterquam quod et cum gaudio auxilium da-*
« *turi simus ecclesiasticis quibus ad hoc eo opus fuerit* » (S. Ligorius, appendix *de Prohibitione librorum*, cap. 4, n. 30). Quæ pauca verba sancti Ligorii simul probant usu receptum fuisse Indicem et in Flandriis (ac proinde etiam in Cameracensi

provincia) et in Neapolitano regno, et in Hispania, et in cæteris Hispanicis ditionibus.

11° *Concluditur in tota Gallia receptum fuisse Indicem.* — Constabat Gallia provinciis ecclesiasticis octodecim. Porro quod novem ex istis provinciis Indicem receperint, positivis et expressis documentis modo relatis omnino constat. Quoad novem alias, equidem actis synodalibus idem probare nequeo. Nam in actis Concilii Rhemensis anni 1583 nihil occurrit de libris prohibitis dispositum. A cæteris autem provinciis vel celebrata non fuerunt tunc temporis provincialia Concilia, vel saltem eorum acta in collectionibus non exstant. Reperientur forsan aliquando et quoad istas novem provincias positiva documenta de Indicis receptione, exquirendo et perlustrando delitescentes in bibliothecis diœcesanarum hujus ævi Synodorum libros. Quamvis autem in dictis novem provinciis receptum Indicem positiva documenta non probent, *de jure præsumenda est receptio ;* quod sic probo :

Censendæ sunt illæ etiam novem provinciæ Indicem recepisse, si 1° nullum exstet positivum documentum de contraria agendi ratione : 2° si adstrictæ fuerunt sub gravi ad illum recipiendum : 3° si modus loquendi cleri Gallicani in comitiis, supponat generalem fuisse dictam receptionem. Atqui,

1° Nullo positivo documento probatur, publicatum a Pio IV Indicem alicubi in Galliis receptum non fuisse. Nos receptum positive demonstramus in novem provinciis ecclesiasticis. Dicant, si valent, adversarii quonam in angulo rejectus fuerit. Hucusque nullum ejusmodi rejectionis vestigium allegare potuerunt.

2° Index a Pio IV publicatus lex fuit universalis, quam omnes sub gravi recipere tenebantur. Id satis constat ex dictis sub præcedenti propositione. Obligant nempe leges Pontificiæ independenter a subditorum acceptatione, ac proinde ante ejusmodi acceptationem. Tenebantur ergo sub gravi Galliæ præsules et eorum subditi ad recipiendam Pii IV Constitutionem, ac proinde ad recipiendum Indicem. Nemo autem

præsumendus est deliquisse, nisi probetur. Ergo novem dictarum provinciarum Præsules et fideles *de jure præsumendi sunt* Indicem recepisse.

3° Et revera in tota generaliter Gallia receptum fuisse Indicem, supponunt hæc cleri gallicani, in comitiis anni 1579, ad regem directa verba : « Qu'il soit fait défense à tous im-« primeurs, libraires... et autres personnes quelconques, « d'imprimer, vendre et tenir en leur possession aucuns li-« vres hérétiques, censurés et diffamatoires, *sous les peines* « *de droit.* » Hisce verbis quid aliud postulabat clerus gallicanus, nisi ut recens publicatæ Pii IV Constitutioni sæcularis brachii auxilium accederet? Et numquid hoc ipso obligatoriam a se existimari hanc Constitutionem non satis declarabat? Dicendum ergo simpliciter receptum in Gallia fuisse Indicem.

Propositio III[a]. — *Index olim in Belgio receptus fuit.* — 1° In Concilio provinciali Mechliniensi 3, titulo 1, capite 7, sic occurrit dispositum : « Moneant diligenter parochi sibi « subditos, libros hæreticos vel ex professo lubricos nullo-« modo legere vel habere licere ; eisque prohibitiones, quæ « habentur in Indicibus librorum prohibitorum, Sedis Aposto-» licæ auctoritate, post Concilium editas, crebro insinuent » (vide apud Heymans, *De librorum in Belgio prohibitione*, pag. 233, edit. Bruxellis 1849). Hocce decreto præscribi publicationem, non tantum posterioris partis Indicis in quo libri nominatim prohibentur, sed etiam prioris, idest regularum generalium eidem Indici præmissarum, probat ibidem citatus Heymans, et fateri coactus est ipse Van-Espen. Atque id insuper colligitur ex quadam provinciæ Mechliniensis regulamento, in quo dicitur, esse a visitatoribus attendendas regulas, *tam eas quæ sunt propositæ Indici prohibitorio, quam præsentes. Ita enim Pius IV Pontifex sanxit.* Ergo in diœcesibus provinciæ Mechliniensis Index receptus fuit.

2° In Concilio provinciali Cameracensi secundo : « Non per-« mittantur cuivis de populo libri Sacræ Scripturæ, lingua « vulgari, contra quartam regulam Indicis librorum prohibi-

« torum; nisi de licentia Episcoporum aut deputatorum ab « eis. » Hic loquendi modus aperte obligatorium supponit totum Indicem. Dicendo enim *contra quartam regulam*, perinde est ac si dixissent Patres, *quia id prohibet quarta Indicis regula*. Si autem id prohibitum existimarunt *quia* erat contra quartam Indicis regulam, pariter prohibita existimare debuerunt quæcumque cæteris regulis et decretis Indicis adversabantur. (Vide apud Heymans, loco citato, pagina 234). Ergo et in provinciæ Cameracensis diœcesibus receptus fuit Index.

3° In principatu Leodiensi tunc temporis summa auctoritate civili, simul cum episcopali conjuncta, potiebatur Leodiensis Antistes. Sic autem in suo pastorali mandato 24 maii 1634, de libris prohibitis agens, commonebat Leodiensis Episcopus : « Avons trouvé expédient et nécessaire de rémémo- « rer en ce présent mandement (outre *ce que le Concile de* « *Trente* et nos prédécesseurs ont ordonné touchant ce fait) « ce qui est porté en la Bulle dite de la Cène du Seigneur » (apud Heymans, pag. 235). Pro more autem documentorum hujus temporis, Concilio Tridentino tribuitur Index a Pio IV publicatus. Unde verba hæc *ce que le Concile de Trente a ordonné* idem ibi sonant ac dictus Pii IV Index.

4° Etiamsi non exstarent documenta de recepto per totum Belgium ab ecclesiastica auctoritate Indice, receptionem hanc certam efficerent regiæ potestatis decreta hac de re promulgata.

Etenim per suum edictum 15 februarii 1569, jussit Philippus II, Hispaniæ rex, cujus ditioni tunc temporis Mechliniensis et Cameracensis provinciæ suberant, ut Romanus Index per omnia in omnibus suis statibus reciperetur. Id fatetur Van-Espen, de illo edicto sic mentionem faciens : « Quo præcipie- « batur Indicem Romanum, prout per Pium IV fuerat publi- « catus, observari et recipi; ipsumque edictum ad omnia « Consilia regia transmitti, ut eorum auctoritate per provin- « cias more solito publicaretur. Atque de hoc edicto loquitur « Haræus, in annalibus Belgicis, ad annum 1570. Et ipsum « secuti plures alii scribere non dubitarunt, Indicem Roma-

» num hic in Belgio promulgatum et auctoritate regia sim-« pliciter receptum fuisse. » (*Jus ecclesiasticum*, titulo 22, capite 5, n. 9.)

Quod edicto suo præcipiebat Philippus II, ad executionem deduxit Dux Albanus, gubernatoris munere in iis partibus fungens. Quod sic enarrat contemporaneus scriptor Haræus, Lovanii ad S. Jacobum canonicus : « Albanus ad stabiliendas « res totus fertur. Primum ad religionem animum convertens, « libris vetitis abstinere jubet ; editque eorum Indicem typis « Plantinianis, hoc anno (1570) vulgatum. » Index ille, typis Plantinianis, anno 1570, a gubernatore editus et promulgatus, nihil aliud est quam Index Romanus Pii IV, cum præmissis decem regulis quæ Tridentinæ vocari solent ; prout inspicienti cuilibet patere potest. Ergo revera in Belgio auctoritate etiam regia, seu cum brachii sæcularis accessione promulgatus et receptus fuit Romanus Index.

Objicies 1°. — In priori editione Plantiniana, anni 1569, non insertæ sunt decem regulæ ; sed dumtaxat in posteriore, anni 1570. Porro id signum est non fuisse regis et gubernatoris Albani mentem, ut Index cum omnibus decem regulis reciperetur.

Respondeo 1°. — Si non fuisset mens regis et gubernatoris ut Index cum decem regulis reciperetur, non permisissent a typographo Plantino eodem anno Indicem edi cum istis decem regulis : item non permisissent et a fortiori non procurassent promulgari posteriorem illam editionem : item non conservassent Plantino, utpote qui contra ipsorum mentem et jussa egisset, privilegium vi cujus ipsi soli per sex annos liceret Indicem edere. Quod ergo Plantinus, in editione anni 1569, decem regulas non inseruerit, compendii gratia, aut quia eas vulgui non profuturas putaret, fecisse censendus est.

Respondeo 2°. — Nisi mens fuerit regis, Indicem cum decem regulis, edicto suo recipiendum præcipere, Sedi Apostolicæ illudere voluisse dicendus foret. Præcipit enim recipi Romanum Indicem a Pio IV promulgatum. Porro hoc nomine

Romani Indicis, intelligebantur, et quidem præcipue, decem istæ regulæ. Quam doli hypothesim prorsus excludit Philippi II in toto hoc negotio agendi ratio. Et præterea, si dolosam illam mentem habuisset, supprimi jussisset editionem Plantinianam anni 1570, in qua decem regulæ exstabant.

Objicies 2°. — Anno 1571, auctoritate ejusdem Philippi II editus est *Index expurgatorius*, in quo, non omnes decem regulæ, sed quatuor tantum insertæ sunt. Porro inde colligendum est mentem regis fuisse, non omnes, sed aliquas dumtaxat e dictis regulis recipere.

Respondeo : ad patefaciendam hujusce objectiunculæ inanitatem satis est exponere quid fuerint Indices *expurgatorii*.

Ad terminos regularum Indicis, sunt quædam librorum species, quæ sub prohibitionem cadunt, si non fiat emendatio seu expurgatio ; et quæ tamen permittuntur aut saltem ab Episcopis permitti possunt, si facta sit expurgatio. Sic, verbi gratia, disponitur regula tertia : *Si quæ vero annotationes cum hujusmodi quæ permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a Facultate theologica alicujus Universitatis theologicæ, aut Inquisitione generali, permitti eis poterunt quibus et versiones.* Et regula quinta : *Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt..., si quæ habeant admixta quæ expurgatione indigeant, illis Episcopi et Inquisitoris una cum theologorum catholicorum consilio sublatis ac emendatis, permittantur.* Item regula sexta : *Quòd si hactenus in aliquo regno vel provincia aliqui libri sint prohibiti, quod nonnulla contineant quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat ; si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab Episcopo et inquisitore poterunt.* Item regula octava : *Libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim seu impietatem, divinationem seu superstitionem spectant, a catholicis theologis, Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt. Idem judicium sit de prologis, summariis seu annotationibus quæ a damnatis auctori-*

bus libris non damnatis appositæ sunt : sed posthac nonnisi emendati excudantur.

Cum ergo, juxta dispositionem ipsiusmet Romani Indicis, multi ex iis libris qui sub prohibitionem cadunt, liciti evadere valeant per emendationem seu expurgationem, exspectandum erat ut variis in locis multorum ejusmodi librorum expurgationi manum admoverent theologi, sub Ordinariorum auctoritate. Et revera ita contigit. Facti sunt catalogi librorum qui per expurgationem liciti evadere poterant, et simul in iis catalogis notabatur quidquid in dictis libris expungendum aut corrigendum esset. Qui catalogi *indices expurgatorii* dicti sunt. Præter cæteros alibi editos, etiam Romæ, anno 1607 expurgatorius index prodiit, opera Quanzelli magistri Sacri Palatii, sic inscriptus : *Indicis librorum expurgandorum... tomus I ; in quo 50 auctorum libri, præ cæteris desiderati, emendantur.* In propositis erat alios tomos subnectere : ast ab arduo isto incepto cessatum est. Nimirum brevi experientia docuit, id *futurum seminarium litium infinitarum, quibus sustinendis nec unus nec plures forent pares, quantavis auctoritate subnixi,* ut ait Papebrochius (*Resp.* tomo 2, pag. 469).

Jam vero, ut ad propositam objectionem redeamus, prodiit quidem Autuerpiæ anno 1571, procurante Philippo II rege, ast auctoritate ecclesiastica, ad terminos regularum Romani Indicis, *index expurgatorius :* et verum est, illi præfixas non fuisse decem regulas Indicis, sed tantum quatuor. Sed id nequaquam probat mentem regis fuisse aliquas dumtaxat e decem regulis recipere. Expurgatorii indices sunt quid omnino diversum ab *Indice.* Recipiendum præcepit et auctoritate sua promulgandum curavit Philippus II *Romanum Indicem* cum decem suis regulis, seu qualis a Pio IV publicatus fuerat. Id invictissime ex documentis constat. Quod autem censores deputati ad conficiendum *indicem expurgatorium,* ei quatuor dumtaxat regulas præmiserint, nihil facit ad rem. Potuissent nullam inserere. Quid mirum quod commemorent dumtaxat aliquas ex eis, in quibus de expurgandis libris agitur, in libro

cujus solus scopus est catalogum texere expungendorum aut corrigendorum in certis quibusdam libris? Sane in ipso etiam *Indice expurgatorio,* quem Romæ edidit Sacri Palatii magister anno 1607, præmittuntur dumtaxat regulæ Indicis secunda, quinta, septima et octava : quis tamen nisi mente captus inde colliget, mentem fuisse Sedis Apostolicæ, hasce tantum Indicis regulas recipere aut obligatorias velle? Unde nebulas in meridie conflant Van-Espen et alii deviæ doctrinæ scriptores, qui talibus nixi ratiunculis, receptum in Belgio non fuisse quoad omnes decem regulas Romanum Indicem, mendaciter obtrudunt.

Objicies 3°. — Juxta regulas Romani Indicis, opera Molinæi, auctoris hæretici, de iis non erant, quæ per expurgationem possent licita evadere : atqui tamen censores qui dictum indicem expurgatorium anni 1571 confecerunt, plura Molinæi opera expurgarunt, et quatenus sic expurgata inter licitos libros reposuerunt: ergo omnes Indicis regulas non receperunt.

Respondeo 1°. — Concedo majorem; id est, Molinæi opera non potuisse (juxta verum regularum Indicis sensum) per expurgationem reddi licita. At notandum est, circa hunc regularum Indicis sensum, qui hodie certus omnino est, initio potuisse aliquos decipi; ob textum scilicet regulæ secundæ, qui si minus attente legatur errandi ansam aliquatenus præbet.

Respondeo 2°. — Distinguo minorem : et isti censores hac in re perperam ac nulliter egerunt, jusque suum prætergressi sunt, concedo : et jure ita fecerunt, nego. Ego quidem potius dixerim eos bona fide errasse : nondum enim tunc temporis ejusmodi de vero regularum Indicis sensu difficultates plene eliquatæ fuerant. At sive ignoranter et bona fide, sive scienter id præstiterint, certum est eos, necnon Philippum II, jus suum hac in re excessisse.

Propositio IV^a^. — *Index olim in Neapolitano regno, in Hispania et in cæteris Hispanicis ditionibus receptus fuit.*—Quando a Pio Papa IV publicatus est Romanus Index, Philippo II subjiciebantur, non tantum Hispania, sed etiam Flandriæ, Neapo-

litanum regnum, et vastæ in Indiis regiones. Porro ex modo dictis circa Belgium, certum remanet præfatum regem edicto suo anni 1569 jussisse, ut Index, qualis a Pio IV editus fuerat, in omnibus suis ditionibus reciperetur ac promulgaretur. Hoc autem edictum in Neapolitano regno *sine ulla contradictione executioni demandatum* fuisse tanquam indubitatum asserit sanctus Ligorius (appendix *de Prohibitione librorum*, cap. 4, n. 30); atque id negantes sic perstringit : « Adstruunt aliqui « nostrates nebulones, quod Index Romanus in hoc regno « Neapolitano non obliget, utpote non publicatus nec accep- « tatus » (ibidem, n. 29).

Quod pariter in Belgio præfatum Philippi II edictum executioni demandatum fuerit, jam probavimus. Tandem quod in Hispania et Hispanicis Indiarum regionibus similiter contigerit, nullus (quod sciam) in dubium vocavit.

Propositio V^a^. — *Index olim in Germania receptus est. Remissive.* — Id nuper ex professo probavit eruditus auctor publicationis periodicæ, quæ *Analecta juris Pontificii* inscribitur (31^e^ livraison, mars et avril 1859, pagina 1402 et sequentibus); et tanta quidem documentorum copia, ut prorsus non videam quomodo possit quis, si ea considerate perlegerit, huic præfati scriptoris conclusioni non assentire : *Certains moralistes ont eu bien tort d'affirmer que l'Index n'avait jamais été observé en Allemagne. Ils ne se sont pas moins trompés lorsqu'ils ont cru pouvoir présumer le consentement des Souverains-Pontifes à la transgression de l'Index* (loco citato, pagina 1426). Quare, brevitatis causa, et ne rem a laudato scriptore (reverendo Domino Chaillot presbytero) tam feliciter actam agamus, lectorem ad citatum *Analectorum juris Pontificii* locum remittimus.

Conclusio paragraphi. — *Ergo prorsus rejicienda est opinio quæ vim obligandi Romano Indici denegat, ex eo quod receptus non fuerit.* — Nam 1° initio ad obligandum acceptatione non indiguit, ut propositione prima ostendimus. 2° Generaliter in toto orbe catholico receptus olim fuit, prout evincunt cæteræ paragraphi propositiones.

§ II.

Indicem in dictis regionibus non vigere, perperam argueretur ex defectu sufficientis per provincias singulas promulgationis.

I. Ut obligent Pontificiæ leges, necesse non est eas per singulas provincias ab Episcopis promulgari, sed sufficit promulgatio Romæ facta. Equidem contrarium tenuerunt aliqui doctores catholici : ast rejiciendam opinionem illam probavimus in tractatu *de Principiis*. Et revera si quis serio attendere velit ad praxim illam Sedis Apostolicæ, qua leges suas, Romæ dumtaxat publicatas, tanquam obligatorias urget, atque in earumdem infractores pœnis animadvertit, facile ex hoc ipso reprobatam dictam opinionem intelliget. Sed hic (ad juris abundandantiam) supponimus opinionem hanc adhuc hodie probabilem existere ; et dicimus, etiam in hac hypothesi nequaquam objici posse defectum promulgationis contra vim obligatoriam Indicis. Etenim,

II. Qui tenent non sufficere promulgationem Romæ factam, sed requiri ut fiat per provincias singulas, simul fatentur et admittunt, obligatoriam esse legem Pontificiam quæ fuit *universaliter usu recepta*. Hoc ipso nempe quod Pontificia lex universali usu recepta sit, jam nullam requirunt per provincias promulgationem ; quia dicta generalis et practica receptio æquivalet cuilibet per provincias promulgationi ; imo est optima omnium promulgatio. Et hinc est quod induci valeat obligatio etiam per solam consuetudinem universalem, absque ulla expressa lege et promulgatione. Unde, quod Pontificiæ leges *universaliter jam usu receptæ*, obligent, non est doctrina controversa, sed certissima, et extra omnem controversiam posita.

Jam vero, Indicem a Pio IV promulgatum usu generali receptum fuisse superiori paragrapho probatum est. Ergo certum est Indicem illum universaliter obligatorium fuisse. Ergo, semel probata universali dicti Indicis receptione, absone moveretur quæstio, an fuerit per singulas provincias promul-

gatus. Quod scite adnotavit Zaccaria, his verbis : « Cum « librorum prohibitorum Index in variis christiani orbis pro- « vinciis receptus fuerit (prout ex præmissa historia perspici « potest), inutile est quærere, num librorum prohibitiones « per provincias promulgandæ sint, ut obligatoriæ evadant » (*Storia polemica,* pag. 389, edit. Romæ 1777).

Unde certum est Indicem aliquando universaliter, atque etiam in Galliis, in Belgio, et cæteris supradictis regionibus, obligatorium exstitisse. An autem postmodum in istis regionibus vigere desierit ex inducta et legitime præscripta contraria consuetudine, est gravissima quæstio, quæ sequenti paragrapho expendenda venit.

§ III.

Indicem hodie obligatorium non esse in Gallia, Germania, Belgio aliisve regionibus, concludi nequit ex contraria consuetudine.

Propositio I^a^. — *Fuit plurium catholicorum doctorum opinio, Indicem ex toto, vel saltem ex parte, in dictis regionibus obligatorium non esse, ob legitime præscriptam contrariam consuetudinem.* — Concedimus propugnatam revera fuisse a pluribus catholicis doctoribus dictam opinionem. Nonnullos citabimus ; simulque exponemus quid sentiant de dispositione Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros. Adnotet autem lector hujusce opinionis fundamentum esse, quod Indicis et Bullæ *Cœnæ* præscriptiones, in dictis regionibus, saltem in toto suo rigore receptæ non fuerint, et contra eas invaluerit legitima consuetudo.

Sic habet Layman (*Theologia moralis,* libro 2, tractatu 1, cap. 15, numeris 4 et 8) : « Verumtamen in partibus nostris « septentrionalibus Bullaris hæc Constitutio (*intellige disposi-* « *tionem Bullæ* Cœnæ, *circa hæreticorum libros*) secundum talem « rigorem recepta non est. Multi enim frequenter prodeunt « hæreticorum libri juridici, medici, historici, quibus ple-

« rumque reperias unam vel plures hæreses obiter admixtas; « et tamen passim in catholicorum bibliothecis asservantur, « leguntur. Dummodo hinc excipias eorum hæreticorum his- « torias; verbi gratia, Joannis Aventini, Joannis Sleidani, « Sebastiani Munsteri; quibus satis apparet præcipuum in- « stitutum fuisse Romanam Ecclesiam, clericorum et mo- « nachorum statum convellere ac denigrare; quorum proinde « nomina in Indice librorum prohibitorum diserte posita sunt. « Quamobrem horum etiam historicorum libri in diœcesi « hac merito prohibentur. De aliis vero, præsertim remotio- « ribus diœcesibus, non satis mihi constat. Ait autem Martinus « Becanus (3, 1, c 15, q. 8, n. 5) : *Ubi Bulla Cœnæ Domini* « *vel Index librorum prohibitorum receptus non est, catholicos* « *in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos...*

« Subjiciam annotanda quædam ex Indice librorum prohi- « bitorum, auctoritate Pii IV, Sixti V et Clementis VIII « edito : primo, duplicem esse librorum prohibitorum clas- « sem : in prima ponuntur auctores omnes hæretici, vel de « hæresi publice suspecti; quorum omnes libri de religione « tractantes, vel hæresim continentes, tum editi, tum in po- « sterum edendi prohibentur. Additur vero in regula secunda, « hæresiarcharum, id est, qui hæreticorum capita aut duces « sunt, omnes omnino libros, cujuscumque nominis, tituli, « vel argumenti sint, penitus interdictos esse... Ad alteram « vero classem pertinent libri, qui doctrinam non sanam, « suspectam, vel moribus fidelium repugnantem continere « judicantur, tametsi a catholicis auctoribus prodierunt. Inter « has duas librorum classes, duo discrimina sunt : primum, « quod primæ classis prohibitio sit propter auctores hæreticos, « quorum proinde omnes libri de materia religionis prohi- « bentur; tametsi eorum aliqui fortasse nullum manifestum « errorem contineant... Alterius classis prohibitio est propter « errores, sive doctrinas falsas, quæ in quibusdam libris etiam « catholicorum auctorum deprehensæ fuerunt : cujusmodi « tamen libri non ante prohibiti censentur, quam speciatim

« in Indicem relati fuerunt. Alterum discrimen est, quod libri « primæ classis prohibentur sub excommunicatione Papæ re- « servata, per Bullam *Cœnæ Domini* : libri autem secundæ « classis sub excommunicatione non reservata. *Quamvis, quod « attinet ad prohibitionem librorum secundæ classis, Index Ro- « manus apud nos in Germania receptus non sit : quia nemo est, « qui in observationem cum auctoritate deducat...*

« Quarto, regula quarta Indicis prohibetur, ne fideles Sacra « Biblia vulgari idiomate, sine Episcopi aut inquisitoris li- « centia, legant aut habeant. Quæ tamen prohibitio his nostris « regionibus recepta non est. *Non puniuntur* (inquit Nicolaus « Serarius..) *sed laudantur, qui in Germania nostra, nulla dis- « crete petita facultate, Biblia vulgata et vernacula Ezekii vel « Dietenbergii legunt.* Versio autem germanica Lutheri et « aliorum hæreticorum prorsus interdicta est : imo etiam « versiones hæreticorum latinæ. »

II. Eamdem fere doctrinam reperies apud Pichler, Wiestner, Schmalzgrueber et alios quosdam auctores germanicos.

III. Haud dissentit Lacroix : « Librum catholici auctoris « (inquit) Romæ pure confixum posse in Germania legi, de- « fendit publice aliquis professor moralis. Idem de libris « secundæ classis tenent Becanus, Layman.., aliique cum « Wex.., pro locis septentrionalibus, in quibus Bulla *Cœnæ* « non est in eo rigore recepta; cum in eo rigore non obser- « vetur a majore parte communitatis. Ratio autem est, quia « in locis illis Germaniæ nemo est, qui observationem talium « prohibitionum cum potestate urgeat » (libro 7, *de Excom- « municatione*, n. 371).

« Circa regulam relatam Indicis notandum est, quod non « peccent nec incurratur excommunicatio ab iis, qui sine « expressa facultate Ordinarii in Germania legunt Biblia versa « a catholicis et usu publico approbata, ut notant Tanner et « Layman... Imo sic legentes testatur laudari Serarius.. Pro « Belgio notant Marchant et Veri (art. 10) in multis illius « locis consuetudinem jam invaluisse, ut honestis et pruden-

« tibus personis sæcularibus Bibliorum lectio permittatur, « dissimulatione potius quam concessa licentia ; neque in hoc « ab Ordinariis contradici. Idem de Gallia satis notum est » (ibidem, n. 374).

IV. Continuator Tournelii, idest, Petrus Collet, loquens de Indice et de dispositione Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros, sic habet (in tractatu *de Decalogo*, cap. 1, art. 1) : « Verum hæc in Galliis recepta non sunt : pleno enim jure et « usu communi hæreticorum libros legunt, tum Episcopi « eorumque vicarii generales, qui et hanc facultatem iis im- « pertiunt quibus expedire judicant ; tum doctores qui hære- « sim et hæreticos impugnare, libros approbare, de iisdem « judicium doctrinale ferre consueverunt... Ita cum aliis ple- « risque sentit auctor *Collationum Andegavensium*, vir in hisce « materiis neutiquam suspectus. Addit idem, non videri ul- « lam exstare legem in hoc regno generaliter receptam, qua « omnes prorsus hæreticorum libri qui jam fuerint aut dein- « ceps futuri sint, omnino prohibeantur. » In compilatione *Cursus theologicus* inscripta, e typis D. Migne, sic occurrit (tomo 13, col. 1288) adnotatum ab editoribus : « Illæ Consti- « tutiones (agitur de Bulla *Cœnæ* et de Constitutionibus Indi- « cis confirmatoriis) non fuere receptæ apud nos, saltem « generaliter in omnibus seu provinciis seu diœcesibus. Unde « his nonobstantibus pleno jure et usu satis communi, hære- « ticorum libros legunt Episcopi eorumque vicarii generales « qui hanc facultatem aliis impertiuntur, ut supra insinuaba- « mus. Quinimo ipsimet laici sufficienter edocti nullum sibi « scrupulum movent, si quosdam libros a S. Congregatione « Indicis prohibitos legant, sine licentia, modo id non sit « prohibitum statutis locorum in quibus degunt, et in iis ver- « sentur circumstantiis in quibus talis lectio sibi jure naturali « vetita non foret...

« Hæc theoria et praxis quam fovent nostri theologi, ut- « pote consuetudine diuturna firmatam, facile scandalum « extraneis procreet, et appareat adversa obedientiæ quam

« omnes fideles tenentur Ecclesiæ Romanæ præstare, nisi « attendatur ad principia quibus innititur et quæ alibi expo- « nuntur ubi de consuetudinibus Ecclesiæ Gallicanæ...

« Ea est jurisprudentia constans et longo usu firmata Eccle- « siæ Gallicanæ, ut non servet leges Pontificias nisi sint au- « thentice promulgatæ in regno, et eas non promulget quando « sunt suis usibus vel (ut aiunt) libertatibus contrariæ. Non « diffitemur hanc jurisprudentiam incommodis non levibus « esse obnoxiam; tamen nihil ex se habet repugnans regulis « fidei et disciplinæ christianæ. Summi Pontifices, licet for- « tasse illam minus probent, tamen nunquam condemnave- « runt, nec ignorant suas leges non aliter acceptari, nec re- « clamant, sed communionem conservant cum ea Ecclesia, « cujus sæpius commendavere zelum. Porro illud silentium « ipsum sufficit ad firmandam nostram disciplinam nostram- « que consuetudinem. » Hujus et similium adnotationum, gallicanismi fece turgidarum, quæ passim in dicto *Cursu theologico* insertæ sunt, auctores fuerunt (ut in ipsa operis inscriptione præmonetur) *presbyteri ad docendos levitas pascendosve populos alte positi.*

Propositio IIª. — *An præmissa opinio generaliter admissa fuerit in dictis regionibus tanquam tuta in praxi, merito forsan negari posset.* — Contendit Reiffenstuel non posse absolute asseri, Indicem in Germania non vigere. Attamen quoad prohibitos catholicorum auctorum libros, dubius hæret; et sicut non asserit obligatoriam in Germania esse eorum prohibitionem, ita nec negare audet.

Item Zalwein, qui sane de iis non est qui Sedis Apostolicæ auctoritatem ultra limites protrahant, Laymanno hac in re adversatur: « Libere fatemur, inquit, nobis hactenus non « esse probatum, quod Index hic (*in Germania*) quoad lectio- « nem Scripturæ non sit receptus, cum passim Episcopi eidem « firmiter adhæreant. » (*Princip. juris eccles.*, tomo 2, pag. 342; apud Zaccaria, *Storia polemica*, pag. 350).

Cardinalis Albitius, in suo tractatu *de Inconstantia in fide*

(cap. 30, n. 403 et seq.), prænonet *cavendum* esse a supradictis theologis, *licet summæ auctoritatis viris, dum inquiunt, in nonnullis provinciis catholicis Bullam* Cœnæ *non fuisse receptam.* Tum ita subdit : « Sed horret animus dum video, non solum « scriptores laicos parum timoratæ conscientiæ, sed etiam « ecclesiasticos et religiosos *temere* asserere in nonnullis pro- « vinciis catholicis Bullam *in cœna Domini* non esse usu re- « ceptam ; et quod pejus est judicio meo, dum docere au- « dent solum in aliquibus capitulis, non autem in omnibus « esse receptam. » Et postquam probavit obligare Pontificias Constitutiones absque prævia subditorum acceptatione, aut per provincias promulgatione, subjungit : « Et ex his ra- « tionibus Cardinalis de Lugo dicit, se non videre, quomodo « si qui in Gallia, Germania et Anglia legant hujusmodi li- « bros, possint excusari ab hac censura. Et certe Galli, Ger- « mani et Angli timoratæ conscientiæ quotidie a Sanctissimo « Domino nostro in Congregatione Sancti Officii, quæ habetur « coram Sanctitate Sua, petunt et obtinent licentiam legendi « prædictos libros. » Id facile testari potuit Cardinalis Albitius, cum pluribus annis Sancti Officii Assessoris munere functus sit. Attendenda autem præcipue hæc ipsius verba (n. 413) : « Et dum hæc transcriberem, de mandato Alexandri VII fuit « a Qualificatoribus Sancti Officii qualificata infrascripta pro- « positio : *Bulla quæ promulgatur* in cœna Domini, *non est in « Belgio usu recepta juxta probabilem multorum opinionem.* Et « omnes Qualificatores nemine excepto censuerunt, hanc « propositionem esse falsam, temerariam, erroneam, auctori- « tati Summi Pontificis injuriosam, et sternentem viam ad « schisma, ut ex decreto sub die 20 septembris 1657. » (Textus istos, eo quod opus C. Albitii præ manibus non haberem, desumpsi ex *Analectis Pontificiis*, 18e livraison, janvier 1857, col. 2618 et 2619.)

Obligare in Gallia et ubique Indicem, et Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros dispositionem, pro certo habuit auctor gallicus Charlas : « Vix quidem, ait, inter catholicos quem-

« quam reperias, qui jus illud damnandorum prohibendo-
« rumque librorum Romano Pontifici competere neget. Sed
« multi ejus censuram violantes, inobedientiæ culpam obvol-
« vere subtilibus excusationibus conantur, obtendentes illam,
« sicut alia pleraque decreta, ultra montes vim non habere,
« quasi Romani Pontificis potestas a Christo fuerit Alpibus
« circumscripta, vel Ecclesia monstruosum corpus sit, cu-
« jus pars capitis ductum sequi, altera seipsam regere de-
« beat. » (*de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, I, 7, c. 18).

Nec desunt forsan alia ejusmodi testimonia et documenta, queis probari possit, etiam in Germania, Gallia et Belgio a timoratæ conscientiæ clericis aliisque fidelibus pro obligatoriis habitas fuisse Indicis et Bullæ *Cœnæ* circa libros præscriptiones; ita ut contraria persuasio et praxis nullo tempore generalis evaserit. Id tamen hic non propugno; sed iis qui generalem in dictis regionibus Indicis et Bullæ *Cœnæ* circa libros præscriptiones non servandi praxim et consuetudinem asserunt, dico *transeat*. Permisso enim, ad juris abundantiam, hujus assertæ generalis consuetudinis facto, nihilominus verum remanet obligatorium in iis regionibus esse ac semper fuisse Indicem et Bullæ *Cœnæ* præscriptionem; quia nempe consuetudo hæc nunquam legitima evasit: quod nunc probandum venit.

Propositio III^a. — *Consuetudo seu praxis non servandi Indicem nunquam in Germania, Gallia, Belgio, aliisve regionibus legitima evasit.* — Id evincunt duo sequentia argumenta:

Argumentum I. — Ex eo quod nunquam effluxerit tempus requisitum ad legitime præscribendum. — Etenim defuit tempus ad legitime præscribendum, si post promulgatam a Pio IV Indicis legem, omnes fere Summi Pontifices legem illam aut expresse, aut æquivalenter confirmaverint, et aperte ostenderint suam esse voluntatem, ut ubique observaretur. Porro ita sese res habet. Expresse suis Constitutionibus legem illam confirmarunt Clemens VIII, Gregorius XV, Urbanus VIII, Alexander VII, Benedictus XIV. Insuper nullus fere exstitit

Papa, sub cujus Pontificatu proscriptus non fuerit aliquis liber.

Porro singula ejusmodi prohibitionum decreta (quæ auctoritate Pontificia fiunt et vim legis universalis habent) Indicis legem tenore suo denuo confirmant, et universaliter obligatorium eum supponunt et æquivalenter declarant. Quod ut pateat, abs re non erit unum ex istis decretis hic subjicere.

« Decretum feria III 26 aprilis 1853. — Sacra Congrega-
« tio Eminentissimorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
« lium, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX sanctaque
« Sede Apostolica Indice librorum pravæ doctrinæ, eorum-
« demque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in uni-
« versa christiana republica præpositorum et delegatorum,
« habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat,
« proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscri-
« pta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et
« mandat opera quæ sequuntur:... »

Post enumeratos libros, sic clauditur decretum: « Itaque
« nemo cujuscumque gradus et conditionis prædicta opera
« damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque
« idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel reti-
« nere audeat; sed locorum Ordinariis, aut hæreticæ pravi-
« tatis inquisitoribus ea tradere teneatur, sub pœnis in Indice
« librorum vetitorum indictis.

« Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX, per me
« infrascriptum, Sacræ Congregationi a secretis, relatis, Sanc-
« titas Sua decretum probavit et promulgari præcepit. » Quis non videat per unumquodque ejusmodi decretorum urgeri denuo Indicis observandi obligationem? Utquid enim liber *in Indicem librorum prohibitorum* auctoritate Pontificia referretur, si Index iste non obligaret? Singula ergo ejusmodi decreta sunt reclamatio contra oppositam consuetudinem, et huic consuetudini derogant antequam effluxerit tempus ad legitimam consuetudinis præscriptionem requisitum.

Cæterum, etiamsi concederetur aliquando interfluxisse

sufficiens tempus, nihilominus legitima non remansisset inde exorta consuetudo; quod sic adnotat Reiffenstuel (ad librum 5 Decretalium, tit. 7, n. 116): « Etsi hæc lex per consuetudi-« nem contrariam præscriptam abrogata fuisset, tamen etiam « eidem consuetudini diversis successivis temporibus rursus « derogatum fuit per plures Constitutiones Pontificales subse-« quentes... Idem facere, et observationem Indicis præcipere « videntur Pontifices successores, dum fere omnes ad hæc « usque tempora libros aliquos de novo prohibent, eosque « Indici librorum prohibitorum inseri mandant; ita ut memo-« ratus Index continuo augeatur, sicque auctus una cum an-« tiquis regulis Indici ab initio statim præfixis, auctoritate « eorumdem prodeat, et exacte observari præcipiatur. Ex « quibus utique patet, quam difficile sit absolute sustinere « Indicem, etiam quoad libros secundæ classis, in Germania « non esse receptum, vel eidem consuetudine contraria legi-« time præscripta derogatum: cum novæ Constitutiones ejus-« dem observationem de novo præcipientes jugiter emanent: « quæ consuetudinibus contrariis derogant, et quas, utpote « justas, acceptandi gravis obligatio est. »

Ad magis patefaciendam hujusce argumentationis vim, consuetudinem illam, quæ hodie legitime præscripta contenditur, conferamus cum Benedicti XIV Constitutione *Quæ ad catholicæ*, 23 decembris 1757. Sic laudatus Pontifex obligatorium decernit noviter ab ipso publicatum Indicem: *Absolutum itaque juxta mentem nostram laudatum Indicem, et ab iisdem Cardinalibus revisum atque recognitum, typis Cameræ nostræ Apostolicæ edi voluimus, ipsumque præsentibus Litteris nostris tanquam expresse insertum habentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, atque ab omnibus et singulis personis, ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter et inconcusse observari præcipimus et mandamus, sub pœnis, tam in regulis Indicis, quam in Litteris et Constitutionibus Apostolicis alias statutis et expressis, quas tenore earumdem præsentium confirmamus et renovamus. Non obstantibus... quibusve... usibus, stylis et con-*

suetudinibus etiam immemorialibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Per ejusmodi Pontificias Litteras, consuetudo contraria, si forte alicubi legitime præscripsisset, sublata omnino fuit. Nec objiciatur cum gallicani systematis defensoribus, receptam non fuisse hanc Benedicti XIV Constitutionem; quia doctrina hæc, utpote quæ supponit liberum subditis esse Romani Pontificis legibus non parere, nisi quando libuerit, aperte erronea est, in schisma inducens, et divinitus institutæ hierarchiæ ecclesiasticæ subversiva. Remanet ergo ut hodierna consuetudo dici nequeat præscripsisse nisi post Benedicti XIV pontificatum. Sed obstant librorum condemnationes quæ singulis annis post dictum Pontificem prodiere. Nam per singula ejusmodi decreta Sacræ Congregationis Indicis, Papæ auctoritate prolata, exprimit Sedes Apostolica se tanquam universaliter obligatorium Indicem habere, ut ex ipsa formula constat. Præterea eamdem Sedis Apostolicæ mentem et voluntatem exprimit decretum 26 martii 1825, sub initium Indicis positum, quo Leo XII *universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimine præpositis* in memoriam revocari præcipit, quæ tum in regulis Indicis tum cæterorum Romanorum Pontificum, et nominatim Benedicti XIV auctoritate, Indici librorum prohibitorum præposita sunt. Sane non præcepisset ista in memoriam revocari, si jam antiquata et nullatenus obligatoria existimasset. Atque idem colligendum venit ex duobus monitis 4 martii 1828, et 7 januarii 1836, quæ post decem regulas in Indice, jussu Gregorii XVI edito, inserta sunt.

Argumentum II. Ex eo quod nunquam merito præsumi potuerit Sedes Apostolica consentire in ejusmodi consuetudinem. — Nunquam legitime contra legem præscribere potest consuetudo, nisi accedat tacitus saltem legislatoris consensus. Id omnino certum est et extra controversiam positum. Hinc nulla consuetudo legi contraria pro legitima habenda est, nisi merito præsumi valeat legislatoris consensus. Ut autem merito præsumi possit Romani Pontificis consensus, non sufficit ipsum

per notabile tempus silere, seu non reclamare contra consuetudinem sibi notam. Id quidem obtrudere conantur gallicani systematis propugnatores. Sic nempe arguunt : cognoscit Papa consuetudinem ipsius legi contrariam, et silet; ergo consentit. Sed falsissimam esse hanccc doctrinam in tractatu *de Principiis* fuse probavimus. Contingit nempe haud raro tales esse circumstantias, ut, si legem in aliqua regione urgere velit Pontifex, pejora damna oritura prævideat. Tunc silet quidem et dissimulat, opportuniora ad urgendam legis observationem exspectans tempora : at nequaquam consentit. Hinc ut merito præsumi valeat Romani Pontificis consensus in aliquam consuetudinem universali Ecclesiæ legi contrariam, necesse est tales fuisse circumstantias, ut reclamare potuerit absque ullo notabili rei catholicæ damno Jam vero noto notius est in Germania, Gallia et aliis nonnullis regionibus toto tempore quo apud eas servari desiit lex Indicis, Apostolicam Sedem perpetuas fere experiam esse difficultates. Quos lugendos conflictus et in legitimam Romani Pontificis auctoritatem crebra tentamina hic describere necesse non est. Ad Galliam quod attinet, verbi gratia, quem exitum sperare potuisset Sedes Apostolica ex sancitis et universis Galliæ Præsulibus intimatis pœnis, contra eos omnes qui legem Indicis ademussim non servarent? Ipsamet Constitutio qua id decrevisset Summus Pontifex recepta non fuisset, et pro inani tentamine habita fuisset. Idque logice, juxta gallicanum systema, quod pro norma in Galliis ad nostra usque tempora habitum est. Ne ergo schisma excitaretur prudenter dissimulavit Sedes Apostolica, et hujus regionis deceptos fideles in sua bona fide reliquit.

Idem contigit quoad litargias illegitime ibidem introductas. Hodie nimirum, amoto jam (ob generalem ad saniores doctrinas regressum) inobedientiæ et aliorum damnorum periculo, loquitur Sedes Apostolica, et per ejusmodi illegitima Breviaria satisfieri non posse horarum canonicarum debito declarat; prout haud pridem quoad Cenomanense Brevia-

rium expresse decisum est. Perperam ergo obtenditur longa Indicem non servandi consuetudo, et silentium Sedis Apostolicæ : silentium istud quoad dictas regiones approbativum nullatenus censeri potest. Proinde illegitima fuisse et permansisse censenda est in iis regionibus consuetudo illa. Ita ut ex bona fide dumtaxat excusari valeant, qui Indicis legem violarunt, aut violari posse docuerunt.

Nota. — Forsan etiam jure adjici posset, ejusmodi consuetudinem de iis esse, quibus ecclesiasticæ disciplinæ dissolvitur nervus, et quæ idcirco nunquam legitimæ evadere queunt. Sane post inventam typographicam artem, difficile quis sibi persuadeat sufficere, ad arcendam pravorum librorum pestem, juris naturalis aut statutorum diœcesanorum præscriptiones. Tertium tamen illud argumentum tanquam peremptorium subjungere nolui; et an tale revera sit doctioribus expendendum relinquo. At duo præcedentia rem plane evincunt.

Objicies. — Probabilis saltem remanet opinio quam propugnarunt insignes doctores multi; atqui Indicem non obligare in Germania, Gallia, Belgio et aliis regionibus docuerunt graves theologi multi; inter quos etiam non pauci in defendendis Sedis Apostolicæ juribus strenui: ergo dicta opinio probabilis saltem censenda est.

Respondeo. — Majorem esse quidem ordinarie veram, non tamen absolute ac semper. Quando nempe doctores aliquam opinionem propugnantes nituntur ratione certo falsa, etiamsi cæteroquin sint graves et bonæ notæ, derelinquindi sunt. Porro id quoad præsentem quæstionem contingit. Supracitati scriptores Germanici, ut vidimus, hoc fundamento nituntur: non obligare legem, nisi a majore parte communitatis recipiatur. Hinc concludebant legem Indicis, utpote in suo rigore apud Germanos non observatam a majori fidelium parte, vim obligandi ex parte amisisse. Jam vero prorsus erroneum est, non obligare leges Pontificias nisi a communitate acceptentur. Si enim nequeat Sedes Apostolica legibus suis constringere nisi acceptantes, errasse dicendum est œcume-

nicum Florentinum Concilium quando definivit, Romano Pontifici, in persona Beati Petri, collatam a Christo fuisse *plenam potestatem regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam*. Sane si leges Ecclesiæ obligare desinant ex eo quod a majore communitatis parte non serventur, dicendum erit hodie in Galliis non obligare legem peccata semel in anno confitendi, sacram communionem recipiendi in Paschate, jejunandi quadragesimali tempore, etc.; cum nimium (eheu!) constet a majori catholicorum Galliæ parte leges illas violari. Quod si quæras quomodo dicti canonistæ in tam apertum errorem labi potuerint, videtur in causa fuisse doctrina, tunc temporis sat generaliter admissa, de societatum temporalium legibus. Existimabatur scilicet non posse principem subjectum sibi populum lege sua obstringere, si major pars reniteretur. Et hoc quidem verum esse potest in aliquibus temporalibus societatibus; ubi nempe ex pacto fundamentali, aut æquivalenti usu ac consuetudine, princeps nonnisi sic restrictam regiam potestatem haberet. Simile quid haud pridem in Gallia vigebat: non obligabat lex a rege lata, nisi prius a deputatorum et parium cameris acceptaretur. Atvero idem perperam applicaretur Pontificiis legibus. *Plenam* subditos regendi potestatem a Christo recepit Summus Pontifex; nec valent ullæ regiones, ulli Episcoporum cœtus divinam illam Ecclesiæ constitutionem immutare.

Ad Galliæ scriptores quod attinet, aperte pariter erroneum est fundamentum, ex quo obligatoriam Indicis vim rejecerunt. Etenim non tantum Pontificiis Constitutionibus vim obligandi denegant nisi acceptentur, sed insuper liberum faciunt Episcopis eas non acceptare, si ita ipsis opportunum videatur. Ex quo statim sequitur, Romano Pontifici non competere potestatem Gallicanos legibus suis obstringendi, sed tantum leges eis proponendi. Quod doctrinæ monstrum nisi quis videat erroneum esse ac schismatis inductivum, prorsus cœcutiat necesse est.

Excusandi ergo sunt supradicti auctores Germanici qui (ex

falso supposita, ut videtur, inter Summum Pontificem et temporales principes, quoad legislativam potestatem, paritate) bona fide erraverunt: excusandi et Gallicani scriptores, quos in transversum egit generaliter in sua regione receptum gallicanismi systema: at nequaquam admittenda est, etiam ut probabilis, eorum opinio, cum certo falsum probetur fundamentum quo nititur.

Propositio IV[a]. — *Etiamsi huc usque in Gallia non viguisset Index, at hodie in plerisque Galliæ diœcesibus vigere certum faciunt nuper celebrata Galliæ Concilia provincialia.* — Hodie nimirum sublatæ omnino sunt duæ rationes, ob quas prætendebatur non vigere Indicem in Gallia. Dici enim jam nequit receptam non fuisse in Gallia Indicis legem; siquidem eam nuper celebrata Concilia provincialia receperunt. Item allegari nequit consuetudo contra legem Indicis legitime præscripta; siquidem dicta Concilia, Indicis legem recipiendo, consuetudinem illam interruperunt, eique derogarunt. Quod autem revera Indicis legem dicta Galliæ Concilia receperint, colligitur ex sequentibus textibus.

1° Sic habet Concilium provinciale Parisiense, anni 1849, pag. 32: « Amplectimur omnes et singulas Sanctæ Sedis Apo-
« stolicæ Constitutiones dogmaticas, uti et illas quæ univer-
« sam Ecclesiæ disciplinam respiciunt, specialiter quæ a con-
« clusione Concilii Tridentini usque in hodiernam diem pro-
« latæ et promulgatæ sunt. Declaramus etiam ac docemus
« eas sæculari sanctione non indigere ut tanquam norma
« credendorum et conscientiæ regula ab omnibus suscipian-
« tur. »

Ibi expressis terminis recipiunt Parisiensis Concilii Patres *omnes et singulas* Sedis Apostolicæ Constitutiones, *universalem Ecclesiæ disciplinam respicientes*, et specialiter eas quæ a conclusione Tridentinæ Synodi usque nunc prolatæ ac promulgatæ sunt. Porro Constitutiones Indicis confirmatoriæ, itemque Bulla *in Cœna Domini*, de iis sunt quæ respiciunt universalem Ecclesiæ disciplinam, itemque de iis quæ post absolutam Tri-

dentinam Synodum publicatæ sunt. Ergo Indicem et Bullam *Cœnæ* recepit Parisiense Concilium anni 1849. Ergo Index, et dispositio Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros, hodie viget et obligat in omnibus Parisiensis provinciæ diœcesibus.

2° Concilium provinciæ Albiensis, anni 1850, pagina 80 : « Decreta quibus Summi Pontifices in universa Ecclesia, et « Episcopi in sua quisque diœcesi, hujusmodi librorum lec- « tionem, retentionem vel impressionem prohibent, in con- « scientia obligant etiam clericos. Nullus ergo prohibitos libros « legere et retinere præsumat, nisi adsit necessitas et a com- « petente auctoritate obtineatur licentia. »

Ibidem pagina 44 : « Leges condere potest (Summus Pon- « tifex) quibus universi christiani veram obedientiam præ- « stare tenentur, quæ proprio robore valent, independenter ab « acceptatione subditorum et assensu aut sanctione pote- « statis sæcularis, et a quibus nemo, nisi ipso Summo Pontifice « consentiente, dispensari et eximi potest. »

Ibi aperte et expressis terminis obligatorius declaratur Index. Et notetur loqui Patres, non tanquam obligationem illam inducentes, sed tanquam jam existentem declarantes. Item obligatorias declarando Pontificias Constitutiones *independenter ab acceptatione subditorum*, explodunt atque condemnant præcipuum illud gallicanismi propugnaculum, *non obligare in Gallia Pontificias leges, nisi acceptentur* ; cujus erroris fece pleni fuerunt ii etiam libri, qui in seminariis Galliæ ad nostra usque tempora prælegi solebant. Certum ergo est hodie obligatorium esse Indicem in Albiensis provinciæ diœcesibus.

3° Concilium provinciæ Turonensis; anni 1849, pagina 50 : « Summorum Pontificum Constitutiones dogmaticas omnes, « illas præsertim quæ his ultimis temporibus prodierunt, « accipimus, sicuti et Constitutiones quæ universalem Ecclesiæ « disciplinam respiciunt, illis nos subjicientes ea, qua par « est, filiali obedientia. Profitemur enim et declaramus eas « absque sæculari sanctione esse pro omnibus obligatorias « tanquam credendorum normam et conscientiæ regulam. »

Cum Turonensis Concilii Patres recipiant *Summorum Pontificum Constitutiones quæ universalem Ecclesiæ disciplinam respiciunt*, hoc ipso recipiunt Pontificias Constitutiones quibus ubique servandus Index præcipitur ; item Bullam *Cœnæ*, et hujus Bullæ dispositionem circa hæreticorum libros. Ergo hodie certo obligatorius est Index in omnibus Turonensis provinciæ diœcesibus.

4° Concilium Tolosanæ provinciæ, anni 1850, pagina 65 : « Cæterum quoad libros vetitos serventur Apostolica decreta « de impetranda a Romano Pontifice licentia eos retinendi « ac legendi. »

Ergo pariter obligatorius est Index in omnibus Tolosanæ provinciæ diœcesibus.

5° Concilium provinciæ Lugdunensis, anni 1850, pag. 33 : « Proprio jure, et absque ulla a temporalibus potestatibus « dependentia, decreta facit (Summus Pontifex) circa fidem, « mores et Ecclesiæ disciplinam, quibus omnes christiani « corde et animo subjici debent. Est supremus judex, ad quem « majores et difficiliores causæ omnium Ecclesiarum defi- « niendæ referuntur.

« Nos itaque, his principiis adhærentes, Apostolicis Consti- « tutionibus specialem assensum renovandum duximus, quibus « a Pio VI ad Pium IX, omnes Summi Pontifices errores « damnaverunt recentiores. »

Ibi declarant Lugdunensis Concilii Patres obligatoria esse quoad *omnes christianos* decreta Pontificia *circa mores et Ecclesiæ disciplinam*. Hancque vim obligandi eis inesse ex *proprio* Summi Pontificis *jure*, ac proinde independenter a subditorum acceptatione, agnoscunt. Hoc ipso autem æquivalenter obligatorias declarant Pontificias Constitutiones Indicis observationem præcipientes. Ergo obligat Index in omnibus etiam Lugdunensis provinciæ diœcesibus.

6° Concilium provinciæ Bituricensis, anni 1850, pagina 28 : « Quæcumque igitur credenda, quæcumque servanda decer- « nit Summus Pontifex, hæc credenda et servanda amplec-

« timur; quæ damnat et respuenda judicat hæc damnamus et « respuimus; declarantes insuper sanctione quavis potestatis « civilis nullatenus indigere Apostolicas Constitutiones, tum « dogmaticas, tum disciplinares. »

Cum declarent hujus Concilii Patres *se amplecti quæcumque Summus Pontifex servanda decernit*, profecto amplectuntur Constitutiones omnes Pontificias disciplinam universalem respicientes ; ac proinde illas etiam quibus Index ubique terrarum servandus præcipitur. Ergo hodie vigere censendus est Index in omnibus Bituricensis provinciæ diœcesibus.

7° Concilium provinciæ Auscitanæ anni 1851, pagina 35 : « Evangelicis institutis et Conciliorum definitionibus inhærentes circa ecclesiasticæ potestatis plenitudinem B. Petro et « legitimis ejus successoribus a Christo immediate collatam, « Summorum Pontificum Constitutiones amplectimur tanquam « veras credendi et agendi regulas, quæ fideles omnes vi « propria obligant, independenter a cujuslibet potestatis « sanctione aut acceptione. »

Ibidem, pagina 38 : « .... Prohibemus omnes libros qui « contra doctrinam catholicam vel bonos mores manifeste « scripti dignoscuntur, maxime eos qui a Sancta Sede vel ab « Ordinario prohibiti fuerint. »

Hoc ipso quod Auscitanum Concilium omnes amplectatur Pontificias Constitutiones, et declaret eas obligare vi propria, et absque potestatis cujuslibet acceptatione, obligatorias declarat Pontificias Constitutiones Indicis observationem præcipientes. Item dum prohibent libros a Sancta Sede prohibitos, hoc ipso Indicis legem promulgant. Ergo hodie certo viget Index in omnibus Auscitanæ provinciæ diœcesibus.

8° Concilium provinciæ Burdigalensis anni 1850, pagina 21 : « Pariter libros a Sancta Sede vel ab Ordinario damnatos et « vetitos nemo legere præsumat. »

Ejusdem autem provinciæ Concilium, anno 1853 celebratum, sic habet pagina 26 : « Declaramus insuper non posse « sine scandalo ac detrimento animarum nec sine injuria et

« contemptu Sanctæ Sedis prædicari, quæ omni data occasione « aliqui palam prædicant de Sacris Congregationibus Roma- « nis, quodque inprimis de Sacra Congregatione Indicis libro- « rum prohibitorum dictitant : ejus nempe decreta a Summo « Pontifice probata, nullius apud nos esse valoris et roboris : « cui temeritati.... »

Ergo viget hodie Index in omnibus Burdigalensis provinciæ diœcesibus. Et notentur verba hæc *cui temeritati*, etc.; cadunt enim in eos qui dictitant *nullius apud nos esse valoris* et roboris S. Congregationis Indicis decreta. Porro nullus, quod sciam, palam negavit, decreta illa esse magni ponderis, quatenus gravissimorum doctorum, Cardinalium nempe, sententiam exprimentia : sed negant dumtaxat eis inesse vim legis seu vim obligandi in Gallia. Unde cadere videtur prædicta temeritatis nota in eos qui propugnant non vigere apud nos Indicem.

9° Concilium Avenionensis provinciæ, anni 1849, pag. 55 : « Fideles sæpius moneant rectores animarum, legibus Eccle- « siæ gravissimis prohibitum esse ne emantur, legantur, reti- « neantur libri a Sede Apostolica damnati. » Ergo viget Index in omnibus Avenionensis provinciæ diœcesibus.

10° Concilium provinciæ Remensis, anni 1857, pagina 26 : « Quod ad nos spectat, omnes Constitutiones Apostolicas, « etiam eas quibus de universali disciplina ecclesiastica sta- « tutum est, veneranter amplectimur atque in tota provincia « Remensi servari volumus, in iis scilicet quæ consentiunt « cum concordatis quibus Ecclesiæ Galliarum reguntur. »

Cum hujus Concilii Patres amplectantur et in tota sua provincia servari velint Constitutiones Apostolicas *omnes, etiam eas quibus de universali disciplina ecclesiastica statutum est*, hoc ipso obligatorium Indicem declarant et servari præcipiunt. Nec obest, quod adjiciant, *in iis scilicet*, etc ; nullatenus enim per ejusmodi concordata ab Indicis lege Gallia eximitur (1).

(1) Concilium provinciæ Aquensis, anni 1850, pag. 35, sic habet : « Hæc autem

Ex præmissis autem documentis sic concludimus : constat hodie Gallia provinciis ecclesiasticis quatuordecim. Ex iis duæ provinciale Concilium non celebrarunt : nimirum Cameracensis (eo quod duabus tantum diœcesibus constet), et Bisuntina. Duarum aliarum (Senonensis videlicet et Aquensis) Concilia, etsi innuant, non tamen forsan rigorose probant tanquam obligatorium apud ipsas haberi Indicem. Atvero apud decem alias vigere ac obligare Indicem, ipsomet provincialium Conciliorum tenore, expresse aut æquivalenter declaratur. Ergo in omnibus decem illarum provinciarum diœcesibus hodie obligatorium esse Indicem omnino certum est.

Præterea, libenter admittunt gallicani systematis patroni vigere legem Pontificiam in tota Gallia, si in majori Galliæ parte recepta sit : atqui Index receptus est in decem provinciarum diœcesibus, ac proinde in multo majore Galliæ parte: ergo et in tota Gallia hodie vigere Indicem fateri debent.

CAPUT X.

QUID STATUATUR IN BULLA *CŒNÆ* QUOAD HÆRETICORUM LIBROS, ET AN VERUM SIT PARTEM ILLAM BULLÆ *CŒNÆ* NON OBLIGARE IN GALLIA, GERMANIA, BELGIO ET ALIIS NONNULLIS REGIONIBUS ?

Prænotanda. — 1° Vocatur Bulla *Cœnæ* Constitutio Pontificia, feria quinta majoris hebdomadæ publice quotannis legi solita, qua in variorum ibi expressorum delictorum reos pronuntiatur excommunicatio. Hujus Bullæ textum reperies apud

« (Summi Pontificis) docendi, pascendi et regendi potestas, cum sit ***suprema, plena, numerisque omnibus*** absoluta (Pius VI, ***in responso super Nunciaturis***, cap. 3), vera est hoc ipso, non solum dirigendi, sed jubendi, leges ferendi et sanciendi, judicandi et pœnas decernendi auctoritas, ***cui omnes obedire tenentur.*** » Verba hæc, et similia quæ reperiuntur in Concilio provinciæ Senonensis anni 1850, innuunt saltem earum Synodorum Patres pro obligatoriis habuisse Pontificias Constitutiones Indicis observationem præcipientes.

Ferraris (verbo *Excommunicatio*), itemque apud Lacroix (libro 6, parte 2, *de Præcepto confessionis*, n. 2054).

2° Repetenda est ejus origo ab illis excommunicationibus, quæ jam a tempore Gregorii Magni, et etiam probabiliter antea, quotannis feria quinta in Cœna Domini, itemque in festo Ascensionis et Dedicationis Basilicarum S. S. Petri et Pauli, solebant publice in capella Pontificia pronuntiari, contra hæreticos, piratas, falsarios Bullarum, et nonnullos alios. Quæ excommunicationes apud antiquos scriptores *processuum* nomine memorantur. (Circa Bullæ *Cœnæ* antiquitatem, vide apud Ferraris novum articulum in editione Cassinensi adjectum, verbo *Bulla in Cœna Domini*.)

3° Primus omnium Julius III, anno 1550, Bullæ *in Cœna Domini* inseruit formulam, qua hæreticorum libri sub excommunicatione prohibentur.

4° Verba Bullæ *Cœnæ* quæ de hæreticorum libris decernunt sunt ista: « Excommunicamus... apostatas, ac omnes « et singulos alios hæreticos, quocumque nomine censean- « tur et cujuscumque sectæ existant...; ac eorumdem libros, « hæresim continentes vel de religione tractantes, sine au- « ctoritate nostra et Sedis Apostolicæ scienter legentes aut « retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes, « ex quavis causa, publice vel occulte quovis ingenio vel co- « lore. » Excommunicationes autem omnes in hac Bulla contentæ (1), sunt Romano Pontifici reservatæ, prout ex ejusdem Bullæ tenore constat. Hinc valde attendenda est citata dispositio. Attentis enim cæteris Pontificiis decretis, dicti legentes retinentes, imprimentes et defendentes incurrunt quidem excommunicationem, sed non *reservatam*. Ad terminos autem Bullæ *Cœnæ*, reservatam incurrunt.

5° Præfatam Bullæ *Cœnæ* dispositionem confirmavit Alexander VII, Constitutione *Speculatores;* qua editum a se Indi-

(1) Viginti casus per Bullam *Cœnæ* Romano Pontifici reservatos, brevi formula enumeratos reperies apud Clericati (tomo 2, libro 7, pagina 294, edit. Augustæ Vindelicorum 1730), post catalogum propositionum damnatarum.

cem obligatorium decernens, hanc adjecit clausulam : « Sub « pœnis in Constitutione recolendæ memoriæ Pii IV, etiam « prædecessoris nostri (super Indicis Tridentini confirma- « tione edita) contentis : ad quas (varietatis veterum decre- « torum, pro ponendis transgredientium pœnis, tollendæ « gratia) omnes et singulas, per Constitutiones Apostolicas et « decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflictas, harum « serie reducimus : *firmis tamen manentibus* his, quæ de au- « ctoribus et libris damnatis in litteris Apostolicis, die Cœnæ « Domini publicari solitis, sancita sunt. »

6° Dicta Bullæ *Cœnæ* dispositio rationem habet legis universalis. Quod enim Constitutio illa, non ad particularem regionem restringatur, sed universalem Ecclesiam respiciat, expresse in ipso ejus contextu declaratur. Est ergo citata sanctio universalibus Ecclesiæ legibus adnumeranda.

7° Illam Bullæ *Cœnæ* dispositionem in toto suo rigore apud Germanos non vigere existimarunt haud pauci doctores Germanici. Nullatenus autem vigere in Gallia plures item hujus regionis theologi asserunt. Atque idem de Belgio sentiendum alii existimarunt. (Citationes vide superiori capite, § 3, propositione 1.)

8° Erroneam autem esse ac rejiciendam ejusmodi scriptorum opinionem, ac plene vigere hodie in Gallia, Germania et Belgio Bullæ *Cœnæ* dispositionem circa hæreticorum libros, probatur sequentibus propositionibus.

Propositio I[a]. — *Non obligare in dictis regionibus præfatam Bullæ Cœnæ dispositionem perperam concluderetur ex eo quod ibidem Bulla ista recepta non sit.* — Etenim I, Bulla hæc nulla indiguit acceptatione ad obligandum. Id supra (capite 9, § 1, propositione 1) generaliter quoad Pontificias Constitutiones de universali disciplina statuentes, probavimus. Et rationes ibi adductæ totam suam vim habent quoad Bullam Cœnæ.

II. Falsum est Bullam istam non fuisse aliquando in dictis regionibus receptam. 1° Receptam eam fuisse in Gallia, probavimus in tractatu *de Episcopo* (parte 5), dum quæstionem

expendimus, an Episcopi Galliæ ab hæresi occulta valeant absolvere. Præterea, jam probavimus receptum in Gallia fuisse Indicem. Porro et hoc ipso probatum remanet receptam etiam fuisse dispositionem Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros. Nam recipere Indicem, est recipere Sedis Apostolicæ Constitutiones et decreta quæ a tempore Pii IV de librorum lectione et impressione statuunt : ergo est etiam recipere Constitutionem *Speculatores* Alexandri VII (5 martii 1664). Porro Constitutio hæc, varias pœnas veterum canonum reducendo ad eas, quæ per Pium IV in regula *decima* Indicis decretæ sunt, *expresse* ab ista reductione excipit dispositionem Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros. Proinde confirmavit Alexander VII dispositionem illam, idest, excommunicationem Papæ reservatam, quæ in Bulla *Cœnæ* decernitur. Ergo hoc ipso quod recipiatur Index, recipitur Bulla *Cœnæ* quoad suam circa hæreticorum libros dispositionem. 2° Eædem valent rationes quoad Belgium. Et præterea jam supra (capite 9, § 3, propositione 2) vidimus, propositionem istam, *Bulla quæ promulgatur in Cœna Domini, non est in Belgio usu recepta juxta probabilem multorum opinionem*, a Sancti Officii qualificatoribus unanimiter (teste Cardinali Albitio) judicatam fuisse *falsam, temerariam, erroneam, auctoritati Summi Pontificis injuriosam, et sternentem viam ad schisma.* 3° Ad Germaniam quod attinet, equidem plures hujus regionis theologi dixerunt dictam Bullæ *Cœnæ* dispositionem eo quo scribebant tempore ibi non esse *in toto suo rigore* receptam. Sed præterquam quod idipsum ab aliis negatur, non sequitur eam antea non fuisse integre receptam. Et verum semper remanet obligatoriam initio fuisse, ante ullam subditorum acceptationem.

Propositio II^a^. — *Non obligare in dictis regionibus Bullæ* Cœnæ *dispositionem quoad hæreticorum libros, perperam concluderetur ex eo quod Bulla hæc non fuerit per singulas provincias promulgata.* — Nam 1° ut vim obligandi habeant Pontificiæ Constitutiones sufficit eas Romæ promulgari, et nullatenus

necessaria est promulgatio per provincias singulas. Id in tractatu *de Principiis* probavimus. Et patet ex praxi Sedis Apostolicæ, quæ expresse in hisce Constitutionibus decernit eas obligatorias fore ex sola promulgatione more solito Romæ facta ; et etiam quandoque terminos varios assignat, verbi gratia, duorum aut trium mensium a tempore promulgationis Romæ factæ ; quibus elapsis terminis, hoc ipso incepturam ubique obligationem decernit. Hinc quamvis olim nonnulli doctores catholici necessariam per singulas provincias promulgationem propugnaverint, hodie tamen, ob dictam Sedis Apostolicæ constantem et tam longam praxim, opinio hæc ne tenuiter quidem probabilis censenda est, sed tanquam certo falsa prorsus rejicienda.

2° Ad Galliam et Belgium quod attinet, jam supra vidimus Bullam *Cœnæ* in iis regionibus usu receptam fuisse. Porro ubi Pontificia Constitutio usu recepta fuit, necessariam non esse per singulas provincias promulgationem extra controversiam omnem semper fuit.

Propositio III^a^. — *Non obligare in dictis regionibus dispositionem Bullæ* Cœnæ *quoad hæreticorum libros, perperam concluderetur ex contraria consuetudine.* — 1° Consuetudo hæc non potuit legitime præscribere ex defectu requisiti ad id temporis. Nam Bulla *Cœnæ* quotannis Romæ publicabatur, cum clausulis cuilibet contrariæ consuetudini derogantibus : quæ praxis ad viciniora usque tempora perduravit. Ergo toto illo temporis tractu præscribere in contrarium non potuit consuetudo. Aliunde Alexander VII, Constitutione sua *Speculatores* (5 martii 1664), quæ Indici ab ipso publicato præfixa est, dispositionem Bullæ *Cœnæ* quoad hæreticorum libros confirmavit. Unde ex tunc dispositio hæc fuit pars Indicis. Sed contra vim obligandi Indicis nulla legitima præscripsit consuetudo, ut supra probavimus : ergo nec contra dictam Bullæ *Cœnæ* dispositionem.

2° Nunquam potuit merito præsumi tacitus Sedis Apostolicæ consensus in ejusmodi consuetudinem : ob rationes scilicet

supra expositas quoad consuetudinem Indici adversantem; quæ rationes pariter urgent quoad dispositionem Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros. Unde etiamsi probaretur, a tempore quo desiit quotannis Romæ publicari Bulla *Cœnæ*, dictam ejus dispositionem in præfatis regionibus servatam non fuisse, sed e contra generaliter pro antiquata habitam fuisse; Sedem autem Apostolicam, etsi consuetudinem hanc bene nosceret, siluisse; nequaquam inde concludi posset ejusdem consuetudinis legitimitas. Non enim eæ exstiterunt in iis regionibus circumstantiæ, per quas Romanis Pontificibus reclamare liceret, absque notabilis quoad rem catholicam detrimenti periculo. Quo casu, ut fuse in tractatu *de Principiis* probavimus, silentium Pontificis pro assensu merito haberi nequit.

Propositio IV[a]. — *Etiamsi antea vigere in Gallia desiisset dispositio Bullæ* Cœnæ *quoad hæreticorum libros, at hodie eam vigere certum faciunt recentia provincialia Concilia in Galliis celebrata.* — Nam decem Provinciarum Concilia recipi a se Indicem et Constitutiones omnes Pontificias universalem disciplinam respicientes declararunt. (Vide textus supra, capite 9, § 3, propositionem 4.) Ergo et Bullam *Cœnæ* cum sua circa hæreticorum libros dispositione receperunt.

CAPUT XI.

EXPENDUNTUR QUÆSTIONES PRACTICÆ CIRCA MODUM RECTE INTELLIGENDI VARIAS INDICIS PRÆSCRIPTIONES, ET DISPOSITIONEM BULLÆ *COENÆ* QUOAD LIBROS.

Superioribus capitibus probatum est ubique, atque etiam in Gallia, plene vigere et obligatorium esse Indicem, exceptis (ut supra dictum est) paucis iis præscriptionibus, quarum observatio in nonnullis regionibus evasit physice aut moraliter impossibilis; qualis est, verbi gratia, injunctio regula decima Episcopis facta ut per se aut suos ad id delegatos, venalium librorum bibliothecas visitent, et in bibliopolas, certis in casi-

bus animadvertant pœna amissionis librorum aut aliter. Id exequi hodie in Gallia nequeunt Episcopi, cum brachii sæcularis auxilio ibi careant. Item probatum est vigere dispositionem Bullæ *Cœnæ* circa hæreticorum libros.

Superest ut præsenti capite ejusmodi ecclesiasticarum legum sensum expendamus, et difficultates practicas quæ occurri possunt enodemus. Id præstabimus sequenti paragraphorum serie.

§ I.

Quandonam vi Bullæ *Cœnæ* incurratur excommunicatio reservata?

Propositio I^a^. — *Ut incurratur excommunicatio reservata Bullæ* Cœnæ, *requiritur ut libri auctor sit hæreticus.* — Sic enim est textus Bullæ *Cœnæ* : « Excommunicamus apostatas ac alios « hæreticos.., ac eorumdem libros, hæresim continentes vel « de religione tractantes, sine auctoritate nostra et Sedis Apo- « stolicæ, scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu « quomodolibet defendentes. » Cum ibi dicatur *ac eorumdem libros,* patet non agi nisi de libris hæreticorum. Hinc sub illam excommunicationem non cadit lectio librorum, qui a non baptizatis, id est, ab infidelibus aut Judæis compositi sunt, quantumvis libri isti hæresim contineant; quia non baptizati non veniunt proprie sub nomine *hæreticorum*, de quibus solis Bulla loquitur.

Propositio II^a^. — *Dictam excommunicationem reservatam non incurrit legens scriptoris catholici librum, qui unam vel plures hæreses, ex errore auctoris provenientes, continet : secus si auctor doctrinam hæreticam tradat, non ex errore seu putando eam esse orthodoxam, sed sciens eam ab Ecclesia catholica rejici tanquam hæreticam.* — 1° Pars prior conclusionis sequitur ex eo quod Bulla *Cœnæ* non percutiat nisi libros *hæreticorum,* ex dictis sub præcedenti propositione : hæreticus autem proprie non est qui ex errore doctrinam hæreticam tradit, putans eam esse

catholicam ; sed tunc dumtaxat proprie dictus hæreticus evadit, quando sciens doctrinam hanc ab Ecclesia catholica condemnari ut hæreticam, ei nihilominus pertinaciter inhæret. (Vide apud Ferraris, v. *Libri prohibiti,* n. 28).

2° Posterior pars conclusionis sequitur ex eo quod hæreticus in stricto sensu existimandus sit, qui libro suo palam facit se scire, ab Ecclesia catholica doceri tanquam dogma de fide, idipsum quod ipse impugnat. Is enim hoc ipso sese hæreticum et quidem pertinacem manifestat. Hinc percutit Bulla *Cœnæ* totam illam colluviem librorum, ab atheis, materialistis, deistis, indifferentistis et phyrrhonistis conscriptorum, quorum auctores manifestant se scire quænam ab Ecclesia catholica doceantur tanquam de fide tenenda, et nihilominus dogmata illa impugnant. Ex istis tamen libris ii excipiendi sunt, qui ab infidelibus, id est, a non baptizatis scripti sunt ; quia, ut diximus, libri auctorum non baptizatorum sub censuram Bullæ *Cœnæ* non cadunt (confer Heymans, *de Librorum in Belgio prohibitione,* pag. 264 et 265, edit Bruxellis 1849).

Propositio III^a^. — *Excommunicatio Bullæ Cœnæ non percutit legentes libros antiquissimorum hæreticorum.* — Vide apud Lacroix, libro 7, *de Excommunicatione*, n. 333).

Propositio IV^a^. — *Ut legens librum auctoris hæretici dictam excommunicationem incurrat, sufficit librum tractare de religione* (1), *etiamsi nullum errorem contineat : item sufficit in eo contineri vel unicam hæresim, etiamsi non tractet de religione, sed de re profana, verbi gratia, de medicina.* — Sequitur ex eo quod Bulla *Cœnæ* disjunctive dicat, « hæresim continentes « *vel* de religione tractantes. » Et ita tenent doctores communiter.

Propositio V^a^. — *Dictam excommunicationem non incurrit qui ignorat librum esse auctoris hæretici : nec ille qui, etsi noverit*

(1) Censendus est *de Religione tractare* liber, si agat de Scriptura Sacra, de theologia, de jure canonico, de clericis aut regularibus, de sacris ritibus, de historia ecclesiastica : secus si agat de medicina, jure civili, et similibus (vide apud Lacroix, l. 7, n. 331).

librum esse auctoris hæretici, ignorat tamen eum de religione tractare vel hæresim continere. — Quia nempe Bulla *Cœnæ* percutit tantum « *scienter* legentes hæreticorum libros, de religione tractantes vel hæresim continentes. » Et excusat ignorantia etiam crassa. Ita doctores unanimiter (vide apud Ferraris, verbo *Libri prohibiti*, n. 30).

Propositio VI[a]. — *Ut incurratur dicta excommunicatio, requiritur ut legatur materia notabilis : quænam autem materia talis censenda sit, controvertitur.* — « Communiter doctores in « hac re admittunt dari parvitatem materiæ : discrepant vero « in assignando quænam sit materia parva. Alii... dicunt esse « paginam et quid amplius, si volumen sit ex grandioribus; « sed hoc merito (sic saltem generaliter dictum) ab aliis « rejicitur. Alii contra.. dicunt esse tantum tres vel quatuor « versus. Alii.. dicunt esse decem lineas. Alii tandem.. melius « distinguunt, et dicunt, in hoc attendendum esse finem pro- « hibitionis. Si enim aperiendo librum offendis in doctrinam, « quæ directe fidei adversetur, et legis, etiamsi paucas lineas « legas, excommunicationem non effugies; quia tunc periculo « perversionis te exponis : secus si liber hæretici ageret de re « indifferenti : tum enim legendo forte usque ad paginam, « poteris a mortali excusari, si nullam ibi advertas propo- « sitionem erroris suspectam. Cæterum incurri potest censura, « legendo solum proœmium, aut indicem libri, si in notabili « quantitate percurratur » (sanctus Ligorius, *Appendix de Prohibitione librorum*, capite 5, n. 6).

Propositio VII[a]. — *An dictam excommunicationem incurrat qui legit hæretici concionem aliamve scriptiunculam seorsim editam, controvertitur : tenenda potius sententia affirmativa.* — Qui negant, hac ratione nituntur : Bulla *Cœnæ* loquitur tantum de *libris*; perro scriptiuncula seorsim edita non venit nomine libri. Sed contrarium declaratum fuisse a Sacra Congregatione Concilii, et sequi ex ipso legis fine, vide apud Ferraris, (verbo *Libri prohibiti*, n. 35 et 36). Idem tamen Ferraris (n. 37) æstimat oppositam opinionem *non carere sua probabilitate*. Sanctus

Ligorius (Appendix *de librorum prohibitione*, c.5, n. 7) rem dubiam relinquit.

Propositio VIII[a].— *An dictam Bullæ* Cœnæ *excommunicationem incurrit qui legit hæreticorum manuscripta, disputatum quidem fuit ; sed tenenda sententia affirmativa* — Vide sanctum Ligorium, loco citato, n. 8.

Propositio IX[a]. — *An dictam excommunicationem incurrat, qui ipse quidem non legit librum auctoris hæretici, sed alium legentem audit, controvertitur.* — Vide ibidem, n. 9.

Propositio X[a]. — *Dictam Bullæ* Cœnæ *excommunicationem incurrere videtur legens librum anonymum hæreses continentem, si ex ipso libro constet auctorem scire, hæreses illas dogmati catholico adversari : secus si id non constet.* — Etenim in priori casu certum est auctorem esse proprie hæreticum. Sit in exemplum liber anonymus in quo propugnetur propositio hæc : *Doctrina Ecclesiæ catholicæ circa præsentiam realem Christi in Eucharistia, erronea est.* Sane baptizatus qui talia scribit certo hæreticus est, et suam in hæresi pertinaciam ipsemet manifestam facit. Equidem, cum liber sit anonymus, remanet dubium num forte auctor sit infidelis, id est, non baptizatus ; et (ex supra dictis) a legente librum auctoris non baptizati, quantumvis fidei catholicæ adversantem, non incurritur dicta excommunicatio. Sed ex fine legis concludendum est excommunicationem, etiam stante hoc dubio, incurri. Nam alioquin legem facile eluderent hæretici, nomen in scriptis suis tacendo. Unde censendus est legislator voluisse tales libros anonymos attingere (confer Heymans, pagina 265).

Secus autem dicendum in posteriori casu : si nempe ex ipso libro perspici nequeat, an auctor noverit libri sui hæreses dogmati catholico adversari. Fieri enim potest ut catholicus sit, et ex errore dumtaxat hæreticum quid scripserit.

Propositio XI[a]. — *Incurrunt dictam excommunicationem, non tantum ii qui hæreticorum libros, de religione tractantes vel hæresim continentes, scienter legunt, sed etiam qui eosdem libros scienter retinent, imprimunt, et quomodolibet defendunt.* — Patet

ex ipso Bullæ *Cœnæ* textu. Sed hic notandum est quinam censeri debeant *retinentes*, *imprimentes* et *defendentes*.

I. *De retinentibus.* — 1° Retentor est in sensu Bullæ, et excommunicationem incurrit, ille etiam qui librum retinet nomine alterius, verbi gratia, in deposito. Ita doctores communiter (vide S. Ligorium, in *citata Appendice*, c. 5, n. 11). 2° Item qui librum, retento dominio, alteri tenendum tradit (S. Ligorius, ibidem). 3° Item excommunicationem Bullæ *Cœnæ* incurrunt « vendentes scienter libros hæreticorum, seu « asportantes de uno in alium locum; quia isti nedum sunt « retentores, sed etiam fautores hæreticorum » (Ferraris, verbo *Libri prohibiti*, n. 46). 4° Item qui librum retinent ad confutandum; quia Bulla *Cœnæ* retentionem absolute prohibet, nisi obtineatur a Sede Apostolica facultas (Ferraris, ibid, n. 47). 5° Item qui dictos libros retinet absque animo legendi, et ad solum ornatum bibliothecæ (ibidem, n. 48). 6° Qui librum non consignant Ordinariis locorum vel inquisitoribus, sed comburunt, non sunt *retentores*, nec proinde incurrunt excommunicationem Bullæ *Cœnæ*. Peccant autem graviter sic comburentes, juxta plurium doctorum sententiam, ob violatum expressum Sedis Apostolicæ præceptum hosce libros consignandi Episcopis locorum Ordinariis, vel inquisitoribus (vide apud Ferraris, verbo *Libri prohibiti*, n. 16 et seq). 7° Dictam excommunicationem non incurrit, nec ullatenus peccat, qui hæreticorum libros, abdicato a se dominio, tradit alicui licentiam habenti; item qui eos, abdicato dominio, tradit monasteriis, in quibus adsunt facultatem legendi habentes. Solent autem in iis monasteriis ejusmodi libri in loco sequestrato reponi; qui locus *hæreticorum carcer* seu *infernus* dicitur (vide apud Ferraris, verbo *Libri prohibiti*, n. 22 et 23). Imo existimant doctores multi, melius esse, sic libros monasteriis, vel licentiam habentibus tradere, quam si inquisitoribus aut Ordinariis consignati comburerentur. Valde siquidem utile est, ad confundendos hæreticos, ut eorum libri habeantur, et a viris doctis, licentiam habentibus, legi valeant (vide apud

Ferraris, loco citato). Nec obstat expressum præceptum libros illos Ordinariis aut inquisitoribus tradendi : nam cessante adæquate fine legis, cessat lex : ratio autem ob quam injunctum fuit ut isti libri Ordinariis vel inquisitoribus traderentur, est, ne noxii forent, et ut sciant Prælati an et quales hæreticorum libri in suis diœcesibus spargantur, ac opportunis mediis obsistere valeant. Jam vero si monasteriis dicti libri tradantur noxii non erunt, quia nonnisi ab habentibus facultatem legentur. Insuper eorum monasteriorum religiosi, pro suo in rem catholicam zelo, non omittent Ordinarios et inquisitores certiores facere, de ejusmodi libris per diœcesim sparsis, quoties id opportunum erit ac utile. Proinde scopus legis prorsus attingetur. — Objicies : ergo etiam licitum cuique erit libros comburere, potiusquam Ordinario aut inquisitori tradere ; quia semel combusti nocere non poterunt, et sic finis legis attingetur. — Respondeo : non attingetur adæquate ; quia sic ignorabunt Ordinarii et inquisitores, quinam hæreticorum libri serpant et spargantur. 8° An excommunicationem incurrat qui librum alteri licentiam habenti tradit, cum expresso pacto illum repetendi, si licentiam ipse obtineat, non repetendi si non impetret ? Is adhuc retentor est : dicit tamen sanctus Ligorius (in citata *Appendice*, c. 5, n. 11) : « Hunc non auderem condemnare, quia in hoc videtur omnino « cessare periculum legendi absque dispensatione. » 9° Qui retinent librum per unum aut alterum diem, cum proposito postea tradendi, excusantur a peccato mortali, et consequenter excommunicationem non incurrunt. Ita doctores communiter (vide S. Ligorium sub finem citatæ *Appendicis ;* et apud Ferraris, verbo *Libri prohibiti*, n. 53). 10° « Item excusantur a « peccato et censura qui longiori tempore libros tales retinent, « ex eo quia non habent opportunum tempus et occasionem « illum tradendi inquisitoribus, vel habenti licentiam eos « legendi et retinendi » (Ferraris, ibidem, n. 54). Et idem tradit, loco citato, S. Ligorius.

II. *De imprimentibus.* — 1° Per *imprimentes* de quibus loqui-

tur Bulla *Cœnæ* intelligendi sunt omnes qui *proxime* ad libri impressionem concurrunt; verbi gratia, typographus aut patronus officinæ, cujus auctoritate libri typis mandantur; qui chartam præparat; qui typos ordinat; qui torcular premit, vel machinam per sese prementem movet aut regit. Ita doctores communiter (vide apud Ferraris, verbo *Libri prohibiti*, n. 58). 2° Item transcribentes libros hæreticorum, qui etiam excommunicationem incurrunt quatenus legentes et detinentes (ibidem, n. 59). 3° Qui facit expensas pro impressione excommunicationem incurrit, non quatenus impressor, sed quatenus hæreticorum fautor (Ferraris ibidem, n. 60). 4° Item corrector exemplaris impressi, excommunicationem non incurrit quatenus imprimens, sed quatenus legens; et quidem eam incurrit toties quoties legit : atque insuper eam incurrit quatenus hæreticorum fautor (ibidem, n. 61). 5° Vendentes impressoribus chartam, typos et similia, excommunicationem non incurrunt quatenus imprimentes. Imo nullatenus incurrunt si vendant negotiationis causa : secus si intenderent concurrere hæresis propagationi, quia tunc forent hæreticorum fautores (ibidem, n. 62).

III. *De defendentibus.* — Per *defendentes* de quibus in Bulla *Cœnæ*, « intelliguntur et veniunt omnes qui, quocumque præ-
« textu vel causa, librum hæretici, *quatenus talem*, defendunt
« et tuentur verbis vel factis, laudando (verbi gratia) et ex-
« tollendo talem librum, probando ea quæ in eo scripta sunt
« esse vera, abscondendo illum aut impediendo ne inquisi-
« toribus tradatur aut ne comburatur, et hujusmodi... Non
« incurrit tamen censuram si laudet stylum libri, vel inge-
« nium auctoris, vel catholicam doctrinam quæ in eo est, sed
« non quatenus in eo est, nec in ordine ad tuendum ne dam-
« netur, ne inquisitoribus tradatur aut comburatur : quia
« hæc laudat secundum se, non ut opera hæretica et auctoris
« hæretici, adeoque non defendit librum hæretici. » (Ferraris, verbo *Libri prohibiti*, n. 64 et seq.)

§ II.

De cæteris pœnis præter dictam excommunicationem Bullæ *Cœnæ*.

Cum per varia Conciliorum et Summorum Pontificum circa libros decreta, a Bulla *Cœnæ* diversa, statutæ sint variæ in contravenientes pœnæ, hic illa pœnalia decreta primo recensebimus : tum quænam revocata sint et quænam hodie vigeant exponemus.

QUÆSTIO I^a^. — *Quænam sint alia præter Bullam* Cœnæ, *Conciliaria aut Pontificia circa libros decreta, quibus pœnæ statuuntur ?* — 1° Non memorabimus antiquos canones Concilio Lateranensi V anteriores; quia pœnas quaslibet ab ipsis statutas reduxit Alexander VII, ut modo videbimus, ad pœnas in regula *decima* Indicis contentas. Unde, in quantum diversæ forent, jam non vigent.

2° In Concilio Lateranensi V, sessione 10^a^, per suam Constitutionem *Inter sollicitudines,* decrevit Leo X in hunc modum : « Nullus librum aliquem seu aliam quamcumque scripturam, « tam in urbe nostra quam aliis quibusvis civitatibus et diœ- « cesibus, imprimere seu imprimi facere præsumat, nisi prius « in Urbe per Vicarium nostrum et Sacri Palatii Magistrum, « in aliis vero civitatibus et diœcesibus per Episcopum vel « alium habentem peritiam scientiæ libri seu scripturæ hujus- « modi imprimendæ, ab eodem Episcopo ad id deputandum, « ac inquisitorem hæreticæ pravitatis, ejus civitatis sive diœ- « cesis in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, dili- « genter examinentur, et per eorum manu propria subscri- « ptionem (sub excommunicationis sententia gratis et sine « dilatione imponendam) approbentur. Qui autem secus præ- « sumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, et illo- « rum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricæ « Principis Apostolorum de Urbe sine spe remissionis solu- « tionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensio-

« nem, excommunicationis sententia innodatus existat. » (Labbe, tomo 14, col. 257, edit. Parisiis 1672.)

3° Tridentinum Concilium, sessione 4, capite 2, ita decrevit : « Nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros « de rebus sacris sine nomine auctoris ; neque illos in futu- « rum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum exa- « minati probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathe- « matis et pecuniæ in canone Concilii novissimi Lateranensis « apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem et « probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superio- « ribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta « formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos com- « municant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique « fuerint, eisdem pœnis subjaceant quibus impressores. Et « qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, « pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum « probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel « scripti, vel impressi, authentice appareat ; idque totum, id « est, probatio et examen gratis fiat. »

4° In regula *decima* Indicis hæc decernuntur : « In librorum « aliarumve scripturarum impressione servetur quod in Con- « cilio Lateranensi, sub Leone X, sessione 10, statutum est. « Quare si in alma Urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, « per vicarium Summi Pontificis et Sacri Palatii magistrum, « vel personas a Sanctissimo Domino Nostro deputandas, prius « examinetur.

« In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem « scientiam libri vel scripturæ imprimendæ, ab eodem Epi- « scopo deputandum, ac inquisitorem hæreticæ pravitatis, « ejus civitatis vel diœcesis in qua impressio fiet, ejus appro- « batio et examen pertineat ; et per eorum manum propria « subscriptione, gratis et sine dilatione imponendam, sub « pœnis et censuris in eodem decreto contentis, approbetur ; « hac lege et conditione addita, ut exemplum libri impri- « mendi authenticum, et manu auctoris subscriptum apud

« examinatorem remaneat... Ad extremum vero omnibus « fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum regula- « rum præscriptum aut hujus Indicis prohibitionem libros « aliquos legere aut habere. Quod si quis libros hæreticorum, « vel cujusvis auctoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dog- « matis suspicionem damnata atque prohibita legerit vel « habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

« Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habue- « rit, præter peccati mortalis reatum quo afficitur, judicio « Episcoporum severe puniatur. »

5° Alexander VII pœnas omnes ante ipsum statutas reduxit ad eas quæ auctoritate Pii IV, statutæ fuerant ; id est, ad eas quæ in regula *decima* Indicis exprimuntur (textum Alexandri VII jam citavimus supra, capite 10, *Prænotanda,* n. 5). Ast excepit ab ista reductione excommunicationem reservatam in Bulla *Cœnæ*.

6° Post Alexandrum VII, plures libri per Brevia seu Bullas prohibiti sunt, sub pœna excommunicationis reservatæ. De quo sic monemur in præfatione Indicis, Gregorii XVI jussu editi : « Jam vero reticendum non putamus, quod non ii dum- « taxat libri excommunicationis reservatæ pœna sunt pro- « scripti, qui ab hæreticis compositi de religione catholica ex « professo agunt hæresesque docent, quod litteris Apostolicis « die Cœnæ Domini legi solitis, et Constitutione Alexandri VII « (quæ incipit *Speculatores*) statuitur ; sed quod ii etiam fere « omnes libri hujusmodi pœna proscribuntur, qui post præ- « dictam Alexandri VII Constitutionem, editam 5 martii « anni 1664, Brevibus aut Bullis Pontificiis prohibiti indi- « cantur, ut ex ipsis Brevibus intelligi potest, ad quæ lectores « remittimus. »

Quæstio II^a. — *Quænam hodie vigeant et ipso facto incurrantur pœnæ ?* — I. Viget *excommunicatio reservata* per Bullam *Cœnæ*, de qua superiori paragrapho disseruimus. Illam enim non sustulit, sed e contra confirmavit Alexander VII.

II. Viget *excommunicatio reservata*, quam decernunt plura

Brevia post Alexandrum VII publicata, contra legentes certos libros, nominatim per eadem Brevia prohibitos. Qui autem ignorant librum aliquem sub excommunicatione reservata per aliquod ejusmodi Breve fuisse prohibitum, excommunicationem illam, librum hunc legendo, non incurrunt. Et hæc ignorantia in praxi valde frequens est.

III. Exceptis duobus præmissis casibus, hodie nullam *reservatam excommunicationem* incurrunt, qui violant leges circa librorum impressionem, lectionemve aut detentionem. Nam alias excommunicationes reservatas (si quæ antea fuerint a sacris canonibus statutæ) reduxit Alexander VII ad pœnas in regula decima Indicis expressas ; salva dumtaxat excommunicatione reservata Bullæ *Cœnæ*. Porro in regula 10ª Indicis, nulla decernitur excommunicatio *reservata*. Aliunde, nec post Alexandrum VII, ulla nova decreta est excommunicatio reservata, nisi quoad certos libros per Brevia specialia *nominatim* prohibitos. Ergo extra casum ejusmodi Brevis (post Alexandrum VII emanati, et librum aliquem sub excommunicatione reservata prohibentis) ac extra casum Bullæ *Cœnæ*, nunquam hodie incurritur excommunicatio *reservata*.

IV. Incurritur, vi regulæ decimæ Indicis, excommunicatio *non reservata* ab iis qui legunt hæreticorum libros, *si tractent de religione, vel hæresim contineant*, et etiam quoslibet alios hæreticorum libros *si non fuerint auctoritate ecclesiastica examinati et approbati*. Id quidem statim per se non patet ; sed colligendum venit ex collato textu Bullæ *Cœnæ*, regulæ secundæ, et regulæ decimæ Indicis. Nimirum regula decima sic decernit : « Si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris « scripta, ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem dam- « nata atque prohibita legerit sive habuerit, statim in excom- « municationis sententiam incurrat. »

Ibi excommunicantur qui legunt libros hæreticorum *damnatos atque prohibitos*. Porro ex libris hæreticorum alii sunt prohibiti, alii non sunt prohibiti. 1° Sunt prohibiti, per Bullam *Cœnæ*, omnes hæreticorum libri *de religione tractantes*,

etiamsi hæresim non contineant. Qui ergo tales libros legit incurrit excommunicationem *non reservatam* regulæ 10ª Indicis; et simul incurrit excommunicationem *reservatam* Bullæ *Cœnæ*. 2° Sunt etiam prohibiti per Bullam *Cœnæ* omnes hæreticorum libri aliquam *hæresim continentes,* quamvis de religione ex professo non tractent. Unde qui legunt hosce libros duplicem etiam excommunicationem incurrunt: unam reservatam, vi Bullæ *Cœnæ;* alteram non reservatam vi regulæ decimæ Indicis. 3° Sunt insuper prohibiti hæreticorum libri, etsi de religione non tractantes, nec ullam hæresim continentes, *si non fuerint auctoritate ecclesiastica examinati et approbati.* Nam regula secunda Indicis ita decernit : *Hæreticorum libri... qui de religione non tractant, a theologis catholicis jussu Episcoporum et Inquisitorum examinati et approbati permittuntur.* Proinde si non fuerint ita examinati et approbati *non permittuntur*, id est, *prohibentur*. Ergo qui tales libros non approbatos legunt, excommunicationem non reservatam regulæ decimæ Indicis incurrunt. At nullam incurrunt vi Bullæ *Cœnæ*. 4° Qui vero legunt ultime dictos hæreticorum libros, examinatos et approbatos, nullam excommunicationem incurrunt; quia isti libri *permittuntur*.

V. Incurritur, vi regulæ decimæ Indicicis, excommunicatio *non reservata*, ab iis qui legunt catholici auctoris librum, *ob hæresim* vel *ob falsi dogmatis suspicionem* prohibitum. Constat ex relatis dictæ regulæ decimæ verbis. Et notetur eum qui talem librum legit nullatenus attingi a Bulla *Cœnæ :* quia Bulla hæc percutit dumtaxat legentes librum auctoris *hæretici* Unde si auctor non sit *hæreticus*, quamvis ejus liber hæreses contineat, et prohibitus sit ob ejusmodi hæreses, legens hunc librum non incurrit excommunicationem reservatam Bullæ *Cœnæ ;* sed incurrit tantum excommunicationem *non reservatam* regulæ decimæ Indicis.

VI. Si liber auctoris non hæretici prohibitus sit ob aliam causam, quam *ob hæresim* vel *ob falsi dogmatis suspicionem* (verbi gratia si prohibitus sit eo quod obscœna contineat), qui

eum legit nullam excommunicationem incurrit. Constat ex citatis ultimis verbis regulæ decimæ Indicis. Excipiendus tamen casus, quo exstaret aliquod Breve, post Alexandrum VII editum et librum hunc nominatim sub excommunicatione prohibens.

Quæstio III[a]. — *An hodie vigentes, et num potius sublatæ ab Alexandro VII censendæ sint, tum excommunicatio non reservata, tum aliæ pœnæ, in Lateranensi et Tridentino decreto statutæ, contra eos qui libros absque requisita licentia imprimunt?* — I. Hujusce difficultatis solutio tota pendet ab hac quæstione : An regula decima Indicis retinuerit necne dicta decreta *quoad pœnas in eis expressas?* Nam Alexander VII anteriores pœnas (excepta sola excommunicatione reservata Bullæ *Cœnæ*) reduxit ad eas quæ in regula decima Indicis decernuntur. Ergo si decima Indicis regula servari præcipiat Lateranense et Tridentinum decretum, *etiam quoad pœnalitatem,* dicendum erit vigere pœnas utriusque hujus decreti : secus autem, si decima regula expresse aut æquivalenter dictam pœnalitatem non confirmet.

II. Confirmari per regulam decimam Lateranense decretum, etiam quoad pœnalitatem, evincere videntur verba hæc initio ejusdem regulæ posita : *In librorum aliarumve scripturarum impressione, servetur quod in Concilio Lateranensi sub Leone X statutum est.* Quando dicitur simpliciter et sine restrictione *servandum esse* aliquod decretum, id sonat servandum esse decretum illud tale quale, seu quoad omnes ejus partes : ergo et quoad pœnas ab eodem decreto statutas.

Nec obstat ejusdem regulæ decimæ conclusio, quæ sic se habet : *Ad extremum vero omnibus fidelibus præcipitur ne quis audeat contra harum regularum præscriptum, aut hujus Indicis prohibitionem, libros aliquos legere aut habere. Quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, præter*

peccati mortalis reatum quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.

Determinant quidem verba hæc pœnas ipso facto incurrendas *a legentibus et habentibus* prohibitos libros, et eas pœnas reducunt ad excommunicationem non reservatam, in eos qui legunt libros hæreticorum, necnon libros ob hæresim aut falsi dogmatis suspicionem interdictos : sed nihil dicunt de *imprimentibus libros absque prævia licentia.* Quoad hos dictum fuerat initio regulæ, *servetur* Lateranense decretum; quæ verba, nisi restringantur, involvunt pœnalitatis in Lateranensi decreto statutæ conservationem. Porro transcripta regulæ decimæ conclusio dicta verba non restringit, cum non loquatur de *imprimentibus* absque licentia, sed tantum de legentibus et habentibus libros. Et aliunde in aliis regulæ decimæ partibus nullum ego video ejusmodi restrictionis signum. Hinc,

III. Adhuc hodie videtur incurri excommunicatio (non reservata) ab eo qui librum aut aliam quamcumque scripturam imprimit aut imprimere facit, absque prævia licentia Episcopi illius diœcesis, in qua impressio peragitur. Eo quod nempe excommunicatio hæc, in Lateranansi decreto statuta, confirmata sit per regulam decimam Indicis ; ac proinde sublata non sit per reductionem antiquarum pœnarum (ab Alexandro VII factam) ad pœnas in dicta regula decima contentas.

IV. Aliæ pœnæ in Lateranensi decreto statutæ (nempe librorum absque licentia impressorum amissio et publica combustio, centum ducatorum mulcta, et suspensio per annum exercitii impressionis) non videntur incurri in iis regionibus, in quibus Ecclesia brachii sæcularis auxilio caret. Nam verba decreti supponunt pœnas istas posse ab ecclesiastica potestate coercitive ad effectum deduci. Proinde videntur prolata dumtaxat in hypothesi quod Ecclesia brachii sæcularis auxilio non destituatur.

Hinc qui librum hodie in Gallia absque requisita licentia imprimeret, peccaret quidem graviter, et dictam excommunicationem non reservatam incurreret : at non teneretur

impressa exemplaria publice comburere, nec dictam mulctam solvere, nec per annum ab arte impressoria cessare. Videntur enim ejusmodi pœnæ decretæ, quatenus ab auctoritate publica exequendæ, non ab ipsomet reo.

V. Excommunicatio non reservata, quam incurrunt qui libros absque requisita licentia imprimunt aut imprimere faciunt, non attingit librorum sic impressorum lectores aut detentores. Excommuuicantur enim sic imprimentes aut imprimere facientes, non autem libros sic impressos legentes aut habentes (confer Heymans, *de Librorum in Belgio prohibitione*, pagina 186 et 187). Imo nec prohiberi *ex hoc solo capite* ejusmodi librorum lectionem, infra videbimus.

§ III.

Enumerantur variæ species librorum, qui sunt prohibiti, quamvis designati non reperiantur in secunda parte Indicis, id est, in catalogo librorum nominatim prohibitorum.

Jam supra, capite 6, propositione 4, falsam probavimus opinionem eorum qui putarunt, prohibitos non effici libros per solas generales regulas Indicis, sed tunc dumtaxat quando *nominatim* proscribuntur, et in eam partem Indicis inseruntur, quæ libros *nominatim* prohibitos enumerat. Certum nempe est atque tenendum, de prohibitorum numero esse libros omnes, qui pertinent ad varias species in generalibus Indicis regulis proscriptas. Quænam autem sint istæ species, et num certi quidam libri ad eas pertineant necne, sub præsenti paragrapho expendendum venit.

Propositio I^a^. — *Prohibiti remanent libri omnes qui ante annum* 1515 *a Summis Pontificibus aut Conciliis œcumenicis prohibiti fuerunt.* — Constat regula 1 Indicis, qua ejusmodi anteriores librorum proscriptiones confirmantur.

Propositio II^a^. — *Hæresiarcharum libri omnes, quæcumque sit materia de qua tractent, sunt prohibiti.* — Constat regula 2 Indicis. Hinc tractatus etiam *matheseos*, ab hæresiarcha con-

scriptus, et in quo nihil occurit catholicæ religioni contrarium, est certo prohibitus. Cujus prohibitionis (quæ *in odium auctoris* dicitur) scopus est, ne fideles, libros hæresiarcharum de se bonos legendo, ad legenda eorumdem perfida scripta, cum summo fidei discrimine alliciantur.

Propositiò IIIª. — *Hæreticorum libri, de religione ex professo tractantes, sunt prohibiti.* — Eos enim expresse prohibet Bulla *Cœnæ*, et quidem sub excommunicatione reservata, ut supra vidimus. Præterea eos prohibet regula secunda Indicis per hæc verba : *Hæreticorum libri qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.* Insuper eos etiam prohibet regula decima Indicis. Nam regula illa prohibet sub excommunicatione non reservata *libros hæreticorum vel cujusvis auctoris scripta ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita.* Porro de hoc numero sunt *libri hæreticorum de religione tractantes.*

Propositio IVª. — *Hæreticorum libri de religione non tractantes, sed vel unicam hæresim continentes, sunt prohibiti.* — 1° Expresse per Bullam *Cœnæ*, et quidem sub excommunicatione reservata, ut superiori paragrapho vidimus. 2° Per regulam decimam Indicis sub excommunicatione non reservata, ut constat ex modo relatis hujus regulæ verbis.

Propositio Vª. — *Hæreticorum libri, etiamsi de religione non tractent nec ullam hæresim contineant, sunt prohibiti, nisi Ordinariorum auctoritate fuerint examinati et approbati.*—Nam regula secunda Indicis de omnibus hæreticorum libris de religione non tractantibus, dicit, eos *permitti*, si fuerint *a theologis catholicis, jussu Episcoporum et Inquisitorum examinati et approbati.* Hoc ipso autem eadem regula prohibitos decernit libros hæreticorum omnes de religione non tractantes (ac proinde illos etiam qui nullam hæresim continent) si non fuerint dicto modo examinati et approbati.

Propositio VIª. — *Liber auctoris qui fuit catholicus quando illum scripsit, sed qui ante vel postea fuit hæreticus, est prohibitus : potest tamen permitti si fuerit ab aliqua universitate*

catholica, vel Inquisitione generali approbatus. — Constat ex regula secunda Indicis.

Propositio VII[a]. — *Versiones Veteris Testamenti, in alia quam vulgari lingua, et a Vulgata diversæ, ita sunt prohibitæ, ut possit tamen doctis et piis earum lectio ab Episcopis permitti, etiamsi versiones illæ ab hæreticis factæ fuerint.* — Sic enim habet regula secunda Indicis : « Librorum autem Veteris Tes- « tamenti versiones, viris tantum doctis et piis, judicio Epis- « copi concedi poterunt ; modo hujusmodi versionibus, tan- « quam elucidationibus Vulgatæ editionis ad intelligendam « Sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu, « utantur. » Ibi agitur de versionibus a Vulgata diversis, ut patet. At non agitur de versionibus in lingua vulgari ; quia de iis expresse et aliter statuitur regula quarta. Quod autem verba hæc includant etiam ejusmodi versiones ab hæreticis compositas, patet, tum ex eo quod generalia sint, tum ex oppositione cum phrasi sequenti, in qua dicitur, *versiones vero Novi Testamenti ab auctoribus primæ classis hujus Indicis factæ nemini concedantur.* Quod autem circa ejusmodi versiones Veteris Testamenti statuitur, idipsum, sub finem secundæ regulæ, applicatur illi versioni totius Bibliæ, quæ *Biblia Vatabli* vulgo dicitur ; itemque Bibliæ Isidori Clarii Brixiani, si ab ea auferantur prologus et prolegomena. Si tamen dictæ versiones fuerint *hæreticorum opera impressæ*, cadunt sub aliam prohibitionem, de qua infra, propositione 10.

Propositio VIII[a], — *Aliæ, præter Vulgatam Novi Testamenti versiones, esti in alia quam vulgari lingua, sunt prohibitæ si auctores habeant hæreticos : secus, si a catholicis factæ sint.* — Constat his regulæ secundæ verbis : « Versiones vero Novi « Testamenti ab auctoribus primæ classis hujus Indicis factæ « nemini concedantur. » Auctores primæ classis sunt hæresiarchæ et alii hæretici. Unde ibi agitur de Novi Testamenti versionibus quæ auctores hæreticos habent. Non autem agitur de solis versionibus in lingua vulgari ; tum quia de istis specialiter disponitur regula quarta ; tum quia verba generalia

sunt, ac proinde versiones etiam latinas comprehendunt. Sed neque agitur de Vulgata, cum agatur de versionibus auctores hæreticos habentibus. Tandem ex eo quod prohibeantur ejusmodi latinæ versiones, *ab auctoribus hæreticis factæ*, sequitur permitti eas quæ auctores habent catholicos. .

Propositio IX[a]. — *Sacræ Scripturæ versiones in lingua vulgari, si non fuerint a Sede Apostolica approbatæ aut habeant adnotationes ex sanctis Patribus vel catholicis doctoribus desumptas, ita sunt prohibitæ ut legi aut retineri nequeant absque obtenta licentia: licentiam autem illam dare nequeunt jure ordinario Episcopi quoad diœcesanos, nec Prælati regulares quoad subditos suos: at si versiones vernaculæ ab Apostolica Sede approbatæ fuerint, vel cum dictis annotationibus editæ, non videtur necessaria ulla licentia, ut legi ac retineri licite possint.* — Antequam triplicem conclusionis partem probemus, prænotabimus quid variis temporibus circa ejusmodi Sacræ Scripturæ in linguam vulgarem versiones statutum fuerit.

1° Per regulam quartam Indicis, generatim et sine ulla exceptione prohibitum est, ne absque licentia versiones istæ legerentur aut haberentur. Et vi ejusdem regulæ potuit licentia hæc concedi tum ab Episcopo, tum ab inquisitore, cum consilio parochi vel confessarii. En verba ipsa : « Cum expe-
« rimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua pas-
« sim sine discrimine permittantur, plus inde (ob hominum
« temeritatem) detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte
« judicio Episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio pa-
« rochi vel confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus ver-
« sorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint,
« quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed
« fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facul-
« tatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate
« ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordi-
« nario redditis, peccatorum absolutionem percipere non
« possit. » Poterat ergo primum quilibet Episcopus dictam licentiam concedere, non generalem seu toti diœcesi, sed

singulis personis, cum parochi aut confessarii consilio. At

2° « In concedenda ejusmodi licentia paulatim remissius « agi cœptum est; ita ut necessaria diligentia ac prudentia « Episcopi et inquisitores hac in re passim non uterentur. « Videns ergo Sixtus V id in animarum perniciem cedere, « Sacræ Congregationi Sancti Officii jussit, ut hasce licentias « sibi reservaret. Postmodum Clemens VIII, ne, ex eo quod « regula quarta in nova Indicis editione reimprimeretur, « putarent Episcopi et inquisitores sibi reddi potestatem di- « ctas facultates concedendi, eos monuit haud ita esse; sed « in suo robore remanere præfatam reservationem » (Zaccaria, *Storia polemica,* libro 2, dissert. 3, parte 2, cap. 1, n. 9). Habetur declaratio hæc Clementis VIII, in illa Indicis parte quæ inscribitur, *observationes ad regulam quartam et nonam, Clementis Papæ VIII jussu editæ,* estque tenoris sequentis:

« Animadvertendum est circa suprascriptam quartam re- « gulam Indicis..., nullam per hanc impressionem et editio- « nem (1) de novo tribui facultatem Episcopis vel inquisito- « ribus aut regularium superioribus, concedendi licentiam « emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, « cum hactenus, mandato et usu sanctæ romanæ et univer- « salis Inquisitionis, sublata eis fuerit facultas concedendi « hujusmodi licentias legendi vel retinendi Biblia vulgaria, « aut alias Sacræ Scripturæ tam Novi quam Veteris Testa- « menti partes, quamvis vulgari lingua editas. »

3° Sub Benedicto XIV, anno 1757, decreto Sacræ Congregationis Indicis, ad præmissam Clementis VIII declarationem adnexa est sequens additio:

« Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua « fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum an- « notationibus desumptis ex sanctis Patribus vel ex doctis « catholicisque viris, *concedantur.* » Valde attendenda est

(1) Id est, per novam editionem Indicis quam ille Pontifex publicabat, et in qua reponebatur regula quarta sine ulla mutatione : ex quo nonnulli contendere potuissent reddi Episcopis dictam potestatem, quæ eis oblata fuerat.

additio hæc. Antea enim omnes generatim et sine exceptione versiones vernaculæ prohibebantur, nec poterant legi sine licentia. In hac autem additione, de versionibus *a Sede Apostolica approbatis*, vel dictas *annotationes*, *habentibus* dicitur eas *concedi*.

4° Tandem in monito Sacræ Congregationis Indicis, 7 januarii 1836, generalibus Indicis regulis adnexo, sic habetur: « Censuit eadem Sacra Congregatio, revocanda iterum esse « in omnium memoriam, quæ alias decreta sunt, vernaculas « nimirum Bibliorum versiones non esse permittendas, nisi « *quæ fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum ad-* « *notationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex* « *doctis catholicisque viris* (ex decreto S. Congregationis Indi- « cis, 15 junii 1757, in addit. ad reg. Indicis): iis præterea « omnino insistendum quæ per regulam quartam Indicis, et « deinceps ex mandato S. M. Clementis VIII, in eam causam « præstituta sunt. »

Hisce prænotatis, ad positæ conclusionis probationem gressum faciamus.

Probatur prima pars. — Nimirum ita prohibitas esse versiones in lingua vulgari, ut nequeant licite legi ac retineri absque licentia; saltem si agatur de versionibus quæ non fuerunt a Sede Apostolica approbatæ, nec habent annotationes ex sanctis Patribus vel catholicis doctoribus desumptas. Nam regula quarta, modo transcripta, omnes generatim in vulgari lingua versiones prohibet absque obtenta licentia, ut patet ex ipsius tenore. Ab ista quidem generali prohibitione videntur excipiendæ vernaculæ versiones a Sede Apostolica approbatæ vel cum dictis annotationibus editæ, ut infra dicimus. At cæteræ saltem sub regulæ quartæ prohibitione comprehenduntur.

Probatur secunda pars. — Nimirum ejusmodi licentiam dari non posse ab Episcopis et Prælatis regularibus. Equidem vi regulæ quartæ licentiam illam dare poterat jure ordinario Episcopus diœcesanis suis, et Prælatus regularis suis subditis. Sed potestas hæc fuit eis ablata, ut patet ex modo transcripta

Clementis VIII declaratione. Ergo carent potestate ejusmodi licentias concedendi.

PROBATUR TERTIA PARS. — Nimirum haud necessariam esse ullam licentiam ad legendas vernaculas versiones quæ fuerunt a Sede Apostolica approbatæ, vel cum supradictis annotationibus editæ. Nam in supratranscripto decreto anni 1757 de istis versionibus expresse dicitur, *conceduntur*. Porro dum dicitur de libris, *conceduntur*, seu (quod idem est) *permittuntur*, id sonare videtur posse legi ac retineri libros istos absque ulla licentia.

Fateor tamen mihi difficultatem facere supratranscriptum monitum anni 1836, in quo dicitur « *non permittendas esse* ver- « naculas versiones nisi quæ fuerint ab Apostolica Sede ap- « probatæ, aut editæ cum adnotationibus, etc. » Nam hic loquendi modus aliquatenus supponere videtur necessariam esse permissionem, etiam quoad versiones a Sede Apostolica approbatas aut cum dictis annotationibus editas. Ob istam difficultatem, quam doctioribus enucleandam relinquo, tertiam conclusionis partem non asserui absolute, sed dixi *videtur*.

PROPOSITIO X^a. — *Prohibita sunt Biblia Sacra hæreticorum opera impressa, vel eorumdem annotationibus, argumentis, summariis, scholiis et indicibus aucta.* — Id decernitur in ea parte Indicis quæ inscribitur, *Decreta de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis*, § 1. Hæc autem dispositio non derogat regulæ secundæ, seu præsens propositio non contradicit propositioni septimæ, in qua diximus ab Episcopis permitti posse latinas versiones Veteris Testamenti, ab hæreticis factas. Nam in modo citato decreto, prohibentur dumtaxat « *Biblia Sacra* « *hæreticorum opera impressa*, vel eorumdem annotationibus, « argumentis, summariis, scholiis et indicibus aucta. » Si ergo versiones Veteris Testamenti, ab hæreticis factæ, non sint *impressæ hæreticorum opera* (1), et præfata addimenta non habeant, non cadunt sub dicti decreti prohibitionem.

(1) Fieri potest, verbi gratia, ut versio alicujus hæretici denuo edatur a catholicis. Tunc autem non imprimeretur ***hæreticorum opera***.

Propositio XI[a]. — *Certum non videtur prohibitos hodie esse, vi regulæ sextæ Indicis, libros vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et hæreticos.* — Nam regula ista loquitur relative ad tempus in quo scribebatur. Sic nempe habet : « Libri « vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et hæreticos *nostri temporis* disserentes, non passim permittantur; « sed idem de iis servetur quod de Bibliis vulgari lingua « scriptis statutum est. » Verba hæc *nostri temporis* innuere videntur ejusmodi statutum transitorium fuisse, utpote ad controversias quæ tunc temporis agitabantur relativum. Si tamen aliter Sacra Congregatio Indicis aut doctores catholici sentiant (quod ignoro) hanc meam interpretationem prorsus desero.

Propositio XII[a]. — « *Libri qui res lascivas seu obscœnas ex « professo tractant, narrant aut docent, omnino prohibentur. « Antiqui vero ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam « et proprietatem, permittuntur; nulla tamen ratione pueris præ- « legendi sunt.* » Sunt ipsamet verba regulæ septimæ Indicis. Dum autem ibi dicitur *permitti* ethnicorum libros, res lascivas ex professo tractantes, intellige *de jure positivo*. Nam iis omnibus quibus occasio proxima peccandi esse possent, *jure naturali* prohibiti remanent.

Propositio XIII[a]. — *Libri qui obcœna per transennam continent, sed de iis ex professo non tractant, non sunt jure positivo prohibiti.* — Sequitur ex eo quod regula septima Indicis prohibeat tantum libros de ejusmodi obscœnis *ex professo* agentes. At contingere potest ut liber obscœna continens, non tamen de iis *ex professo* tractans, sit *de jure naturali* prohibitus quoad certas personas; quoad eas nempe quibus foret occasio proxima peccandi.

Propositio XIV[a]. — *Libri qui vocantur* Romans, *necnon diariorum pagellæ (les feuilletons), si in tractandis, narrandisve aut docendis obscœnis præcipue versentur, sub regulæ septimæ prohibitionem certo cadunt.* — Nam tunc de obscœnis *ex professo* agere scripta ista censenda sunt.

PROPOSITIO XV[a]. — *Libri omnes, sortilegia seu divinatoriam artem tradentes, sunt prohibiti.* — Nimirum per regulam nonam Indicis, et per Constitutionem Sixti V, nonis januarii 1585.

PROPOSITIO XVI[a]. — *Libri certa lingua initio editi, et prohibiti, eodem modo prohibiti censendi sunt in quamcumque linguam postea vertantur.* — Constat ea parte Indicis quæ inscribitur *instructio Clementis VIII*, sub titulo *de Prohibitione librorum*, § 6. Item ex monito 4 martii 1828, quod habetur post regulas Indicis, sub finem.

PROPOSITIO XVII[a]. — *Prohibiti sunt* « *de sanctis Petro et* « *Paulo libri omnes, tam impressi quam manuscripti, in quibus* « *asseritur et defenditur, quod S. Petrus et S. Paulus sunt duo* « *Ecclesiæ principes qui unicum efficiunt: vel sunt duo Ecclesiæ* « *catholicæ coryphæi ac supremi duces, summa inter se unitate* « *conjuncti: vel sunt genuinus universalis Ecclesiæ vertex, qui in* « *unum divinissime coaluerunt: vel sunt duo Ecclesiæ Summi* « *Pastores ac præsides, qui unicum caput constituunt; atque ita* « *explicantur, ut ponatur omnimoda æqualitas inter S. Petrum* « *et S. Paulum, sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in* « *potestate suprema universalis Ecclesiæ.* » — Ita in ea parte Indicis quæ inscribitur, *Decreta de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis*, § 4, n. 11.

PROPOSITIO XVIII[a]. — *Prohibita sunt* « *Missalis Romani om-* « *nia exemplaria alterata post edictum Pii V.* » — Vide inter citata decreta, § 4, n, 4.

PROPOSITIO XIX[a]. — *Prohibitæ sunt* « *Rituali Romano addi-* « *tiones omnes factæ aut faciendæ post reformationem Pauli V,* « *sine approbatione Sacræ Congregationis Rituum.* » — Ibidem, § 4, n. 7.

PROPOSITIO XX[a]. — *Prohibitæ* « *Litaniæ omnes, præter anti-* « *quissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontifi-* « *calibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata* « *Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent.* » — Ibidem, § 4, n. 3. Clemens VIII Constitutione *Sanctissimus*, oc-

tavo idus septembris 1601, prohibuerat tantum ne quis, absque licentia Sacræ Rituum Congregationis alias Litanias *in publicum edere, aut publice recitare* præsumeret, præter eas quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, necnon solitas Litanias Beatissimæ Virginis (vide apud Ferraris, verbo *Litaniæ*, n. 11). Sed in citato decreto absolute prohibitio decernitur. Unde idem quoad istas Litanias prohibitas currit jus ac quoad libros prohibitos ; ac proinde non tantum licite nequeunt in publicum edi aut publice recitari, sed neque privatim legi aut retineri.

Propositio XXI[a]. — *A prædicta prohibitione excipi Litanias sanctissimi nominis Jesu, affirmant doctores communiter (testante Lucio Ferraris); sed in contrarium facere videntur plures Sacræ Rituum Congregationis decisiones.* — In Gallia et pluribus aliis regionibus universaliter viget consuetudo Litanias Sanctissimi Nominis Jesu recitandi ; immo et in euchologiis seu precum formulis, ad usum fidelium cum Ordinariorum approbatione editis, Litaniæ istæ imprimi solent. Hinc non parum mirationis, ne dicam offensionis, apud dictarum regionum fideles atque ipsum clerum excitari solet, quando asseritur ejusmodi Litaniarum prohibitio. Abs re igitur non erit de quæstione illa nonnihil attingere. Referemus 1° quid doceat Ferraris : 2° transcribemus Sixti V Constitutionem, qua trecentorum dierum indulgentia Litanias sanctissimi nominis Jesu recitantibus conceditur : 3° præcipuas colligemus Sacræ Rituum Congregationis hac de re declarationes.

I. *Quid doceat Ferraris.* — Sic habet, verbo *Litaniæ*, n. 9 : « Litaniæ sanctissimi nominis Jesu sunt illæ, quæ continent « varia attributa et encomia ipsius sanctissimi nominis Jesu, « ad similitudinem Litaniarum Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ; quæ cum recitantur, cuilibet ex ipsis respondetur *Miserere nobis.*

« Dubitarunt *aliqui* ex scriptoribus, an hæc Litaniæ sint censendæ prohibitæ, attenta Constitutione 122 Clementis VIII, « incipiente *Sanctissimus*, et declaratione Sacræ Congregationis

« Rituum (in *Alexandrina*, 15 maii 1608, infra adducenda), « in qua conceditur recitari solas litanias sanctorum, et alias « Beatissimæ Virginis Mariæ Laureti recitari solitas.

« At nihilominus affirmant *omnes communiter*, tales sanc- « tissimi nominis Jesu litanias *esse approbatas a Sede Apostolica*, « ac per consequens non includi in prohibitione generali « Clementis VIII, et Sacræ Congregationis Rituum 15 maii « 1608 ; quia videntur solum loqui de litaniis à Sede Apos- « tolica alias non approbatis. Sixtus enim V, Constitutione in- « cipiente *Reddituri* (in Bullario Rodriguez tomo 2, inter Bullas « Sixti n. 26), ad instantiam patrum Carmelitarum discal- « ceatorum concessit trecentos dies indulgentiæ recitantibus « dictas litanias sanctissimi nominis Jesu ; quod satis indicat « tales litanias esse a Sede Apostolica approbatas, et posse « ab omni fideli absque scrupulo recitari. Gobat (in *Quinario*, « tract. 4, n. 602), Lezana (in *Summa*, verbo *Litaniæ*, n. 5), « Quarti (in *Appendice de litaniis sanctorum*, sect. 1, puncto 1), « Clericati (*Spighe raccolte*, verbo *Litaniæ*, n. 222), et alii pas- « sim. »

II. *Constitutio* REDDITURI *Sixti V.* — Constitutionem illam non inveni in Bullario Romano : sed in extenso eam refert Emmanuel Rodericus in opere suo inscripto, *Nova collectio et compilatio privilegiorum Apostolicorum regularium mendicantium et non mendicantium*, tomo secundo, inter Bullas Sixti V numero vigesimo sexto, pagina 464, edit. Antuerpiæ 1623. Est autem Bulla hæc tenoris sequentis :

« Sixtus Papa V ad perpetuam rei memoriam. Reddituri « de commisso nobis grege Dominico in extremo judicio ra- « tionem, summis, ut tenemur, affectibus singulos Christi « fideles, quos hostis humani generis a justitiæ limitibus « sæpe divertit, nostro piissimo Redemptori ab omni labe « mundatos restituere, eosque sibi acceptabiles et bonorum « efficere cupimus sectatores, ut per grata et accepta Deo « opera, illius qui misericordiarum Pater est gratiam et mise- « ricordiam valeant facilius reperire, et nos in ipsa ratione

« reddenda divinæ justitiæ possimus evadere ultionem. Cum « itaque (sicut accepimus) dilecti filii fratres ordinis gloriosis- « simæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ de monte Car- « meli Congregationis discalceatorum, mentes Christi fidelium, « in his quæ ad fidem et sanctissimorum sacramentorum « usum et frequentiam spectant, præsertim degentium in par- « tibus vicinis hæreticorum, confirmare et consolidare, ac « singulis quintis feriis festo novem lectionum vacantibus « missam de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, vel de « festo, aut feria celebrare solent : nos hanc cœptam lauda- « bilem et salutiferam consuetudinem Apostolica auctoritate, « tenore præsentium approbantes et confirmantes, monemus « et hortamur in Domino fratres discalceatos prædictos, ut « ubique, præsertim in partibus vicinis dictorum hæretico- « rum et in Indiis eamdem consuetudinem prosequentes, suis « prædicationibus populos ad fidem devotionem et frequen- « tem usum hujus Sacramenti allicere et invitare diligenter « curent.

« Ut autem fratres prædicti libentius præmissa peragant, « et Christi fideles illis intersint, quo ex dono cœlestis gratiæ « conspexerint se uberius esse refectos, de Omnipotentis Dei « misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus « auctoritate confisi, fratribus discalceatis, et Christi fidelibus « prædictis, qui in illorum ecclesiis et præfatis quintis feriis « missæ, centum ; qui vero prædicationi aut lectioni verbi Dei « interfuerint, alios centum ; necnon qui ad orandum acces- « serint interim, quinquaginta dies ; qui denique confessi « eo die ibi communicaverint, tres annos et totidem quadra- « genas, de eis injunctis seu alias quomodolibet debitis pœ- « nitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

« Et quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos opor- « teat salvos fieri nisi nomen Jesu, idcirco omnibus et sin- « gulis Christi fidelibus qui hoc modo salutaverint alios, « nempe suo vulgari, seu latino, sermone, *Laudetur Jesus* « *Christus*, et his qui sic responderint, *In sæcula*, vel *Amen*,

« aut *Semper*, utrisque tam salutantibus quam respondentibus « quinquaginta, ubicumque id factum fuerit: qui autem nomen « Jesu ore nominaverint reverenter, vel nomen Mariæ, vi- « ginti quinque dies; qui vero in mortis articulo ore vel « corde (si ore non potuerint) idem nomen invocaverint, « dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi vel « nominandi idem nomen Jesu, plenariam omnium peccato- « rum indulgentiam et remissionem.

« *Quique litanias ejusdem sanctissimi nominis recitaverint,* « *trecentos; qui litanias ejusdem Beatæ Virginis Mariæ, ducen-* « *tos...* (1), *auctoritate et tenore præmissis concedimus et elar-* « *gimur. Volumus autem ut prædictæ litaniæ nominis Jesu et* « *Beatæ Mariæ, juxta morem et consuetudinem in Romana Curia,* « *et domo Beatæ Mariæ Virginis usitatum recitentur; quod indul-* « *tum extendatur etiam ad Indos, ubi est eadem necessitas.* De- « cernentes præsentes litteras nullo unquam tempore per « quascumque alias litteras Apostolicas revocari, suspendi, « aut limitari, seu illis derogari posse. Et si illis aliquando « derogari aut suspendi, vel revocari aut limitari contigerit « in genere vel in specie, statim in pristinum et eum, in « quo antea præmissa erant statum, restitutas, repositas et « plenarie reintegratas esse et censeri debere : revocatio- « nibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut « aliis in contrarium facientibus quibuscumque non obstanti- « bus. Cæterum, quia difficile foret præsentes litteras ad « singula quæque loca deferri, volumus et similiter dicta « auctoritate decerminus, quod præsentium transumptis, « etiam impressis et manu alicujus notarii publici subscriptis « et sigillo dicti ordinis, seu alicujus personæ in dignitate « ecclesiastica constitutæ communitis, eadem prorsus fides, « tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quæ præsen-

(1) Pauca verba ibi prætermisi, sed quæ nihil ad rem faciunt. Primo enim transcribere dumtaxat volueram aliqua tantum hujus Bullæ verba. Postea vero integram transcribendam duxi : sed ex inadvertentia dicta verba omisi; et jam opus præ manibus non habeo.

« tibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum « Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 11 « julii, millesimo quingentesimo octogesimo septimo, Pontifi- « catus nostri anno 3. »

III. *Præcipuæ decisiones Sacræ Congregationis Rituum circa litanias sanctissimi nominis Jesu.* — « Congregatio missionis, « exhibens quasdam litanias compositas in honorem nominis « Jesu, supplicavit illas approbari, et concedi licentiam illas « passim recitandi. Et Sacra Congregatio respondit : Non licere « alias litanias recitare, nisi jam approbatas a Sede Apostolica, « et impressas in Breviario Romano. Die 31 martii 1640 » (apud Gardellini, editione 1824, n. 1065).

« *Parisiensis.* — Cum ex antiqua consuetudine in ecclesia « Parisiensi passim recitentur et impressæ post breviaria « publice venales habeantur litaniæ nominis Jesu, supplica- « runt sacerdotes missionarii pro illarum approbatione. Et « S. Congregatio, antiquis decretis inhærendo, et præsertim « decreto sanctæ memoriæ Clementis VIII, abnuit ; cum « Ecclesia non consueverit approbare alias litanias, quam « communes sanctorum, et Sanctæ Mariæ Lauretanæ. Die 16 « Augusti 1642 » (Gardellini, editione 1824, n. 1263).

« *Germaniæ.* — Hactenus ab immemorabili tempore in tota « Germania multi principes et Episcopi, per litteras deman- « dantes et ad Sacram Rituum Congregationem transmissas, « exposuerunt, quod frequentissimus usus et maxime devotio « populi fuit, ut tam in privatis orationibus domi, quam in « publicis processionibus et conventibus, sive in plateis, sive « in ecclesiis, *præter litanias omnium sanctorum et Lauretanas*, « etiam pie recitarentur *infrascriptæ litaniæ de sanctissimo* « *nomine Jesu*, quæ typis latine et Germanice in omnium « manibus versantur, et jam ante 40 annos, in fassiculo qua- « rumdam litaniarum, ad instantiam serenissimi Guglielmi « ducis Bavariæ, a Sede Apostolica approbatæ fuerunt. Ve- « rum quia nonnulli sæculares et etiam regulares per Germa- « niam ediderunt, Romæ has litanias esse prohibitas, ac

« proinde incredibile scandalum oriatur non modo apud « catholicos erga has litanias summe affectos, sed multo magis « apud hæreticos, qui pessime hac de re loquuntur ; ideo ii- « dem principes et Episcopi devovent et execrantur, ut huic « tanto scandalo occurratur ; supplicantes eidem Sanctitati « Suæ, ut *has litanias de nomine Jesu* auctoritate Apostolica « non solum confirmare, sed per publicum edictum toti « christianitati, hoc calamitosissimo tempore, singulariter « commendare dignaretur.

« Eminentissimi Patres sacris Ritibus præpositi, re mature « considerata censuerunt, *litanias prædictas esse approbandas*, « *si Sanctitati hæc placuerit*. Die 14 aprilis 1646. Litaniæ vero « asservantur in Archivio Congregationis. » (Gardellini, editione 1824, n. 1405).

« Curentque Ordinarii colligere et vetare formulas quas- « cumque tam impressas quam manuscriptas litaniarum de « quarum approbatione non constat. » (Decretum generale, 3 aprilis 1821, ad dubium 8. Apud Gardellini, editione 1826, n. 4428).

« Precibus monialium Sanctissimæ Conceptionis pro appro- « batione litaniarum Jesu, quas adhuc canere consueverunt « ante imaginem Sanctissimi Crucifixi ab antiquo tempore in « earum ecclesia asservatam, Sacra Congregatio respondit : « Obstare decreta sanctissimæ Inquisitionis id expresse pro- « hibentia. Die 23 decembris 1662. » (Gardellini, editione 1826, n. 2050).

Tandem, anno 1850, inter plura dubia e diœcesi Rupellensi ad Sacram Congregationem transmissa, propositum fuit et istud : *Litaniæ sanctissimi nominis Jesu suntne approbatæ, indulgentiisque ditatæ ?* Ad quod Sacra Congregatio die 7 septembris 1850 respondit : *Negative in omnibus* (vide *Revue Théologique*, 5e série, pag. 101).

Nota. — Hisce præallatis documentis, ab omni conclusione, nonnullis de causis, abstinebo. Pauca dumtaxat adnotabo : 1° versatur difficultas circa illam quæstionem, an litaniæ sanc-

tissimi nominis Jesu *fuerint necne approbatæ*, tum per Constitutionem *Reddituri* Sixti V, tum per citatam declarationem Sacræ Congregationis 14 aprilis 1646 in causa *Germaniæ*. Ad dictam declarationem quod attinet, non videtur ex ipsa peremptorie probari posse ejusmodi approbationem. Equidem Episcopi Germaniæ postulaverunt ut sanctissimi nominis Jesu litaniæ approbarentur et per edictum Pontificium *toti christianitati* commendarentur, et S. Congregatio respondit: *Litanias prædictas esse approbandas, si Sanctitati Suæ placuerit*. Sed an revera Summus Pontifex ita decreverit, et an litaniæ de quibus agebant Germaniæ Episcopi, eædem sint ac litaniæ sanctissimi nominis Jesu in Galliis et aliis regionibus solitæ, mihi saltem non constat. Difficilius perspicitur quomodo dictæ litaniæ non habendæ sint tanquam approbatæ per Bullam Sixti V. Nullus enim (quod sciam) hujus Constitutionis authenticitatem in dubium revocavit. Imo in collectione indulgentiarum quæ *Raccolta* inscribitur, et quam S. Congregatio indulgentiarum authenticam declaravit, pluries citatur dicta Sixti V Constitutio. Aliunde dictam indulgentiam dierum 300 concessam fuisse *universaliter*, nec restringi Indultum ad aliquem locum aliquasve personas, videtur ex tenore colligendum ; quamvis difficultatem aliquam faciant verba hæc, *quod indultum extendatur etiam ad Indos, ubi eadem est necessitas*. Cui tamen difficultati responderi potest, ibi vox indultum sonare complexionem gratiarum omnium quæ per Bullam conceduntur, et quarum aliquæ solas Carmelitarum ecclesias respiciunt.

2° Approbationi per dictam Bullam (si revera approbatio hæc admittenda sit) derogari non potuit sine expressa mentione, ob ejusdem Bullæ clausulas.

3° Approbatas non fuisse nec indulgentiis ditatas litanias sanctissimi nominis Jesu expresse declaravit Sacra Rituum Congregatio, ut supra vidimus.

Propositio XXII[a]. — *Libri anonymi non sunt omnes prohibiti.* — Nonnulla hic prænotanda sunt. 1° Concilium Latera-

nense V, sub pœna excommunicationis prohibuit ne libri absque prævia approbatione imprimerentur. (Vide hocce decretum supra, § 2, quæst. 1). Sed de libris *anonymis*, seu absque nomine auctoris, nihil statuit.

2° Tridentina Synodus, sessione 4, ita decrevit: *Nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis et pecuniæ in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita.*

3° Regula 10 Indicis renovat quidem Lateranense decretum de non imprimendis libris absque prævio examine et obtenta licentia: non autem prohibet libros anonymos, seu absque auctoris nomine impressos.

4° In instructione Clementis VIII, titulo *de Impressione librorum*, § 1, sic decernitur: *Nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen et patriam præferat auctoris. Quod si de auctore non constet, aut justam aliquam ob causam, tacito ejus nomine Episcopo et inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum examinaverit atque approbaverit.* Ibi quidem prohibetur ne imprimantur libri anonymi: at non prohibetur ne libri anonymi jam impressi legantur. Quibus in antecessum notatis,

Probatur posita conclusio. — Id est, prohibitos non esse libros omnes anonymos. I. Talis prohibitio erui nequit neque ex supradicto decreto Lateranensi, neque ex regula 10 Indicis, neque ex instructione Clementis VIII, ut patet ex prænotatis. Ergo admittenda dumtaxat foret ob citatum Tridentinum decretum. Porro neque hoc decreto prohibentur *omnes* libri anonymi. Nam 1° decretum illud respicit dumtaxat libros *de rebus sacris*. Ergo intelligenda non est prohibitio illa de *omnibus* libris anonymis, sed tantum de iis qui agunt *de rebus sacris*, seu (ut communiter intelligunt doctores) de iis qui de religione ex professo tractant. 2° In prima phrasi decreti, id est, usque ad verbum *neque*, non prohibetur *lectio* dictorum

librorum anonymorum de rebus sacris agentium ; sed tantum eorum *impressio*. Equidem in sequenti phrasi dicitur licitum non esse illos *apud se retinere ;* quæ verba implicite lectionem etiam prohibent, cum nequeant legi nisi retineantur seu habeantur : sed id intelligi posse videtur relative ad verba sequentia, *nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario*. Ita ut ipsi etiam libri anonymi de rebus sacris agentes vendi, retineri ac legi possint, accedente Ordinarii approbatione.

II. Non esse prohibitos libros anonymos omnes, sed eos dumtaxat qui pravam doctrinam continent, communis videtur doctorum sententia. Attendendum præcipue quid hac de re scripserit Dominicanus Franciscus Forerius, qui deputatis a Tridentina Synodo ad conficiendum Indicem patribus a secretis fuerat, quique dissertationem præmisit Indici a Pio IV publicato. In hac scilicet præfatione sic admonet Forerius : « Tertia vero classis eos libros complectitur qui sine scripto- « ris nomine exierunt in vulgus, et eam doctrinam continent, « quam Romana Ecclesia tanquam catholicæ fidei aut morum « integritati contrariam, refutandam, ac repellendam esse « decernit. *Non enim omnes libros*, qui nomen auctoris non « præferunt damnandos putarunt (Patres deputati) ; quando- « quidem sæpe viros doctos ac sanctos novimus, ut christiana « quidem respublica ex eorum vigiliis fructum caperet, ipsi « vero inanem gloriam evitarent, libros optimos sine nomine « edidisse ; sed eos tantum qui, aut liquido pravam, aut du- « biam fidei doctrinam, sive moribus perniciosam continent. « Atvero qui sint hujusmodi aut tales censeri debeant, præter « eos qui in hoc catalogo descripti sunt, Episcopi et Inquisi- « tores una cum theologorum catholicorum consilio dijudica- « bunt. Sed propter nostrorum temporum malitiam, ne in pos- « terum libri sine nomine auctoris edantur, decreto quartæ « sessionis Tridentini Concilii, quod incipit *Sed impressoribus*, « provisum est. » Hanc Forerii præfationem reperies apud Zaccariam, *Storia polemica...*, pagina 151 et 152, edit. Romæ 1777. Ergo persuasum habuit Forerius eorum dumtaxat ano-

nymorum librorum lectionem prohiberi, qui vel *sanæ doctrinæ* vel *bonis moribus adversantur*. Idem docet sanctus Ligorius : « Tertia classis, inquit, continet libros editos sine nomine « authoris ; qui *non omnes* (ut bene advertit Lupus...) dam- « nati sunt ; sed tantum illi qui pravam doctrinam tradunt. « Sic enim videmus practicari a viris probis et doctis. » (In sua Theologia, libro 7, n. 289).

Nota. — De nonnullis aliis speciebus librorum prohibitorum, quas prætermittimus. — In ea parte Indicis quæ inscribitur, *Decreta de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis*, enumeratas reperies sub quatuor paragraphis alias nonnullas scriptorum prohibitorum species ; quas si recensere vellemus, transcribendi forent de verbo ad verbum quatuor dicti paragraphi. Quoad istas, ad ipsummet librum Indicis lectores remittimus.

§ IV.

A quibusnam dari possit licentia libros prohibitos legendi.

Propositio I_a. — *Licentiam hanc dare nequeunt Episcopi, nec Archiepiscopi, nec Cardinales, nisi hoc eis ex speciali Indulto a Sede Apostolica concessum fuerit.* — Hac de re sic habetur apud Ferraris (verbo *Libri prohibiti*, n. 25) : « Licentiæ legendi li- « bros prohibitos non possunt hodie concedi, nisi a Summo « Pontifice et Sacra Congregatione sancti officii, aut a spe- « cialiter deputatis ab ipsis. Sic expresse statuit Urbanus VIII, « 2 aprilis 1631, Constitutione incipiente *Apostolatus officium*, « ibi : *Neque de cætero similes licentiæ nisi a Congregatione « Sancti Officii, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel « ab aliis per nos etiam in eadem Congregatione specialiter de- « putandis concedantur*. Unde eas concedere non possunt Car- « dinales, Episcopi, aut Inquisitores, vel Generales ordinum. »

In editione Cassinensi ejusdem operis, additus est circa libros prohibitos novus articulus, in quo sic habetur § 4 :

« Quæstio 3ª : Quisnam concedere debeat legendi libros pro-
« hibitos facultatem? Respondeo : Jus concessum Episcopis
« et Inquisitoribus sublatum esse per Constitutionem Gregorii
« Papæ XV, incipientem *Apostolatus officium*, in qua statuitur :
« *De cætero similes licentiæ nisi a Congregatione Sancti Officii con-*
« *cedantur*. Deinde istud idem jus concessum fuit Sacræ
« Congregationi Indicis ; habetque magister Sacri Palatii pro
« Roma et ejus districtu. Hoc autem notatum volui, ut lec-
« tores intelligant, non posse locorum Ordinarios hanc licen-
« tiam concedere, nisi illius concedendæ facultatem habue-
« rint ab Apostolica Sede ; *quia inferior non potest legem supe-*
« *rioris tollere, neque absolvere a reservatis Papæ*, ut optime
« advertit Navarrus (libro 1 *Consiliorum*, tit. 2, consilio 1,
« quæst. 36), et quia per superiorem Constitutionem hujus-
« modi jus Apostolicæ Sedi reservatur. »

« Facultatem (ait sanctus Ligorius) legendi libros prohibitos
« tam in Bulla (*in Cœna Domini*) quam in Indice, solus Papa,
« vel Sacra Congregatio Indicis aut Concilii concedere potest.
« Tantum in casu magnæ necessitatis, ait Viva (q. 5, art. 1,
« n. 10), posse eam concedere etiam Episcopum. » (S. Ligo-
rius, *Theologia*, libro 7, n. 299).

Propositio IIª. — *Ipsimet Episcopi indigent licentia, ut ve-*
titos libros legere possint. — « Hic autem (ait citato loco S.
« Ligorius) quæritur, an ipsi Episcopi possint legere libros
« prohibitos? Videbatur affirmandum : omnes enim Episcopi,
« ubi formale tribunal Sancti Officii non adest, sunt inquisito-
« res nati, qui valent via ordinaria procedere contra delin-
« quentes in materia fidei. Sed omnino negandum, cum
« Sylvio.., Barbosa.., Bonacina.., ex Bullis Julii III *Cum me-*
« *ditatio*, Pauli IV *Quia in futurorum*, ac Pii IV *Cum pro mu-*
« *nere*, relatis ab auctoribus præfatis ; in quibus tam Episco-
« pis quam Inquisitoribus interdicitur librorum vetitorum
« lectio ; *præterquam* (excipitur) *senioribus et commissariis* hæ-
« reticæ pravitatis. Intelliguntur τῷ *commissariis* illi tantum
« Inquisitores, quibus commissa est aliqua particularis causa,

« quique legere possunt tantum libros illam materiam con-
« cernentes, et tantum pro tempore quo commissio viget. »

Item Ferraris (verbo *Libri prohibiti*, n. 26), post supra citata verba, *unde eas* (licentias) *concedere non possunt Cardinales, Episcopi, aut Inquisitores, vel Generales ordinum*, ita subjungit: « Immo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, « nisi a Sede Apostolica, seu per dictam Sacram Congrega-
« tionem sit eis specialis ad id concessa facultas. » Ad quod probandum adducit Ferraris tres Pontificias Constitutiones.

§ V.

Exponuntur leges ecclesiasticæ circa librorum aliorumve scriptorum impressionem.

Propositio I^a^. — *Sub excommunicatione prohibitum est ne quis imprimat aut imprimi procuret librum ullum ullamve scripturam absque examine et approbatione auctoritatis ecclesiasticæ.* — Constat Lateranensi decreto, cujus textum vide supra, § 2, quæstione 1. Constat insuper primis verbis regulæ decimæ Indicis, quibus dictum Lateranense decretum servari præcipitur. Constat etiam capite 2 sessionis 4 Tridentini Concilii. (Vide illos textus supra, § 2, quæstione 1).

Propositio II^a^. — *Dicta lex non videtur obligare hodie quoad diaria (les journaux) in multis locis, ob moralem impossibilitatem eam servandi.* — Loquimur de iis regionibus in quibus sæcularis potestas brachii sui auxilium auctoritati ecclesiasticæ non præstat, et ubi impune diffunduntur multa diaria seu scripta periodica religioni catholicæ ac morum integritati adversantia. In hisce regionibus rei catholicæ plurimi interest ut pravorum ejusmodi diariorum impietas ac dolosæ artes explodantur ; quod nonnisi oppositis diariis viri catholici efficere possunt. Jam vero ea est diariorum in dictis regionibus conditio, ut quotidie, absoluta eorum scriptione, statim absque mora typis mandari debeant. Alioquin enim nova serius traderent, atque eam ob causam lectoribus carerent, seu exis-

tere non possent. Proinde censuræ dilationem non patiuntur. Aliunde autem ejusmodi catholicorum diariorum suppressio religioni noxia foret. Ergo servari non posset dicta lex quoad diaria in memoratis regionibus sine notabili rei catholicæ detrimento. Leges autem ecclesiasticas cum gravi detrimento non obligare certum est et extra controversiam omnem positum.

Insuper ob scriptorum multitudinem quæ quotidie nonnullis in locis imprimuntur, impar foret curia episcopalis exequendæ censuræ, eo modo qui præcipitur, idest *gratis et sine dilatione*. Parisiis, verbi gratia, deberent ad id muneris revisores quam plurimi deputari, eisque de sufficienti remuneratione provideri. Quod moraliter, aut etiam physice impossibile existimo. Hinc legitima videtur praxis qua, in præfatis regionibus, diaria sua scriptores catholici edunt absque prævia censura ecclesiastica.

Propositio III^a^. — *Dicta lex non videtur hodie obligare in quibusdam regionibus, quoad scripta multa, religionis aut morum interesse non tangentia.* — Hodie nimirum adeo frequens evasit typographicæ artis usus, ut ipsi etiam mercatores programmata sua imprimi curent, quibus mercium qualitates et pretium denuntient. Ad terminos autem legis, ejusmodi etiam scripta censuræ ecclesiasticæ subjici debent, etsi religionis interesse non tangant. Quod provide sane statutum est, quando Ecclesiæ non decrat coercitiva brachii sæcularis potestas, ut efficacius præcaveretur noxiorum scriptorum impressio. Hodie vero in regionibus de quibus loquimur impedire nequit episcopalis curia ne prava scripta impune edantur. Proinde ibi cessat finis ob quem lex, scripta etiam religionis interesse nullatenus attingentia, censuræ subjici præcepit. Aliunde ob eorum scriptorum copiam episcopali curiæ valde onerosa foret eorum revisio. Insuper merito conquererentur dictarum regionum catholici, quod tale onus ipsis inutiliter imponeretur; siquidem id nequaquam impediret ne perditi homines prava sua scripta in iis regionibus impune ederent.

Unde si agatur de scriptis quæ *manifeste* fidei aut morum interesse non tangunt, videtur non teneri in dictis regionibus catholicos ad ea censuræ ecclesiasticæ subjicienda ; et vicissim non teneri curias episcopales ad ea examinanda et approbanda.

Propositio IV^a^. — *Viget hodie dicta lex ubique, atque etiam in Gallia, quoad libros aliave scripta, quibus fidei aut morum interesse attingitur.* — Etenim lex illa pars est Indicis. Vigere autem hodiedum atque etiam in Gallia Indicem, supra probatum est. Equidem a cujuslibet ecclesiasticæ legis obligatione excipiendi sunt casus, in quibus lex servari nequit sine gravi detrimento, et insuper ii in quibus finis legis adæquate cessat : atvero lex de non imprimendis absque prævia censura ecclesiastica libris et scriptis fidei aut morum interesse tangentibus, hodiedum etiam in Gallia observari potest absque detrimento ; et finis hujus legis, nedum cessaverit, quammaxime urget.

1° Observatio legis quoad præfata scripta, non secum fert notabile detrimentum, aut moralem impossibilitatem. Agitur enim dumtaxat de scriptis fidei aut morum interesse tangentibus, quæ a catholicis et Deum timentibus personis ecclesiasticæ censuræ subjicientur (perditi enim scriptores, etsi ad idem teneantur, de facto tamen libros suos in dictis regionibus Episcopo non subjicient). Porro ejusmodi scriptorum non tanta est copia, ut nequeat episcopalis curia circa eam censuræ officium explere. Quod si aliquibus in locis id Episcopo satis onerosum esse possit, ejusmodi tamen onus non videtur habendum pro notabili detrimento, quod a servanda lege eximat. Agitur enim de re quæ sine summo rei catholicæ damno ab Episcopis negligi nequit ; de una scilicet e præcipuis Episcoporum obligationibus, a qua explenda, non fastidium aut aliqualis difficultas, dumtaxat physica aut moralis *impossibilitas* excusare potest.

2° Urget autem hodie, etiam in dictis regionibus, finis legis. Non minus enim hodie, quam cum lex lata est, rei catho-

licæ interest, ut præcaveatur erronearum et bonis moribus adversarum doctrinarum diffusio. Et notetur noxia potissimum in dictis regionibus esse posse erronea systemata, quæ catholicos et Deum timentes auctores habent; præsertim si sacerdotali dignitate fulgeant.

Unde revera nulla est ratio cur lex de prævia censura ecclesiastica hodiedum non vigeat, etiam in Gallia, quoad scripta quælibet fidei aut morum interesse tangentia; qualia sunt libri etiam historici, politici, et de scientiis naturalibus.

Hinc qui ejusmodi scripta hodie in Galliis, prætermissa ecclesiastica censura edit, non tantum graviter peccat, sed et excommunicationem incurrit, nisi eum ignorantia seu bona fides excuset.

Propositio V^a^. — *Excepto casu quo libri auctor in Pontificiis ditionibus degat, requiritur examen et approbatio illius Episcopi, in cujus diœcesi liber imprimitur.* — Constat ex verbis decreti Lateranensis, et regulæ decimæ Indicis (quæ vide supra, § 2, quæst. 1). Nimirum, si Romæ impressio fiat, liber examinandus et approbandus est *per vicarium Summi Pontificis et Sacri Palatii Magistrum, vel personas a Sanctissimo Domino Nostro deputandas* (sunt verba regulæ 10). Si liber alibi imprimatur, fieri debet examen et approbatio per Episcopum loci Ordinarium, aut per aliquem ab ipso deputatum. Excipiendus tamen casus de quo in sequenti propositione : videlicet,

Propositio VI^a^. — « Degentes in statu, Sedi Apostolicæ « mediate vel immediate subjecto, non possunt transmittere « libros, a se compositos, alibi imprimendos, sine expressa « approbatione et in scriptis Eminentissimi ac Reverendissimi « D. Cardinalis, Sanctissimi Domini Nostri Vicarii, et magistri « Sacri Palatii, si in Urbe; si vero extra Urbem existant, sive « Ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum, facultate et « licentia, operi infigenda. » — Ita nempe decrevit Alexander VII; et ipsamet conclusionis verba reperies in ea parte Indicis quæ inscribitur, *Observationes ad regulam decimam, Alexandri Papæ VII jussu additæ.* Solet autem dicta approbatio

Romæ dari, non per ipsummet Eminentissimum Cardinalem vicarium, sed per ipsius *vices-gerentem* (qui episcopali dignitate fulget), et per magistrum Sacri Palatii. Hinc est quod illa mea volumina quæ edidi dum Romæ degerem, etsi in Galliis impressa, dictorum vices-gerentis et magistri Sacri Palatii approbationem præ se ferant : cætera autem quæ edidi resumpto jam in Galliis domicilio, præfixam approbationem habent Episcopi illius diœcesis, in qua typis mandata sunt. Quo adnoto, quia nonnulli in hac approbationum voluminibus meis præfixarum varietate nescio quid mysterii sibi videre visi sunt. In causa est quod quinquiennio Romæ degerim, et postea domicilium in Gallia resumpserim.

PROPOSITIO VII[a]. — *Quando quis librum subjicit Episcopo illius diœcesis, in qua eum imprimi vult, tenetur Episcopus ille librum, per se vel per alios ad id deputatos, examinare, et approbare, si approbatione dignus sit : immo ad dandam illam approbationem* GRATIS *et* SINE DILATIONE *tenetur sub excommunicationis pœna.* — Constat istis decreti Lateranensis verbis : « Et per « eorum manu propria subscriptionem, sub excommunica- « tionis sententia gratis et sine dilatione imponendam, appro- « bentur. » Atque id expressis verbis confirmat regula decima Indicis (vide utrumque textum in extenso, supra, § 2, quæstione 1). Unde Lex ecclesiastica cuilibet libertatem reliquit libros typis mandandi ubi libuerit. At necessariam decrevit approbationem Ordinarii diœcesis, in qua impressio fieret. Simul autem voluit ut Ordinarius librum ipsi subjectum et in ipsius diœcesi imprimendum teneretur examinare, et approbare, si approbationem mereretur.

PROPOSITIO VIII[a]. — *Approbationem recusare nequit Episcopus ex eo quod liber opiniones contineat, ab eis quas ipse tenet diversas ; sed tantum ex eo quod sanæ doctrinæ vel bonis moribus adversetur ; vel alio ex capite (attentis circumstantiis) detrimentum aliquod rei catholicæ allaturus merito judicetur.* — Patet ex fine legis, qui non alius fuit quam librorum, saluti animarum quoquomodo noxiorum impressionem præpedire. Et confirmatur ex sapi-

entissimis regulis, quas librorum examinatoribus sequendas præscript Benedictus XIV, celebri sua Constitutione *Sollicita*, septimo idus Julii 1753 (eam impressam reperies sub initium Indicis).

Propositio IX^a^. — *Contra Episcopum qui approbationem injuste recusat datur appellatio.* — Datur enim appellatio contra Episcopum a quocumque injusto gravamine. Sed qui librum vult in aliqua diœcesi typis mandare, jus habet, ex dictis, ut Episcopus illius diœcesis approbationem concedat, si liber eam mereatur. Ergo si Episcopus approbationem injuste deneget, ab ipsius denegatione appellari poterit. Hinc qui ab Episcopo injuste sibi denegatam existimat imprimendi licentiam, licite potest ad Archiepiscopum, vel immediate ad Sedem Apostolicam, recurrere.

Propositio X^a^. — *Approbatio quam lex requirit, et quam tenetur Episcopus dare, si liber eam mereatur, est approbatio negativa, non autem positiva.* — Dicitur approbatio *positiva*, quando liber laudatur et commendatur : *negativa* quando declaratur dumtaxat nihil obstare quominus typis mandetur. Porro lex non requirit ut liber laudibus extollatur, sed dumtaxat ut Episcopus, post examen, judicaverit nihil pravi in eo reperiri, nullumque rei catholicæ damnum ex ejus impressione oriturum. Unde sufficit nuda imprimendi licentia. Et solet licentia hæc dari per verbum *Imprimatur*, vel per verba *Nihil obstat quin imprimatur*, aut similia. Equidem potest Episcopus, si ita visum fuerit, librum tanquam eximium, eruditione præstantem, summe utilem etc., extollere. At salebrosa hæc res est. Qui enim sic laudat, suas facit operis opiniones, et indirecte declarat sibi ex propria scientia notum esse librum, et non tantum ex relatione examinatorum. Hinc si errores in eo libro postea reperiantur, merito Episcopus carpetur, quod non laudanda laudaverit. E contra si negativa dumtaxat approbatio fuerit apposita, non poterunt libri opiniones Episcopo tribui ; et casu quo perperam imprimi permissus sit, lapsus hic deputatis examinatoribus tribuetur, non ipsi Episcopo.

PROPOSITIO XI^a^. — *Quoad imprimendos regularium libros, non sufficit dicta Ordinarii approbatio, sed requiritur insuper superiorum regularium licentia, recognitis juxta respectivas ordinum Constitutiones libris.* — Constat capite 2, sessionis 4 Tridentini Concilii (vide textum supra, § 2, quæst. 1, n. 3), et *instructione* Clementis VIII, regulis Indicis adjecta, titulo *de Impressione librorum*, § 2.

PARS IV

DE LEGATIS *A LATERE*, NUNTIIS,

VICARIIS APOSTOLICIS, AC PRONOTARIIS.

Quinque instituemus hujusce partis quartæ sectiones : quarum *prima*, gravitate sane præcipua, erit de jure Summi Pontificis suam in universo mundo jurisdictionem exercendi per Legatos Nuntiosve ac Vicarios Apostolicos : *Secunda* de variis Pontificiorum Legatorum speciebus, et de causis ob quas variæ illæ species inductæ sint : *Tertia* de potestate seu juribus Legatorum a latere ac Nuntiorum : *Quarta* de Vicariis Apostolicis : *Quinta* demum de protonotariis.

SECTIO I.

De jure Summi Pontificis suam in universo mundo jurisdictionem exercendi per Legatos, Nuntios, et Vicarios Apostolicos.

De gravissima illa quæstione disseremus hoc ordine : 1° errores exponemus : 2° præfatum jus Romani Pontificis probabimus ex primatu jurisdictionis ei divinitus collato : 3° idem jus firmabimus ex constanti Ecclesiæ praxi : 4° et conciliorum auctoritate : 5° concludemus Gallicanum circa Legatos et Nuntios systema erroneum esse, necnon seditiosum et in schisma inducens.

CAPUT I.

EXPONUNTUR ERRORES.

« Agitur de graviori atque insigniori jure primatus, in Petro « ejusque successoribus a Christo instituti ; quo præditus Ro- « manus Pontifex, dum agnorum et ovium sibi concreditorum « curam gerit universam, suo fungitur Apostolico munere « per ecclesiasticos viros, sive stabiles, sive ad tempus, veluti « magis expedire censuerit, delegatos, in iis dissitis locis, « ubi ipse interesse non potest ; præcipiens eisdem ut ibi « suas vices obeant, eamque jurisdictionem exerceant, quam « Is per se, si adesset, exerceret. » (Pius VI, in *Responsione super Nunciaturis*, capite 8, n. 1.)

Porro jus illud Romani Pontificis, post Protestantes, negare

ausi sunt Marcus Antonius de Dominis, Richerius, Febronius, aliique similes reprobatæ doctrinæ scriptores. Horum errores in praxim reducere, sub Pio VI, attentarunt quatuor Germaniæ Archiepiscopi, quos condemnavit dictus Pontifex celebri suo dogmatico rescripto, quod *Responsio super Nunciaturis* inscribitur.

Item a Gallicano systemate præfatum jus Sedis Apostolicæ oppugnatur ac rejicitur. Hos errores breviter sub præsenti capite, adductis nonnullis documentis, exponendos duximus.

I. *Quid docuerint Marcus Antonius de Dominis, Richerius et Eybel?* — Non negarunt mitti posse à Romano Pontifice Legatos ac Nuntios *ad tempus*, ob extraordinarium aliquem casum id remedii exposcentem : at stabiles cum jurisdictione mitti Legatos et Nuntios, abusum esse contenderunt, quo Sedes Apostolica propria Episcoporum jura invasit. De quo sic quatuor Germaniæ Metropolitanos, qui eumdem errorem amplexati erant, Pius VI alloquitur (in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, sectione 2, n. 18) : « Vos decepti contenditis, jus « Apostolicæ Sedis mittendorum cum jurisdictione Nuntiorum, « et exercendæ suæ primatialis potestatis in diœcesibus alio- « rum Episcoporum, tunc tantum vindicare sibi locum posse, « ubi casus extraordinariæ necessitatis advenerit. Fuit hæc « opinio a Marco Antonio de Dominis primum invecta, in impio « illo *de Republica ecclesiastica* libro : quam postea palam et « aperte amplexus est Edmundus Richerius, in scriptis *de* « *Potestate ecclesiastica et politica* editis : quamque denique « Eybelius, recentissimus auctor libri *Quid est Papa*, suscepit « atque amplificandam curavit. Sed opus Marci Antonii de « Dominis quo ausus est comminisci, esse Ecclesiam reipu- « blicæ instar, et nihil aliud esse Pontificem nisi veluti quod- « dam ipsius caput, ministrum ac ducem, damnatam fuisse « constat anno 1618 ab Universitate Sorbonæ; et per idem « fere tempus a facultate theologica Coloniensi.... Quo in « loco est illud sedulo advertendum, quod cum Marcus « Antonius inter cætera pronuntiasset, *Legatos Romani Pon-*

« *tificis extra Ecclesiam Romanam vix ullam habere potestatem*, « facultas theologica Coloniensis notandum censuerit eum locum his verbis : *Titulus hæreticus, schismaticus et seditiosus.* « Id vos, quæso, animadvertite, venerabiles Fratres, qui « ulterius etiam progressi non partem aliquam, sed omnem « omnino negatis Apostolicis Nuntiis jurisdictionem. Idem « evadere non potuit censorium theologicæ facultatis judicium alia illa Marci Antonii sententia, quam vos toties litteris consignastis, ita Apostolicos Nuntios habentes ac reputantes, quales *regii oratores* esse solent. Cum enim Marcus « Antonius hæc de Nuntiis dixisset : *Nuntii vero Papæ nunc « dierum ad imperatorem, reges, potentatus Christianos, eodem « pariter loco sunt quo* REGUM LEGATI *in curiis principum sæ- « cularium, pro negotiis potissimum sæcularibus tractandis et « indagandis commorantes ; et certe si optimo eos nomine in- « signiamus, sunt oratores, sin vero exploratores :* non potuit « prædicta Facultas tantam audaciam tali non cohibere judicio : *Propositio falsa, seditiosa, in Romanum Pontificem ejusque « Legatos calumniosa.* Hinc mirum esse non debet, quod hæ- « retici et schismatici argumenti liber hujusmodi, ex tot falsis « seditiosisque sententiis contextus, fuerit etiam a Sancta « Sede et ab Ecclesia damnatus (decreto diei 2 decembris « 1617. Vide *Index librorum prohibitorum*, Benedicti XIV jussu recognitus, atque editus, Romæ anno 1758, pagina 75)...

« Liber autem Richerianus fuit anno 1612 a Concilio Seno- « sensi et Aquensi pro *hæretico* habitus, et Romæ damnatus; « ita ut auctor ejusdem in regum indignationem inciderit, et « munere syndaci, quod obibat, fuerit a Facultate Parisiensi « privatus ; et duabus declarationibus, annis 1620 et 1629 « editis, sua ipse scripta damnarit ac reprobarit.

« Liber denique Eybelii, in quo temerario ausu jactatum « et prædicatum est : *Quemlibet Episcopum vocatum a Deo ad « gubernationem Ecclesiæ, non minus quam Papam, nec minori « præditum esse potestate... : voluisse Christum Ecclesiam reipublicæ « more administrari : et quidem regimini opus esse Præside pro*

« *bono unitatis ; verum qui non audeat se aliorum qui simul re-*
« *gunt negotiis implicare ; privilegium tamen habeat cohortandi*
« *ad sua implenda munia : vim primatus hac una prærogativa*
« *contineri, supplendæ aliorum negligentiæ, prospiciendi conser-*
« *vationi unitatis, hortationibus et exemplo : Pontifices nil*
« *posse in aliena diœcesi,* PRÆTERQUAM EXTRAORDINARIO CASU :
« liber, inquimus, hujusmodi nihil novi præ se ferens nisi in-
« verecundiam inscriptionis, et quamdam impiorum dictorum
« congeriem, cum denuo ferat easdem sententias Marci
« Antonii de Dominis et Richerii jam ab Ecclesia damnatas,
« merito a Nobis pro muneris Apostolici ratione fuit solemni
« ritu proscriptus (Constitutione diei 28 novembris 1786, quæ
« incipit *Super soliditate.*) »

II. *Quid tradiderit Febronius.* — Episcopus de Honteim, qui suum hæresim et schisma undequaque redolens opus sub ementito *Febronii* nomine scripsit, effutire haud veritus est (tomo 1, capite 2, § 10, n. 1), « ab initio Legatos Pontificios
« ne minimam quidem partem jurisdictionis exercuisse, sed
« fuisse meros apocrisiarios et responsales : sæculo autem
« nono, post falsas decretales, Nuntios Apostolicos amplissi-
« mam potestatem sortitos fuisse, ut ad specimen regiminis
« sæcularis essent instar præsidum provinciarum, exercuis-
« seque concurrentem cum Episcopis jurisdictionem. » (Vide apud Zaccariam, *Antifebronius vindicatus,* dissert. 6, capite 6, n. 3).

Alibi autem dictam Legatorum et Nuntiorum Pontificiorum jurisdictionem inter eas recenset Curiæ Romanæ usurpationes, quibus, faventibus ignorantia et falsis decretalibus, Episcopos *nativis* suis juribus Romani Pontifices paulatim spoliaverunt. Hinc Episcopos hortatur ut dicta sua *nativa jura* defendant. Item sæculares principes hortatur, ut quoad ejusmodi Curiæ Romanæ usurpationes obedientiam Sedi Apostolicæ subtrahant. « Hoc operabitur, inquit, talis obedientiæ sub-
« tractio, ut aut pro futuro neget, aut saltem suspendat
« usum et exercitium certorum jurium, in quorum posses-

« sione Summi Pontifices non nisi a paucis sæculis existunt, « quæque religioni et puriori disciplinæ, si non officiunt, « saltem nihil prosunt. » (Apud Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. XI, cap. 1, n. 6).

III. *Quomodo quatuor Germaniæ Archiepiscopi præfatam schismaticam doctrinam amplexati, eam ad praxim reducere tentaverint; et quomodo ejusmodi attentatum Pius VI condemnaverit ac represserit.* — Ut dictos Archiepiscopos, videlicet, Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem ad saniora reduceret, non tantum eorum errores proscribendos duxit Pius VI, sed et pleno volumine eis exposuit, ac luce meridiana clarius patefecit veram ac tenendam circa Legatos ac Nuntios Apostolicos doctrinam. Librum hunc, *Responsio super Nunciaturis* inscriptum, eis transmisit, præmisso Brevi *Potuissemus*, 14 novembris 1789. Habenda autem est *Responsio super Nunciaturis*, non tanquam Pii VI, ut privati theologi, disceptatio; sed tanquam *decretum dogmaticum*, a quo non magis recedere licet, quam a cæteris ab eodem clarissimo Pontifice emanatis dogmaticis Constitutionibus ac Brevibus. Ibi enim tanquam Pontifex veram ac catholicam doctrinam edocet, oppositasque opiniones pro erroneis et damnatis habendas decernit. Quisnam autem fuerit præfatorum Præsulum lapsus, quænam molimina, satis perspiciet lector ex subjectis ipsiusmet Pii VI verbis : sic nempe eos alloquitur :

« Incredibile dictu esset, hujusmodi opinionum et argu- « mentorum portenta fuisse vos unquam secutos, si vestra « scripta ad Nos missa, et ad manus nostras delata, non sine « immensa animi ægritudine, Nobis non persuaderent, vos « aliorum malitia circumventos penitus hujus generis sen- « tentiis adhærescere... Vos enim, de vostmetipsis novo « prorsus judicio sententiam ferentes, vacuos esse prædica- « tis omni culpa, quæ vestrum munus ac ministerium respi- « ciat; a vestris diœcesibus atque archidiœcesibus ratio- « nem *extraordinarii casus* quam longissime abesse defendi- « tis; Nosque facultate constituendi *stabiles et jurisdictione*

« *munitas* Nunciaturas destitutos omnino esse propugnatis.

« *Si officio Archi-et Episcopali* (aiebas tu, Coloniensis Ar-
« chiepiscope, in tuis ad Nos datis litteris) *hucusque pro viri-*
« *bus a me satisfactum, nihilque intermissum fuit quod rectum*
« *ecclesiarum mihi commissarum regimen exposcebat, urgentes*
« *illas causas subintrare non video, quibus Sanctitati Vestræ vi*
« *Primatus a Deo instituti jus competit, pro conservanda religio-*
« *nis unitate ac puritate extraordinarios mittendi Legatos ad ec-*
« *clesias, ubi religionis necessitas id postulaverit. Si hoc, ut*
« *confido, non existit, multo minus me obligatum censeo, ut*
« *Nuntio, jurisdictione et facultatibus instructo, in grave potes-*
« *tatis meæ ordinariæ præjudicium, locum cedam, quem Christus,*
« *ut ibi vigilem, ut ibi laborem, mihi commisit.* In scriptis au-
« tem ad comitiorum suffragantes datis, hæc majori animi
« confidentia aiebas : *E una verita incontrastabile..., che il*
« *Papa non può inviare Legati negli Arcivescovadi e Vescovadi,*
« *se non se in casi urgenti...; e che in conseguenza le Nunziature*
« *permanenti e fornite di giurisdizione sono proibite.*

« Nec diversi admodum tui, Archiepiscope Moguntine, sunt
« sensus; quippe qui in Encyclica, ad eosdem suffragantes
« comitiorum missa, hæc dilucide declarasti : *Sanctitas Papalis*
« *qua Primas totius Ecclesiæ catholicæ..., tunc solum jurisdic-*
« *tionem habet, quando Episcopi aut Archiepiscopi suæ obligationi*
« *desunt, aut quando conservatio incolumitatis fidei aut concor-*
« *diæ id exposcit.* Et in litteris ad nos datis haud absimiliter
« es locutus his verbis : *In his circumstantiis extraordinariis,*
« *quas autem non vidimus..., adhuc hodie Sanctitas Sua potest*
« *ac debet Nuntios facultatibus extraordinariis munitos ablegare,*
« *qui ad tempus, quousque periculum existit, gregem verbo et*
« *exemplo pascant.*

« Id ipsum præseferunt litteræ ad Nos scriptæ tam abs te,
« Archiepiscope Salisburgensis, quam abs te, Trevirensis
« Archiepiscope, in quibus utrique non aliter *stabiles Nuncia-*
« *turas* appellatis quam *alienas usurpationes in diœcesum ves-*
« *trarum regimine.*

« Cogimur ergo atque compellimur, unumquemque ves-
« trum ab errore revocare, *in quem estis misere prolapsi.* »
(*Responsio super Nunciaturis,* capite 8, a numero 6 usque ad 11 inclusive).

IV. *Erroneum circa Legatos et Nuntios Gallicanismi systema.* — Sic legere est in opere *Mémoires du clergé de France* (tomo 7, col. 14, 24 et seq., edit. Parisiis 1769) : « Suivant les règles de la police du royaume, ces légats (agitur de Legatis a latere) qui sont envoyés du Pape et reçus en France après la vérification de leurs pouvoirs, ne peuvent faire citer devant eux les sujets du Roi, ni exercer sur eux aucun acte de juridiction contentieuse..; ils ne le pourraient pas même quand les parties consentiraient de procéder pardevant eux, comme M. Pithou l'a bien observé dans l'article 45 de son recueil des libertés de l'église gallicane, et après lui Févret... Les Papes ne peuvent envoyer en France des Légats *a latere*, que sur la demande du Roi, ou de son consentement. Ces Légats ne peuvent user de leurs facultés qu'après qu'ils ont promis par écrit au Roi, juré et prêté serment, qu'ils n'en useront qu'autant qu'il plaira au Roi et de son cousentement. Les facultés des Légats sont présentées au Parlement, où elles sont vues, examinées et régistrées, sous les modifications que cette Cour estime devoir être faites pour le bien du royaume. Et si les Légats entreprenaient au préjudice des modifications apportées à leurs facultés, on n'aurait aucun égard à ce qu'ils auraient fait; et sur les plaintes qui en seraient portées au Parlement, il serait déclaré nul et abusif. M. Pithou a bien expliqué les maximes de la France, sur cette matière dans le onzième article des libertés de l'église gallicane... C'est la doctrine des canonistes qui ont écrit à Rome que les Légats *a latere* sont *Ordinaires* dans les provinces de leur légation... Plusieurs de nos auteurs français ont suivi cette doctrine... Ce qui vient d'être observé suffit pour faire voir que les maximes de France n'y sont pas conformes... Janus a Costa soutient avec fondement que les Légats sont plutôt

envoyés pour des fonctions et des cas extraordinaires, que pour exercer la juridiction ordinaire... Ce n'est pas même la doctrine des cours séculières de France que le Pape soit *Ordinaire* dans les diocèses du royaume. On le croit Chef de l'Eglise, et on l'y respecte en cette qualité : mais à l'égard des fonctions qui concernent l'autorité des Ordinaires dans le gouvernement des diocèses, les cours prétendent qu'on n'a recours au Saint-Siége que dans les cas à l'égard desquels les décrets des Conciles reçus dans le royaume l'ont ainsi réglé, et où l'usage et les concordats passés entre les Papes et nos Rois l'ont établi. De sorte que suivant ces mêmes cours, on ne peut prendre aucun avantage de cette doctrine des canonistes pour attribuer aux Légats du Pape envoyés en France l'autorité de connaître dans le royaume des causes entre les sujets du Roi. »

« Les Nonces de notre saint Père le Pape entreprendraient aussi inutilement de s'établir juges des questions qui forment des procès en France entre les sujets du Roi. Il est vrai qu'ils ont un tribunal et exercice de juridiction dans les provinces qui sont soumises à la discipline des décrétales et aux décrets de la discipline du Concile de Trente... Cette discipline des décrétales et du Concile est contraire à l'usage et aux maximes du royaume. Les Nonces du Pape ne font autre fonction en France que d'ambassadeurs, et ne peuvent y en faire d'autres. Ils n'ont aucun emploi que proche de la personne du Roi, et n'en peuvent avoir dans le royaume... La Congrégation des Cardinaux pour les affaires consistoriales fit un décret au mois de mars 1631, qui porte, qu'où il y aura un Légat ou un Nonce, on s'adressera premièrement à eux pour faire les informations des vies et mœurs de ceux qui sont nommés aux évêchés, ou s'il n'y en a point, on s'adressera à l'Ordinaire. Ce décret fut envoyé à tous les Nonces et ministres du Pape, avec ordre de tenir la main à ce qu'il fût observé. Depuis ce décret, ceux qui avaient été nommés aux évêchés et qui n'avaient pas pris la voie du Nonce pour faire

cette information, trouvaient à Rome des difficultés et des longueurs affectées dans l'expédition de leurs Bulles ; jusques-là que la même Congrégation ordonna le 26 juillet 1630 que le nommé par le Roi à l'évêché de Comminges, ferait procéder à nouvelle information en Cour de Rome. Cette nouveauté ayant fait connaître le décret de la Congrégation et les desseins de la Cour de Rome, M. le procureur général en porta ses plaintes au Parlement, où il remontra que par les droits et libertés de l'église gallicane, les Nonces résidents en France ne peuvent exercer aucune jurisdiction... Le parlement... ordonna... que les informations... se feront à l'avenir par les évêques diocésains... Il est vrai que ce réglement n'a pas toujours été observé très-exactement, et qu'ayant considéré que ce qu'on appelle information de vie et mœurs ne sont que de simples témoignages, qui n'ont rien de juridique, et qui peuvent être donnés par toutes personnes qui méritent créance, on a souffert qu'elles puissent être faites par les Nonces. »

Equidem citatum opus *Mémoires du clergé*, mendaciis et seditiosa in Sedem Apostolicam doctrina refertum, intra *moderati*, ut hodie dicitur, Gallicanismi limites non sese continet, sed usque ad *parlamentarii* etiam Gallicanismi attentata ac deliramenta persæpe progreditur : at in præsenti materia haud dissentiunt moderati Gallicanismi defensores. Nimirum ipsi etiam obtrudunt, vi libertatum ecclesiæ Gallicanæ haud posse a Papa constitui in Galliis Legatos aut Nuntios stabiles, cum ordinaria jurisdictione ecclesiastica. Extraordinarios autem Legatos *a latere*, qui ad tempus mittuntur, nonnisi assentiente gubernio suam jurisdictionem exercere posse.

Hinc patet quomodo gallicanum circa Pontificios Legatos et Nuntios systema, differat a supra memorato Marci Antonii de Dominis, Richerii, Febronii et similium systemate. 1° Negabant hi posse a Papa constitui cum ordinaria jurisdictione Legatos et Nuntios, præterquam ad tempus *in casibus extraordinariis* : at quoad casus extraordinarios hanc in Romano Pon-

tifice agnoscebant potestatem, *ab omni alia mundi potestate independentem*. Major ex hac parte Gallicanismi excessus ; siquidem ne casus quidem extraordinarios excipiens, nunquam Legatorum et Nuntiorum jurisdictionem admittit, nisi quatenus gubernium assenserit. 2° Quoad principium autem quo nititur, differt Gallicanum systema, (illud saltem quod *moderatum* dici potest), a reprobatis præfatorum scriptorum placitis. Nam hi seditiosam suam conclusionem veram esse contendebant *vi juris communis* et ex divina episcopatus institutione. At Gallicanum systema, prætermissa de jure communi quæstione, et dato quod aliter quoad cæteras regiones sentiendum sit, suum solummodo solitum palladium, Gallicanæ ecclesiæ usus ac libertates allegat. Hinc 3° theorice minus apertus Gallicanismi error : practice efficacior ac deterior.

CAPUT II.

JUS ROMANI PONTIFICIS PER LEGATOS AC NUNTIOS UBIQUE TERRARUM JURISDICTIONEM EXERCENDI, NECESSARIO SEQUITUR EX PRIMATU ROMANIS PONTIFICIBUS DIVINITUS COLLATO.

Id probat simulque definit Pius VI, in *Responsione super Nunciaturis* (capite 8, sectione 2, n. 24 et seq.), supradictos Germaniæ Præsules sic alloquens : « Sed ut rei veritas magis « elucescat, eas modo vobis rationes explicandas suscipimus, « quæ cuilibet persuadeant, jus esse Romano Pontifici ha- « bendi aliquos, in dissitis præsertim locis, qui Sui absentis « personam repræsentent ; qui jurisdictionem suam atque « auctoritatem *stabili* delegatione collatam exerceant ; qui « denique Suas vices obeant : idque ex intima vi ac natura « primatus ; ex constanti Ecclesiæ disciplina a primis usque « sæculis deducta ; ex auctoritate ecclesiasticarum atque im- « perialium legum ; ex communi denique canonistarum ac « jure consultorum, præsertim Germanicorum, etiam Protes- « tantium, sententia. »

« Exordientes autem a Primatu, quem Christus Jesus ita « instituit in Petro, ut ex persona Petri ad omnes ejus suc- « cessores manaret ad finem usque sæculorum, vos etiam « atque etiam obsecramus in Domino, ut diligentissime ca- « veatis ab erroribus toties ab Ecclesia damnatis ; vosque « etiam atque etiam precamur, ut veritatem e dogmatis « fonte profectam toto animo amplexi pro certo habeatis, « Primatum hunc divinitus institutum, non iis dumtaxat fuisse « limitibus circumscriptum, ut Petrus ejusque successores, « Ecclesiæ universæ caput effecti, et vicaria Jesu Christi « vice fungentes, *malis occurrerent, et fratres errantes ac negli-* « *gentes in viam reducerent et e socordia excitarent ;* sed aucto- « ritatem secum ferre *stabilem, perpetuam, numeris omnibus* « *absolutam, pascendi, regendi et gubernandi tam populos quam* « *populorum ipsos pastores,* absque ulla certi temporis constitu- « tione. Unde hoc probemus, quæret fortasse unusquisque « vestrum? Ex verbo Domini, respondemus cum S. Bernardo « (*de Consideratione*, l. 2, c. 8), cujus vos auctoritate consue- « vistis abuti. Plura quidem sunt Evangelii loca, ex quibus « manifeste se prodit suprema hæc potestas, soli Petro et « successoribus ejus a Jesu Christo collata. Nos brevitatem « ubi commode possumus sequentes, duo tantum seligemus « ex pluribus : illud nempe in quo divinus Magister ita est « Petrum allocutus : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super* « *hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non* « *prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et* « *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et* « *quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis* : Et « alterum in quo : *Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis* « *diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine tu scis quia amo te.* « *Dicit ei : Pasce Agnos meos... Pasce oves meas.* Hæc porro divina « verba decretoria sunt, et omnem cavillandi facultatem ac « libidinem superant. *Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves ;* « *pascit filios, pascit et matres ; regit et subditos et Prælatos.* « *Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia*

« *nihil est* (homilia in *Natali Apostolorum*, cujus auctorem esse « S. Eucherium Lugdunensem putant eruditi). Hinc sancti « Patres, quotquot de hac divina institutione sunt locuti, una- « nimi consensione professi sunt, Petrum *omnibus anteferri*, « ut aiebat Ambrosius (lib. 10, in cap. 24 S. Lucæ). Idemque « confirmat S. Leo : *Ideo*, inquiens, *Petro hoc singulariter cre-* « *ditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur* « (serm. 3, *de Assumptione ad Pontif.*). *De toto mundo*, pergit « idem S. Leo, *unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium* « *vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus* « *præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint,* « *multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos* « *principaliter regit et Christus* (serm. 3, in anniversario suæ « assump., c. 2). Et sanctus Augustinus : *Multi*, inquit, « *erant Apostoli ; et uni dicitur : Pasce oves meas* (serm. 46, « cap. 13). *Deus unus est*, inquit S. Cyprianus, *et Christus* « *unus, et una Ecclesia, et cathedra una, super Petrum Domini* « *voce fundata* (epist. 72). Ipsi enim Petro data est potestas « super omnes numeris omnibus cumulata. *Sicut Filius a* « *Patre* (verba sunt S. Joannis Chrysostomi inclyti Ecclesiæ « doctoris) *ad salutem omnium mittitur cum potestate plena super* « *omnes, sic a Christo Petrus et ejus Ecclesia ad salutem omnium* « *mittitur cum potestate omni super omnes, quod nulli hominum* « *credimus esse concessum* (homil. in S. Matth. 16). Cæteris « missis, agmen claudat S. Bernardus inquiens : *Dicit aliquis :* « *debitam reverentiam exhibebo* (Romanæ Ecclesiæ), *et nihil* « *amplius. Esto, fac quod dicis : quia si exhibeas debitam, et* « *omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super universas* « *orbis ecclesias, singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata* « *est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit* « (epist. 131.)

« Quinimo Patres et Concilia..., inito veluti inter se « fœdere, Romanum Pontificem certatim appellaverunt, « *Sacerdotem Sacerdotum*, *Episcopum Episcoporum*, *Patrem* « *patrum*, *Pastorem pastorum*, *Episcopum universalem*. Ita ut

« Facultas theologica Parisiensis, anno 1413, *erroris* notam « inusserit huic sententiæ : *Papa Romanus... non est Episcopus « universalis* (Natalis Alex., *Hist. Eccles.*, sæc. 15 et 16, c. 2, « § 3, n. 6). Eumdemque etiam nuncuparunt *judicem supre- « mum ;* quippe qui *specialiter claves regni cœlorum et princi- « patum judiciariæ potestatis obtinuit* (Beda, in homil. in die « festo SS. Petri et Pauli). Sit instar omnium S. Bernardus : « *Tu princeps Episcoporum ; tu hæres Apostolorum ; tu primatu « Abel...: tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt « quidem et alii cœli janitores, et gregum pastores : sed tu tanto « gloriosius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen « hæreditasti. Habent illi sibi obsignatos greges, singuli singulos : « tibi universi crediti, uni unus : nec modo ovium, sed et Pas- « torum tu unus omnium Pastor. (De Consideratione,* l. 2, c. 6).

« Hæc auctoritas pascendi, cum clavium potestate con- « juncta, Petro peculiarem in modum attributa, sicut auc- « toritatem præ se fert in omnes fideles *ordinariam*, atque « *immediatam*, ita eamdem præ se fert auctoritatem ordina- « riam atque immediatam in omnes pastores, qui quacumque « demum præfulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici « pares, sed ita ejus auctoritati subduntur, ut qui pastores « appellantur et sunt si populos respicias, ii, si Pontificem « spectes, nonnisi ovium numero habeantur...

« Quod divina verba patefecerant, quodque concors « Patrum sententia prodiderat, id a Conciliis quoque lucu- « lentissime definitum est. Ea quippe summum agnoverunt et « coluerunt in Romano Pontifice primatum seu principatum « super universam Ecclesiam, cumulum scilicet potestatis et « ordinariæ jurisdictionis super omnes et singulas catholici « orbis diœceses, ad causas etiam definiendas quæ aut fidem « respiciant, aut negotia spectent ad ecclesiasticum forum « pertinentia. Quod adeo verum est, ut Græci ipsi, dum in « Concilio Lugdunensi II anni 1274 suam catholicam fidem « profiterentur, hæc palam affirmare non dubitaverint : *Ipsa « quoque Sancta Romana Ecclesia Summum et plenum Primatum*

« *et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet* :
« *quem se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe*
« *sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potes-*
« *tatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et*
« *sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si*
« *quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio defi-*
« *niri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad eccle-*
« *siasticum forum pertinentibus appellare. Et in omnibus causis*
« *ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest judi-*
« *cium recurri. Et eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ : ipsarum*
« *Prælati obedientiam et reverentiam Sibi dant. Ad hanc autem*
« *sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias cæteras ad sol-*
« *licitudinis partem admittit.*

« Egregie huic Græcorum confessioni consentanea quoque
« erat præcedentis Concilii Lateranensis IV, anni 1215, sen-
« tentia ; quippe quod de Romana Ecclesia verba faciens
« affirmavit eamdem, *disponente Domino super omnes alias or-*
« *dinariæ potestatis obtinere principatum, utpote matrem univer-*
« *sorum Christi fidelium et magistram* (apud Labbe, tom. 13,
« col. 937 et 938)... Idem præstitit Concilium Florentinum
« anno 1439, cujus hæc sunt verba : *Definimus, Sanctam Apos-*
« *tolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem*
« *tenere primatum ; et ipsum Pontificem Romanum successorem*
« *esse Beati Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium,*
« *totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum Patrem et*
« *Doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, gu-*
« *bernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem*
« *esse ; quemadmodum etiam in gestis Conciliorum œcumenicorum,*
« *et in sacris canonibus continetur* (Labbe, tom. 18, col. 526).
« Hujus Concilii decretum super primatu a novatorum quo-
« rumdam, qui Tridentino Concilio abutuntur, *fallaciis* vindicat
« liber l'*Episcopato,* (parte 2, c. 5, n. 226, et pag, 390.)...

« Si igitur ex una parte abhorret a vero, et verbo Dei cum
« scripto tum tradito repugnat, *Romanum Pontificem nil posse*
« *in aliena diœcesi, præterquam extraordinario casu*, eumque

« non posse nisi *ad tempus, quousque periculum existit, gregem « verbo et exemplo pascere* ; jam funditus concidit ea Nuntiorum « ordinariorum et extraordinariorum distinctio, quam suo in- « genio confictam, nullaque auctoritate subnixam vestri « schismatici scriptores obtrudunt. Et rursus, si verbo cum « scripto tum tradito constat ex alia parte, Romanum Pon- « tificem, in vim sibi concreditæ universorum curæ ac solli- « citudinis, non solum posse ac debere in extraordinariis « eventis fratres fluctuantes confirmare et obvenienti malo « occurrere, sed insuper posse ac debere semper omni cum « auctoritate ordinaria atque perpetua malum ipsum quoad « ejus fieri potest antevertere ac præcavere, pascendo ac « regendo tam filios quam matres, tam populos quam Pas- « tores...; jam nemo non intelligit, vos aliorum captos insidiis « adversus veritatem præliari. Quemadmodum enim ipsi « conceditis inesse Pontifici, ubi extraordinaria eventa id « postulent, facultatem mittendi nuntios *extraordinarios* ad « mala purganda et tollenda, quæ altera pars est Apostolici « muneris cum Primatu conjuncti ; ita concedatis oportet « inesse eidem facultatem mittendi et habendi Nuntios *stabili* « præditos jurisdictione, ad bonum servandum, ad pascen- « dum et ad gubernandum, quæ altera pars est jurium « atque officiorum Apostolici Principatus ; pars, inquimus, « quæ nullis nec temporis nec loci limitibus est circumscripta, « quæque si non magis, non minus certe quam prima interest « christianæ reipublicæ : ita ut quicumque jus hoc Pontifici « adimendum curet, is naturam vimque primatus a Christi ins- « tituti radicitus convellat atque eruat.... Indubia Pontificis « jura habendi Nuntios stabili jurisdictione pollentes. »

CAPUT III.

DICTUM JUS ROMANI PONTIFICIS HABENDI PER VARIAS PROVINCIAS LEGATOS ET NUNTIOS, STABILI JURISDICTIONE MUNITOS EVINCIT CONSTANS ECCLESIÆ PRAXIS.

Prænotanda. — 1° Sensus positæ conclusionis est, constantem fuisse a primis Ecclesiæ sæculis disciplinam ac consuetudinem, ut Sedes Apostolica in variis mundi partibus haberet viros ecclesiasticos *stabili jurisdictione* munitos, qui Romani Pontificis vices obirent, ipsiusque potestatem in iis regionibus exercerent. Quod autem vario variis temporibus nomine ii viri vocati sint, concedimus : non enim de nomine disputamus, sed de re. *Apocrisiarios* seu *Responsales* nuncupatos fuisse qui apud imperialem Constantinopoleos aulam Romani Pontificis vices obibant, antiqua monumenta testantur. In cæteris mundi partibus Sedis Apostolicæ *Vicarii* seu *Vicarii Apostolici* olim dicti sunt. Recentiori ævo inolevit *Legatorum* et *Nuntiorum* denominatio.

2° Perpetuo extitisse hujusmodi viros, in variis mundi partibus cum stabili jurisdictione Romani Pontificis vice fungentes, non tantum edocet, sed et fuse probat Pius VI, in dogmatico decreto *Responsio super Nunciaturis* (capite 8, sectione 3 et seq.); quam demonstrationem sic exorditur : « Pro« batur jus idem ordinariarum Nunciaturarum ex constanti « Ecclesiæ disciplina... Jus hoc in Primatus cardine solide « constitutum multo fulgidiorem lucem mutuatur a constanti « Ecclesiæ consuetudine ac disciplina. Ad hanc enim oculos « convertentes, non jam Isidorianarum decretalium præsidio, « sed firmissimis monumentis ostendemus, Romanum Ponti« ficem, quo recte defungeretur injunctum sibi a Deo Apos« tolatus officium, habuisse semper a primis Ecclesiæ sæculis « ad hæc usque tempora in dissitis locis sub variis nominibus, « varios ecclesiasticos viros, aut ex provinciæ Episcopis se-

« lectos, aut ab Urbe missos, qui stabili jurisdictione muniti, « Suas illic vices obirent. »

3° Devii illi scriptores qui dictum jus Romano Pontifici denegant, ad eludendum peremptorium illud argumentum ex constanti Ecclesiæ praxi deductum, hocce dolo uti solent : Quoad supradictos *Apocrisiarios*, de quibus paucissima supersunt documenta, *fuse* exquirunt an jurisdictionem exercuerint ; contendunt eam non probari ex monumentis (quod mirum non est, cum paucissima circa hosce Apocrisiarios monumenta ad nos pervenerint) ; et cum ad summum concludere deberent, quoad ejusmodi Pontificios Legatos rem incertam esse, fidenter concludunt eos jurisdictione caruisse. Postea vero de *Vicariis Apostolicis*, quos statim a primis sæculis per varias provincias cum stabili jurisdictione constitutos a Sede Apostolica fuisse, testantur documenta plurima et apertissima, vix paucula verba subnectunt, et incauto lectori suam de Apocrisiariis conclusionem, ad Vicarios etiam Apostolicos extendendam obtrudunt. Et sic tandem ad falsas decretales et ad Curiæ Romanæ usurpationes referendam Nuntiorum cum stabili jurisdictione constitutorum disciplinam effutire non erubescunt. Quibus prænotatis, sit

§ I.

De Apocrisiariis Pontificiis, qui apud imperialem Constantinopoleos aulam permanenter degere solebant.

Propositio Iª. — *Apocrisiariorum origo, quinto saltem sæculo recentior non est.* — Sic habet Hincmarus (Operum tomo 2, pag. 206) : « Aprocrisiarii ministerium ex eo tempore sumpsit « exordium, quando Constantinus Magnus sedem suam in « civitate sua, quæ antea Bizantium vocabatur, ædificavit. « Et sic responsales tam Romanæ Sedis, quam et aliarum « præcipuarum sedium in palatio, pro ecclesiasticis negotiis « excubabant » (Citantur verba hæc in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 37, in nota). Magni saltem ponderis est

hocce Hincmari, noni sæculi scriptoris, testimonium.

Existimat Cardinalis Orsi, Leonis Magni tempore Apocrisiariorum institutionem exordium sumpsisse (vide apud Zaccaria, *Antifebronio*, tomo 3, pag. 8, edit. Cesenæ 1770). Et revera recentiorem saltem non esse illam institutionem, evincit laudati Pontificis epistola ad Marcionem imperatorem (Epist. 80, juxta editionem Quesnellianam), in qua sic habetur: « Illud quoque clementiæ vestræ benevolentiam peto, ut « fratrem nostrum Julianum Episcopum, in vestro, sicut fa- « cere dignamini, habeatis affectu; cujus obsequiis præsentiæ « meæ vobis imago reddatur. Nam et de fidei ejus sinceritate « confidens, vicem ipsi meam contra temporis hæreticos « delegavi, atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, « ut a comitatu vestro non abesset, exegi. »

Notentur verba hæc *sicut facere dignamini*, quæ innuunt, idem jam antea factitatum, nec primam fuisse ejusmodi legationem.

Propositio II^a^. — *Multo probabilius saltem est ejusmodi Apocrisiarios habuisse stabilem aliquam jurisdictionem, etsi forsan id ob deperditorum monumentorum jacturam rigorose probari nequeat.* — Dicimus stabilem *aliquam* jurisdictionem. Quod enim hæc, sicut hodie, ita etiam olim major vel minor, pro Romani Pontificis arbitrio esse potuerit, extra controversiam est. De quo sic adnotatur in responsione *super Nunciaturis*, pagina 200, editione 1790 : « Consuetudo erat Sedis Apostolicæ a primis » sæculis modo majorem, modo minorem tribuendi suis Vi- « cariis sive Legatis jurisdictionem; uti testatur Ivo, epistola « 59, inquiens : *Cum, secundum Leonem, legationis officium pars « sit Apostolicæ sollicitudinis, non plenitudo potestatis; quæ etiam « pars modo plus modo minus recipit pro arbitrio committentis.* » Quo prænotato, probatur posita conclusio.

I. *Ex modo citata Sancti Leonis magni epistola.* — Nam ibi agitur de Legato, qui *permanenter* apud imperialem Constantinopoleos aulam degere debeat, prout palam faciunt verba hæc : *Ut a comitatu vestro non abesset, exegi.* Aliunde huic Le-

gato collatam fuisse jurisdictionem non minus clare patet ex ista formula : *Vicem ipsi meam contra temporis hæreticos delegavi.* Vicem suam ei contra hæreticos non delegasset Pontifex, nisi potuisset sic delegatus contra hæreticos procedere, judicialemque sententiam in eos proferre ; ac proinde nisi potuisset jurisdictionem exercere. Et hunc esse revera dictæ formulæ sensum, probat modus quo hisce temporibus delegari solebant in aliis regionibus *Vicarii Apostolici.* His enim stabilem et amplam jurisdictionem committere solitos fuisse Romanos Pontifices omnino certum est, ut mox videbimus. Et tamen non alia formula hanc ei potestatem conferebant, quam his aut æquivalentibus verbis, *vices ei nostras commisimus.* Unde Apocrisiarius ille seu Legatus ad Marcionem imperatorem a Leone Magno missus, non merus responsalis fuit, sed cum vera et stabili jurisdictione constitutus.

II. *Ex epistola Constantini Pogonati anno* 682 *ad Leonem II scripta.* — Ibi enim sic legere est : « Hortamur porro Vestram « Sanctissimam Summitatem, ut quamprimum mittat, quem « designare solet, Apocrisiarium ; ut is in regia et a Deo « conservata nostra urbe degat, et in emergentibus sive dog- « maticis sive canonicis, ac prorsus in ecclesiasticis omnibus « negotiis Vestræ Sanctitatis referat personam » (Concilia Harduini, tomo 3, col. 1463). Verba hæc aperte supponunt morem fuisse tunc temporis Apocrisiarios mittere cum jurisdictione stabili seu ordinaria, et quidem amplissima. Quod si objiciat quis, agi de primis sæculis, ac proinde perperam allegari documentum sæculi septimi, respondeo : *primo*, omnino peremptorium est documentum contra adversarios; cum hi effutiant falsis Isidori Mercatoris decretalibus invectam Nuntiorum cum stabili jurisdictione disciplinam : esse enim falsas decretales octavo dumtaxat sæculo confictas nemo est qui ignoret. *Secundo,* allatum documentum quoad prima etiam sæcula multo probabiliorem saltem facit stabilem Apocrisiariorum jurisdictionem. Nam ex una parte nihil in contrarium ab adversariis adducitur : ex altera parte, supponunt allata verba ita ab antiquo fieri consuevisse.

III. *Ex concessione adversariorum.* — Fatentur hi potitos esse dictos Apocrisiarios jurisdictione, non stabili quidem et ordinaria, sed *delegata* ad particulares causas. De qua concessione vide *Responsionem super Nunciaturis,* cap. 8, n. 36 et 37. Equidem addunt hancce delegatam jurisdictionem *raram* fuisse et *exiguam :* at, prout citato loco adnotatur, « rara non erat « Aprocrisiariorum jurisdictio, ex Thomassini sententia (*Vetus « et nova disc.,* parte 1, l. 2, c. 108, n. 1; et c. 118 n. 14).... « Ex eodem Thomassimo adeo tenuis et exigua esse non po- « terat Apocrisiariorum jurisdictio, cum *delegatos* referat, ad « *disciplinam* in provinciis reintegrandam, ad *monasteria* pri- « stinæ sanctimoniæ restituenda, ad *causas abdicatorum Epis- « coporum* rursus ad examen vocandas, ad servandam tam « *decretorum Pontificiorum* quam *canonum* custodiam, uno « verbo ad *Personam Papæ repræsentandam* (citato libro 2, « capite 107). »

Jam vero verisimile non est eos qui a Papa ad id deputabantur ut Constantinopoli permanenter degendo tantam jurisdictionem tam crebro ibi exercerent, non accepisse hanc jurisdictionem per mandatum generale seu modo stabili determinatam ad certas causarum species. Id enim multo commodius et utilius statim ab initio videri debuit. Cur autem Sedes Apostolica id non fecisset ? An quia jus non habebat jurisdictionem exercendi in aliena diœcesi ? Sed hoc non minus delegatam Apocrisiariorum jurisdictionem exclusisset quam stabilem seu ordinariam : adversarii autem fateri coguntur ab ipsis delegatam ad particulares causas exerceri potuisse. Si potuit Summus Pontifex, vi Primatus, jurisdictionem Apocrisiariis suis impertiri ad particulares causas, cur non potuit modo stabili ad certas quasdam causarum species ? Si autem potuit, haud dubium quin fecerit; cum, ex dictis, hic Pontificii regiminis modus statim ab initio multo utilior et commodior in praxi videri debuerit.

IV. *Ex eo quod Summus Pontifex potuerit stabilem jurisdictionem dictis Apocrisiariis conferre.* — Id potuit, vi primatus, ex

probatis superiori capite. Porro si potuit, in dubio an fecerit, fecisse præsumendus est, nisi contrarium probetur : quia id ex natura sua utilius videri debuit. Nullatenus autem documentis probant adversarii, stabilem eis jurisdictionem collatam non fuisse. Imo nos in contrarium habemus duo supra allata documenta : ipsi autem pro sua opinione nullum. Ergo saltem probabilius est stabili aliqua jurisdictione donatos fuisse Apocrisiarios.

Nota. — Si tamen contendant dumtaxat adversarii ex Apocrisiariorum institutione non rigorose probari Legatorum Pontificiorum cum jurisdictione stabili disciplinam, ad abundantiam juris dicemus *transeat.* Esto, non probetur rigorose ex illorum Apocrisiariorum instituto : pericrunt siquidem circa Apocrisiarios monumenta : at luce meridiana clarius probatur disciplina hæc ex *vicariis Apostolicis*, qui per varias mundi partes a primis sæculis constituti sunt. Ibi tota vis argumenti quod ex constanti Ecclesiæ praxi deducimus. Prætermissis ergo Constantinopoleos Apocrisiariis, ad patefaciendam Vicariorum Apostolicorum Institutionem gressum faciamus.

§ II.

De Apostolico Vicariatu Illyrici.

Propositio I^a^. — *Jam a primis Ecclesiæ sæculis Romani Pontifices habebant in Illyrico vicarium, qui eorum nomine jurisdictionem exerceret in omnes Illyrici episcopatus et Archiepiscopatus; hocque munus Thessalonicensi Episcopo solebant committere.* — Potestatem quam prædecessores Pontifices Anysio Thessalonicensi Episcopo contulerant, confirmavit Sanctus Innocentius I, his verbis : *Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir* (Anastasius) *ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur sanctitati tuæ quæ plena justitiæ*

est traderent cognoscenda, meam quoque parvitatem hoc tenere judicium eamdemque habere voluntatem te decet recognoscere. (In collectione Lucæ Holstenii, pagina 45). Cum autem defuncto Anysio successisset Rufus, huic vicariatus Apostolici munus contulit (anno 412) idem S. Innocentius I, in hunc modum : *Divinitus ergo hæc procurrens gratia, ita longis intervallis disterminatis a me ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam causasque, si quæ oriantur per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, et Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, et Prevali ecclesias, Christo Domino annuente censeam... Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per supra scriptas ecclesias, salvo earum primatu, curam ; et inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finiatur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus.* (Epistola Innocentii I ad Rufum, in citata collectione Holstenii, pag. 48 et 49). Eumdem Rufum Thessalonicensem Episcopum, in vicarii Apostolici munere confirmavit Bonifacius, Innocentii I successor, ita ad eum scribens : *Te ergo, frater charissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice Sedis Apostolicæ a nobis creditas recognosces, ut et prava corrigas, et dissipata componas, et si quæ inter Episcopos eveniant causæ, sub divini judicii timore distinguas ; ut creditis tibi a Sede Apostolica gubernaculis, contra omnes fluctus nascentium procellarum juste et prudenter utaris* (in citata collectione Holstenii, pag. 56).

Hæc et alia, quæ mox afferentur, documenta, Illyrici Vicariatum Apostolicum omnino certum faciunt.. Quod autem a primis Ecclesiæ sæculis ejus origo repetenda sit, probat Pius VI (*Responsione super Nunciaturis*, pag. 202, edit. 1790) in hunc modum :

« Ad originem quod attinet Illyriciani hujus Vicariatus « ea incomperta atque obscura est apud eruditos, cum « pleræque antiquorum Pontificum et præsertim Damasi

« epistolæ interierint. Sed dubitari non potest, quin a pri-
« mis Ecclesiæ sæculis ea sit repetenda ; cum S. Innocentius,
« qui anno 412 novum Vicarium delegavit, id se facere de-
« claraverit *prædecessores nostros Apostolicos imitatos* (epistola
« ad Rufum, appud Labbæum, tomo 5, col. 845). Idemque
« prorsus innuunt verba S. Bonifacii, ita ad Rufum Thessalo-
« nicensem Episcopum scribentis, anno 422 : *Retro majoribus*
« *tuis super provincias Apostolicæ Sedis injunctum diligenter a*
« *tua charitate debet impleri* (Labbe, tomo 5, col. 846). Et
« verba alterius epistolæ, ad universos per Thessaliam
« Episcopos ab eodem per idem fere tempus missæ, in
« qua Pontifex eo prorsus modo Vicarii designationem con-
« siderat, perinde ac si esset *Jesu Christi præceptis* consenta-
« nea : *Audio enim,* ait, *Episcoporum quosdam Apostolico jure*
« *contempto, novum quidquam contra Christi propria præcepta*
« *tentare... Legantur etenim præcepta majorum, et quibus in ec-*
« *clesias juris aliquid dederint invenimus... Nihil novum aucto-*
« *ritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura*
« *ecclesiarum sæpe videtur injuncta. Quod factum ita servari vo-*
« *lumus in futurum, sicut a Patribus hujus dispositionis forma*
« *servata est... Nullus ea quæ sunt a Patribus gesta et per tan-*
« *tum temporis custodita, temerare contendat.* (Apud Labbe,
« tomo 5, col. 850). Similiter S. Sixtus eo nomine tertius,
« ad Episcopum Perigenem scribens anno 431, de Vicarii
« designatione locutus est, tanquam de more Ecclesiastica
« disciplina recepto. Ait enim : *Cum nihil novum illi a Nobis*
« *fuerit concessum ; sed id quod ejus decessoribus nostri decesso-*
« *res detulerunt, habita consideratione disciplinæ ecclesiasticæ,*
« *constitutum* (Labbe, tomo 5, col. 855). Eademque fere habet
« in alia epistola, quam ad Episcopos Thessalonicensis Synodi
« scripsit : *Nos fratri et coepiscopo nostro Anastasio tantum tri-*
« *buimus, quantum decessoribus ipsius a nostris decessoribus at-*
« *tributum. Priorum judicium sequimur hæc constituendo, quæ ab*
« *his novimus constituta* (apud Labbe, tomo 5, col. 855). Nec
« dissimili sermone usus est S. Leo I, in epistola quam Metro-

« politanis Illyrici scripsit, anno 444, hac edita declaratione : « Vicem itaque nostram fratri et coepiscopo nostro Anastasio, « secuti eorum exemplum quorum Nobis recordatio est venerande, commisimus (apud Labbe, t. 5, col. 863). Hisce « Pontificum testimoniis mirifice respondent testimonia ipsorum Episcoporum Illyrici, qui in id maxime incubuerunt, « ut antiquam hanc consuetudinem tuerentur adversus Patriarcham Constantinopolitanum et aliquot Episcopos ejus « asseclas, nova molientes contra Sanctæ Sedis ejusque Vicariorum jurisdictionem. » Allatis ibi pluribus aliis documentis, sic concludit Pius VI : « Si itaque ex indubiis monumentis certum est, Vicariorum Apostolicorum destinationem cum jure *perpetuæ legationis* habitam fuisse jam « inde ab ineunte sæculo quinto tanquam *veterem* Ecclesiæ « disciplinam, a *Patribus* et *majoribus* institutam, et *per tantum temporis* custoditam, nemo unus negabit, hujus institutionis originem esse a primis fere Ecclesiæ incunabulis « repetendam. »

Propositio II[a]. — *Dictum jus Vicarium stabili jurisdictione munitum in Illyrico habendi Romani Pontifices exercuerunt non solum ex vi Patriarchatus sui in Occidentem, sed etiam ex vi Primatus sui in universalem Ecclesiam.* — Hocce Apostolico Vicariatu Illyrici valde torquentur ii devii scriptores, qui Romano Pontifici jus denegant Legatos et nuntios jurisdictione munitos constituendi, præterquam ad tempus in casibus extraordinariis. Factum ipsum negare non audent. Ut autem argumenti ex ipso deducti vim aliquatenus eluderent, aliqui ex ipsis hoc effugium excogitarunt : Equidem, aiunt, Romani Pontifices in Illyrico præfatum jus exercuerunt ; sed quatenus *Patriarchæ* Occidentis, non quatenus Papæ seu universalis Ecclesiæ *Primates ;* (de hoc effugio vide *Responsionem super Nunciaturis,* pag. 206, edit. 1790) At dum subdola ista distinctione schismaticum suum circa Nunciaturas systema juvari existimant, errorem suum luculentius patefaciunt, et suam ipsimet condemnationem obsignant. Nam,

I. *Etiamsi Romanus Pontifex dictum jus non haberet nisi tanquam Patriarcha Occidentis, præfati scriptores seditionis et schismatis convicti remanerent.* — Dum nempe scriptores illi jus mittendorum cum stabili jurisdictione Nuntiorum Romano Pontifici denegant, id expresse et totis viribus quoad Occidentis regiones sustinent. Sane id quoad Germaniam Pii VI tempore sustinebant quatuor supradicti Germanici Archipræsules, cum suis sequacibus : id de Gallia et aliis Occidentis provinciis propugnant scriptores de quibus agimus; qui in id toto nisu intendunt, ut Nunciaturas stabili jurisdictione munitas in Occidente (de Oriente enim non curant) de medio tollant, et abusive in Episcopalium jurium detrimentum inductas persuadeant. Hos porro scriptores sic alloquor : Cogente Illyrici exemplo, jus agnovistis in Romano Pontifice, quatenus Occidentis Patriarcha, Legatos et Nuntios in variis patriarchatus sui provinciis habendi, stabili jurisdictione munitos : ergo dum jus illud negatis quoad Germaniam, Galliam aliasque Occidentis regiones, ex propria vestra sententia seditiosi estis et schismatici.

II. *Falsum est a Romanis Pontificibus tanquam Patriarchis dumtaxat, Apostolicos Illyrici Vicarios constitutos fuisse.* — Id palam fecit Pius VI in sua *Responsione super Nunciaturis*, capite 8, n. 47 : « Nimium tamen abest a vero, inquit, Pon-
« tifices, tanquam Patriarchas Occidentis tantummodo, suos
« per Illyricum Vicarios ablegasse. Omnes enim Pontificum
« litteræ, quæ de Vicariorum destinatione loquuntur, exhi-
« bent nobis constanti more Pontifices, tanquam *Primates*
« *Œcumenicæ Ecclesiæ*, et præseferunt pro causa necessitatem
« gerendæ per alios in tanta locorum distantia curæ et sol-
« licitudinis *universi gregis*, sibi unis Primatus jure concre-
« diti... Ita Bonifacius : *Summi rectoris, inquit, utaris officio. Nec*
« *potest tibi esse non proximus, qui Pastor Dominicarum ovium est*
« *perpetuus constitutus ; aut aliquam ubivis positam Ecclesiam*
« *non curare in quo universalis Ecclesiæ positum legimus funda-*
« *mentum*. (Epist. ad Rufum, apud Labbe, t. 5, col. 847.) Et

« in citata Epistola ad universos per Thessaliam Episcopos, « sermonem suum ita sublimiter exorditur : *Institutio uni-* « *versalis Ecclesiæ de Beati Petri sumpsit honore principium,* « *in quo regimen ejus et summa consistit... Nicænæ Synodi non* « *aliud præcepta testantur... Omnia denique huic noverat Domini* « *sermone concessa. Hanc ergo ecclesiis toto orbe diffusis velut* « *caput suorum certum est esse membrorum* (apud Labbe, t. 5, « col. 849). Nec minori sublimitate orationis in alia epistola « utitur, data Rufo et cæteris Episcopis per Macedoniam, « Achaiam, etc., constitutis, ubi sic ait : *Manet Beatum Apo-* « *stolum Petrum per sententiam Dominicam universalis Ecclesiæ* « *ab hoc sollicitudo suscepta : quippe quam Evangelio teste in se* « *noverit esse fundatam : nec unquam ejus honor vacuus potest* « *esse curarum; cum certum sit summam rerum ex ejus delibe-* « *ratione pendere. Quæ res animum meum ad Orientis loca* (scili- « cet Illyriciana), *quæ per ipsam sollicitudinem quodammodo* « *videmus, extendunt* (apud Labbe, t. 5, col. 899). » Alia si- milia documenta ibi addit Pius VI : tum sic pergit : « Quin « et Episcopi quoque Illyriciani perspicue agnoverunt ac « venerati sunt Primatus nomen et jura, quibus Pontificiæ « epistolæ personabant, simulque causam agnoverunt in *cura* « *universi gregis* constitutam, quam Pontificiæ litteræ exhi- « bebant... Hinc titulus Patriarchæ Occidentis, qui in Pon- « tifice coalescit cum titulo et dignitate Primatis, nihil potest « vi ac naturæ Primatus adimere ; cum præsertim titulus « Primatis, a Pontificibus delegantibus expressus, fuerit ab « Episcopis ad quos Vicarii delegabantur, agnitus ac recep- « tus. *Hoc enim* (inquiebat Stephanus ad S. Bonifacium) *opus* « *vestrum est, Beatissime, die ac noctu Sanctorum Patrum et* « *venerabilis atque Apostolicæ vestræ Sedis leges atque constituta,* « *in* OMNIBUS *quidem Ecclesiis,* PRÆCIPUE *autem in vestra Illy-* « *riciana provincia custodire* (apud Labbe, tomo 5, col. 839). « Addiditque Theodosius Episcopus Echiniensis : *Nam constat* « *venerandos Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes* « *Apostolica ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, et so-*

« *Iam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter* « *tamen gubernationi suæ Illyrici ecclesias vindicasse* » (apud Labbe, t. 5, col. 869).

PROPOSITIO III[a]. — *Amplissima fuit Apostolicorum Illyrici Vicariorum jurisdictio.* — « Reliquum est ait Pius VI (*super* « *Nunciaturis*, capite 8, n. 53 et seq.), ut videamus qualibus « facultatibus, in quas personas, et pro quibus rebus Illyri- « ciani Vicarii stabili ratione muniebantur. Amplissimæ qui- « dem erant hujusmodi facultates; adeo ut Pontifices professi « fuerint se illis ea *cuncta* committere, quæ a se geri potuis- « sent. *Ita quippe* (aiebat S. Bonifacius) *vice sua Beatus Apos-* « *tolus Petrus ecclesiæ Thessalonicensi* CUNCTA *commisit, ut in-* « *telligat se sollicitudinem manere multorum* (apud Labbe, t. 5, « col. 840). Nos, ut ordine procedat oratio, facultates distin- « guemus quæ *voluntariæ* jurisdictionis sunt, ab iis quæ *con-* « *tentiosæ* jurisdictionis vocitantur. »

I. « Ad facultates voluntariæ jurisdictionis quod attinet, « concessum eis fuit,

« *Primo*, jus illud quod *visitationis* ecclesiarum appella- « mus : *Te ergo* (verba sunt litterarum), *frater charissime,* « *omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice Sedis* « *Apostolicæ a nobis creditas recognosces, ut et prava corrigas et* « *dissipata componas* (Bonifacius Rufo, apud Labbe, tomo 5, « col. 847).

« *Secundo*, fuit eis concessum jus *inquirendi* probandique « *idoneitatem* illorum, qui ad Episcopale munus eveherentur : « *ipsum* (verba itidem sunt litterarum) *major cura respectet* « *eorum qui ad Episcopatum vocantur, discutiendi sollicitius et* « *probandi* (apud Labbe, t. 5, col. 855). Ita ut, *citra ejus* « *conscientiam* (ibid. col. 853), *et sine ejus consilio nullus ordi-* « *netur*; *nullus usurpet eodem inconscio commissam illi provin-* « *ciam* (ibid., col. 855). Et rursus : *Hoc inscio, vel invito, quem* « *de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat or-* « *dinare* (ibid.). Et similiter : *Nullus, te inconsulto, per illas* « *ecclesias ordinetur Antistes. Ita enim fiet, ut sint de eligendis*

« *matura judicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur.*
« *Quisquis vero de Metropolitanis Episcopis contra nostram præ-*
« *ceptionem, præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi*
« *apud nos status sui esse noverit firmitatem ; esseque usurpationis*
« *suæ rationem, qui hoc præsumpserint, reddituros* (apud Labbe,
« t. 5, col. 862).

« *Tertio,* fuit Vicariis jus datum *ordinandi Metropolitanos,*
« facta prius diligentiori in illos inquisitione : *Singulis autem*
« *Metropolitanis* (verba sunt earumdem epistolarum) *sicut po-*
« *testas ista committitur, ut in suis provinciis jus habeant ordi-*
« *nandi, ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari, maturo*
« *tamen et decocto judicio* (S. Leo, apud Labbe, t. 5, col. 892).
« *Ut vero* (ita habet epistola ad ipsos Metropolitanos Illyrici
« data) *vestræ dilectioni provinciæ suæ ordinatio permittitur Sa-*
« *cerdotum, ita fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium de*
« *ordinando Antistite volumus consulatis : cui Metropolitani*
« *Episcopi consecrationem statuimus reservari* (ibid. col. 892).

« *Quarto,* fuit eisdem tributum jus *convocandi Concilii,* si
« legitimæ causæ convocationis adessent, injuncto illis onere
« mittendorum actorum ad Apostolicam Sedem, pro eorum-
« dem actorum confirmatione. *Sit Concilium* (ita litteræ præs-
« cribunt) *quoties causæ fuerint, quoties ille pro necessitatum*
« *emergentium ratione decreverit ; ut merito Sedes Apostolica, re-*
« *latione ejus instructa, quæ fuerint acta confirmet* (S. Sixtus,
« apud Labbe, t. 5, col. 857). Item : *Ad Synodum quisquis*
« *fratrum fuerit evocatus, occurrat, nec Sanctæ Congregationi se*
« *deneget* (ibid. col. 192). Quin evocari ad Concilium sine ejus
« voluntate Episcopi non poterant : *Colligere, nisi cum ejus volun-*
« *tate Episcopos præsumant.* (S. Celestinus, appud Labbe, t. 5,
« col. 854). Et quoties evenisset, ut Vicarii Apostolici sententia
« foret a sententia Episcoporum simul unitorum diversa, tunc
« omnia essent sustinenda, et judicium Apostolicæ Sedis ex-
« pectandum : *Si autem in eo quod fratribus tractandum defi-*
« *niendumve credideris, diversa eorum fuerit a tua voluntate sen-*
« *tentia, ad nos omnia sub gestorum certificatione ferantur, ut*

« *remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur.* (S. Leo, « in *Decretis*, cap. 41, et epistola 48).

« *Quinto*, jus concedendæ Metropolitanis Episcopis veniæ « e suis discedendi ecclesiis ; ita ut, *si quis præter ejus cons-* « *cientiam, sine ejus epistolis atque formata venire tentaverit,* « *tanquam disciplinæ ecclesiasticæ despector et contemptor cano-* « *num, quos nos temerari aliqua ex parte non patimur, habeatur* « (S. Sixtus, apud Labbe, tom. 5, col. 856).

« *Sexto,* fuit eisdem jus datum, ut certiores fierent eorum « quæ a quocumque sive Episcopo sive sacerdote gerebantur : « *Ad eum quidquid a singulis sacerdotibus agitur, referatur* (ibid., « col. 857).

« *Septimo,* attributum pariter eisdem fuit jus ad examen « revocandi, curaque et studio diligenti referendi ea quæ « quis vellet ab Apostolica Sede postulare : *Quidquid eos ad* « *nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita* « *enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut* « *tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus* (S. Inno- « centius I, apud Labbe, tom. 5, col. 846.)

« *Octavo,* concessum iis denique fuit jus noscendi statum « ecclesiarum, deque illo ad S. Sedem ea qua par esset dili- « gentia referendi, ne Vicariorum culpæ verteretur, si quid « in antiquas sanctiones accidisset : *Ipsum vero* (ita litteræ « pergunt) *secundum definita canonum hoc vestra dilectio nostris* « *epistolis admonitum esse cognoscat, ut de statu ecclesiarum ves-* « *trarum certiores subinde sua relatione nos faciat ; sciturus sibi* « *a nobis imputandum, si quid de his quæ statuimus, a quoquam* « *fuerit temeratum* (S. Leo, ibid., col. 864.)

II. « Ad facultates vero quod spectat *contentiosæ* jurisdic- « tionis, judicium Vicariorum Apostolicorum subire *primo* debe- « bant causæ majores in prima instantia : *Ad Thessalonicensem* « *majores causæ referantur Antistitem* (S. Sixtus, apud Labbe, « tom. 5, col. 855 ; et S. Leo, ibidem, col. 854). *Deinde* « causæ quæcumque inter Episcopos et fratres obortæ : *Si* « *quæ inter Episcopos vel inter fratres nascantur actiones, eve-*

« *niant causæ, sub divini judicii timore distinguat atque definiat*
« (S. Bonifacius, ibidem col. 847 ; S. Sixtus, ibidem, c. 657).
« *Quidquid causarum, ut assolet, inter consacerdotes eveniret,*
« *ejus, cui vicem nostram commisimus, examini reserventur, ut*
« *illo sub Dei timore præsule omnis ambiguitas finiatur* (S. Leo,
« ibid., col. 864). *Tertio*, causæ et actiones quævis, quibus
« aliquis contra Episcopum ageret : *Si quod causarum aut inter*
« *fratres natum fuerit, aut fratri cuiquam aliqua actio qua pul-*
« *setur illata, aut illic fratre et coepiscopo nostro Anastasio judice*
« *eveniens negotium terminetur, qui vices Apostolicæ sedis agere*
« *ex nostra voluntate cognoscitur, aut ad nos, si illic finiri non*
« *potuerit, eodem tamen suis litteris causam omnem quæ vertit*
« *prosequente, veniat examen* (S. Sixtus, ibid., col. 857.)

« Licitum præterea erat Vicariis Apostolicis, de aliis causis
« ecclesiasticis judicium ferre, sive per se, sive adhibitis in
« socios et consiliarios illis Episcopis quos eligere maluissent;
« permissumque erat eisdem designare judices, illisque causas
« definiendas delegare : *Licitum autem* (perampla sunt litte-
« rarum verba) *et Apostolicæ Sedis favore permissum tuæ fra-*
« *ternitati cognosce, ut cum aliqua ecclesiastica ratio vel memora-*
« *tis provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis Episco-*
« *porum socios quibuscumque de ecclesiis assumas tecum ; quorum*
« *et fide et moderatione quidquid necessitas causave flagitaverit,*
« *optimus dirigas arbiter, et præcipuus, quippe a nobis lectus,*
« *definias intercessor* (S. Innocentius Rufo, apud Labbe, t. 5,
« col. 846 ; et S. Bonifacius, ibid. col. 852). *Ipse optimos*
« *solertissimosque de vestro numero eligat, quos negotiis secum*
« *adciscat arbitros, aut sine se tribuat, qui in disceptatione missa*
« *componat* (S. Sixtus, ibid. col. 855.)...

III. « Hæ autem facultates, cum voluntariæ tum conten-
« tiosæ jurisdictionis, quemadmodum *omnes* causas et negotia
« ecclesiastica comprehendebant, ita comprehendebant etiam
« *fideles omnes, omnesque Episcopos et Metropolitanos ;* qui cer-
« tiores effecti per epistolas de Vicariorum ad se legatorum
« destinatione, explicite monebantur, ut illos susciperent,

« susceptosque reverentia et honore prosequerentur; ut in « delegatis supremam delegantis dignitatem suspicerent; « utque eorum voluntati et constitutis parerent ac se confor- « marent, si sua privilegia salva esse vellent... En litterarum « verba : *Servate honorem debitum capiti... Ordinationi nostræ « pareat quisquis se Episcopum recognoscit* (S. Bonifacius, apud « Labbe, tom. 5, col. 850). *Vestrum caput respicere et honorare « vos condecet, quoniam honor capitis ad spem totius proficit « sanctitatis. Reservate fratri et coepiscopo nostro reverentiam « quam debetis* (S. Sixtus, ibid. col. 857). *Nullus obviet salu- « bribus constitutis, nullus præceptionibus his resultet. Habeant « honorem suum Metropolitani, salvo hujus privilegio, quem hono- « rare debeant magis honorati* (S. Sixtus, ibid. col. 855). *Nec « credatis vobis minui quidquid reverentiæ illius, ad quem et ma- « jores nostri et nos Illyricianas ecclesias juxta morem traditum « voluimus pertinere, a vestra dilectione et servari volumus et « deferri* (Idem, ibid. col. 857). *Ad ipsos etiam Metropolitanos « singularum provinciarum nostra quibus eos moneremus scripta « direximus, ut noverint Apostolicis obediendum esse sententiis, et « tunc se nobis parere, cum fraternitati tuæ ex nostra delegatione « cœperint, secundum ea quæ scripsimus, obedire* (S. Leo, ibid. « col. 863).

IV. « Et sicut omnis vilescit auctoritas, nisi vim habeat « adjunctam continendi homines in officio, et compellendi « coercendique contumaces formidine pœnæ, ita hæc, pro- « vido sane consilio, addita sunt : *Hac præceptione cognoscent, « et eum qui refragandum nostræ auctoritati, vel illius credide- « rit jussioni, a fraternitatis cœtu cum ipse se separet segregandum* « (S. Celestinus, ibid., col. 854). *Quapropter, frater carissime, « fretus jamdudum, a te auctoritate suscepta, contra inimicas « turmas idoneus Dei nostri miles armare... Habes Beatum Apos- « tolum Petrum, qui ante te pro sua possit vi repugnare... Non « patitur ille Sedis suæ perire privilegium... Aderit nimirum et « violatores canonum, atque ecclesiastici juris inimicos Deo auc-*

« *tore compescet. In cæteros etiam contumaces jus concessæ pote-*
« *statis exerce* (S. Bonifacius, ibid., col. 849.)

V. « Stabili huic voluntariæ et contentiosæ jurisdictioni « paruerunt Episcopi. » Id documentis ibi probat Pius VI : tum sic prosequitur : « Quod si nonnulli ex Episcopis Illyri-
« cianis, *ægre ferentes sibi in omnibus causis ecclesiasticis super-*
« *positum esse Thessalonicensem Episcopum, nacti occasionem*
« *turbandi, querelam istam ad aures Theodosii Augusti detulerunt,*
« *simulque suggesserunt, ut Constantinopolitanæ urbis Antistiti*
« *hunc honorem tribueret* (verba sunt Baluzii, in continuatione
« Petri de Marca, *de Concordia sacerdotii et imp.*, l. 5, c. 24,
« n. 10) ; et rursus si Theodosius falsis est circumventus
« horum Episcoporum clamoribus ; si denique idem Theodo-
« sius, horum invidorum suasionibus permotus legem edidit,
« anno 421 votis Episcoporum consentaneam ; vos, venera-
« biles fratres (1), qui miserandum in modum in errorem
« inducti, illorum estis exempla secuti, ad Cæsarem defe-
« rentes injustas vestras querelas adversus stabiles Nunciatu-
« ras, ignorare non potestatis, Beatum Apostolum Petrum
« *Sedis suæ perire privilegium* non permisisse. »

Conclusio paragraphi. — Ex hisce documentis, Illyricianas ecclesias respicientibus, facile perspiciet lector quam egregie mentiantur illi omnes scriptores, qui Pontificiorum Legatorum ac Nuntiorum stabili jurisdictione munitorum disciplinam, recenti ævo, (faventibus scilicet octavo sæculo confictis Isidori decretalibus) inductam, sicque convulsa propria ac nativa Episcoporum jura, dictitant. Et tamen hisce mendaciis scatet tota illa colluvies librorum, a Janseniani, Febroniani et Gallicani systematis propugnatoribus compositorum, qui hodiedum, in Gallia aliisque regionibus, virorum etiam ecclesiasticorum ac seminariorum bibliothecas opplent ; non sine magno (ut ego reor), quoad multos, ebibendæ erroneæ doctrinæ periculo.

(1) Alloquitur Pius VI quatuor Germaniæ Archiepiscopos, qui Nuntiorum jurisdictionem agnoscere renuebant.

§ III.

De Vicariis Apostolicis a remotissima antiquitate in Gallia constitutis.

PROPOSITIO I^a.—*Sicut in Illyrico, ita et in Galliis, a remotissima antiquitate, Romani Pontifices Vicarium habebant, stabili et ampla munitum jurisdictione in ecclesiasticas hujus regionis provincias : hocque munus Arelatensi Episcopo solebant committere.*— « Vicariatui Illyriciano simillimus fuit Vicariatus Arelatensis, « si ejus spectetur antiquitas. Nam hic quoque a primis Ec- « clesiæ sæculis suam ducit originem... Item hi duo Vicariatus « fuere simillimi inter se, sive nomen titulusque inspiciatur ; « ambigi enim nequit quin et Vicariatus Arelatensis a Ponti- « fice Summo tanquam a Primate prodierit : sive causa atten- « datur institutionis ejusdem ; quæ non alia certe fuit, nisi « necessitas suo defungendi munere per alios, cum per se « idem præstare magna locorum distantia Pontifices prohi- « berentur : sive sermo habeatur de facultatibus voluntariæ « et contentiosæ jurisdictionis : sive denique res sit de obse- « quio deque observantia qua Episcopi hunc etiam Vicarium « prosequi debebant. » (Pius VI, in *Responsione super Nuncia- « turis*, capite 8, n. 83.)

E pluribus quæ ad id probandum afferri possent documentis, hæc pauca dumtaxat, brevitatis causa, subjicimus :

Hilarus, qui Summus Pontifex creatus est anno 461, ad Leontium Arelatensem Episcopum scribens de Hermete, (qui a civitate, ad quam ordinatus Episcopus fuerat, non receptus, metropolitanam Narbonæ sedem invaserat), sic conqueritur quod idem Leontius, ejusmodi attentatum, nec ipse repressserit, nec Sedi Apostolicæ denuntiaverit : « Miramur frater- « nitatem tuam ita legis catholicæ immemorem esse, ut quæ- « dam iniqua et contra patrum nostrorum statuta, in provincia « quæ *ad monarchiam tuam* pertinet, si ipse aut non vis aut « non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas

« corrigere. » (Apud Labbe, tomo 4, col. 1040, edit. Parisiis 1671). Notentur verba hæc, *in provincia quæ ad monarchiam tuam pertinet :* agitur de provincia Narbonensi, quæ Arelatensi Præsuli tanquam Metropolitano nullatenus subjacebat ; siquidem Narbonensis sedes et ipsa erat metropolitana. Ergo Arelatensi Episcopo subjecta erat tanquam Sedis Apostolicæ per Gallias Vicario.

Idem Hilarus Papa ad provinciarum Galliæ Episcopos : « Per annos itaque singulos, ex provinciis quibus potuerit « congregari, habeatur episcopale Concilium : ita ut oppor- « tunis locis atque temporibus, secundum dispositionem « fratris et coepiscopi nostri Leontii, *cui sollicitudinem in con-* « *gregandis fratribus delegavimus,* Metropolitanis per litteras « ejus admonitis, celebretur. » (Apud Labbe, tom. 4, col. 1042, edit. Parisiis 1671.)

Symmachus Papa,, qui anno 498 Ecclesiæ clavum regere cœpit, ita loquitur in sua ad Arelatensem Præsulem epistola : « Decernimus ut circa ea quæ tam in Galliæ quam in Hispaniæ « provinciis de causa religionis emerserint, solertia tuæ fra- « ternitatis invigilet : et si ratio poposcerit præsentiam sacer- « dotum, servata consuetudine, unusquisque tuæ delectionis « admonitus auctoritate conveniat. Et si Dei adjutorio con- « troversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis « applicemus : alioquin existentis negotii qualitas ad Sedem « Apostolicam te referente perveniat... Et in hac parte mag- « nopere te volumus esse sollicitum, ut si quis de gallicana « vel hispana regionibus, ecclesiastici ordinis atque officii, « ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuæ noti- « tia iter peregrinationis arripiat. » (Apud Labbe, tomo 4, col. 1310 et 1311, edit. Parisiis 1671.)

In epistola sancti Gregorii Magni *universis Episcopis Galliarum qui sub regno Childeberti sunt,* hæc occurrunt verba : « Quia igitur unumquodque tunc salubriter completur offi- « cium, cum fuerit unus ad quem possit recurri *præpositus*, « idcirco opportunum esse perspeximus in ecclesiis quæ sub

« regno præcellentissimi filii Childeberti regis sunt, *secundum* « *antiquam consuetudinem*, fratri nostro vigilio Arelatensis civi- « tatis Episcopo *vices nostras tribuere.* » (Libro 5 epistolarum, epistola 54, editionis 1770 ; et citatur in *Responsione super Nunciaturis,* cap. 8, n. 84.)

Ex iis documentis satis constat, jam a remotissima antiquitate Arelatenses Episcopos fuisse Vicarios Apostolicos ; et quatenus tales, stabilem in Galliæ provincias jurisdictionem obtinuisse.

Propositio IIª. — *Vicarius Apostolicus cum stabili jurisdictione constitutus est sanctus Remigius, quoad regiones Clodovei Regis ditioni subjectas.* — Pontificiæ litteræ, quæ sancti Remigii deputationem in Vicarium Apostolicum exprimunt, inscribuntur Hormisdæ Papæ, qui anno 514 Pontifex creatus est. Ast erronee has litteras Hormisdæ tribui, et esse alicujus paulo anterioris Pontificis existimant eruditi (vide Bianchi, *Della potesta e della politia della chiesa,* tomi 5 parte prima, libro 3, cap. 1, § 3, n. 20 et seq.). Cæterum authenticas esse, et paulo post collatum Clodoveo baptisma conscriptas, in confesso est apud omnes. In iis autem sic disponitur : « Vices « itaque nostras per regnum dilecti et spiritualis Filii Nostri « Clodovei, quem nuper, adminiculante superna gratia, plu- « rimis et Apostolorum temporibus æquiparandis signorum « miraculis prædicationem salutiferam concomitantibus, ad « fidem cum gente integra convertisti, et sacri dono baptis- « matis consecrasti, salvis privilegiis quæ Metropolitanis decre- « vit antiquitas, præsenti autoritate committimus ; augentes « studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes « nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet « de singulis non indigeas edoceri, a quo jam probavimus « acutius universa servari, gratius tamen esse solet, si ituris « trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma « monstratur. Paternas igitur regulas et decreta sanctissimis « diffinita Conciliis ab omnibus servanda mandamus... Quoties « univeræ poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres

« evocante conveniant, et si quos eorum specialis negotii « pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa « sacra lege determinando certamina. Quidquid autem illic « pro fide et veritate constitutum, vel provida dispensatione « præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confir- « matum, totum ad scientiam nostram instructa relationis « attestatione perveniat. Eo fiet ut et noster animus officii « caritate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te « incolumem custodiat, frater carissime. » (Apud Labbe, ultima pagina tomi 4, edit. Parisiis 1671.)

§ IV.

De Apostolico Vicariatu Hispalensi.

I. *Vicarius Apostolicus quoad Hispaniarum ecclesias a Simplicio Papa constitutus est Hispalensis Episcopus.* — Constat epistola laudati Pontificis (qui anno 467 Summum Pontificatum adeptus est) ad Zenonem Hispalensem Episcopum ; quæ epistola (apud Labbe, tomo 4, col. 1068, edit. Parisiis 1671) sic summatur : « Ad Zenonem Spalensem Episcopum, de commissa « illi vice Apostolicæ Sedis in omnibus Hispaniarum ecclesiis. « Hispalensem Episcopum virum optimum Sedis Apostolicæ « Vicarium constituit. » Ipsa autem epistola tenoris sequentis est : « Dilectissimo fratri Zenoni Simplicius. — Plurimorum « relatu comperimus, dilectionem tuam fervore Spiritus « Sancti ita te Ecclesiæ gubernatorem existere, ut naufragii « detrimenta, Deo auctore, non sentiat. Talibus idcirco glo- « riantes indiciis, congruum duximus, vicaria Sedis nostræ « te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apostolicæ « Institutionis decreta, vel sanctorum terminos Patrum nullo- « modo transcendi permittas : quoniam digna honoris remu- « neratione cumulandus est, per quem in his regionibus « divinus crescere innotuit cultus. Deus te incolumem custo- « diat, frater carissime. »

II. *Per Bæticam et Lusitaniam Vicarius Apostolicus constitutus est Sallustius, Hispalensis Episcopus, a Papa Hormisda.* — Constat sequenti epistola Hormisdæ, qui anno 514 ad Summum Pontificatum evectus est : « Carissimo fratri Sallustio Hormisda... — Congruum esse perspeximus, hanc ipsam quam « mente gerimus expedire lætitiam. Edidisti enim boni documenta Pontificis, dum et prædicanda facis, et ea suadere « non differs... Suffragantibus igitur tibi tot meritis piæ sollicitudinis et laboris, certe jam delectat injungere quæ ad « nostri curam constat officii pertinere; ut provinciis tanta « longinquitate disjunctis, et nostram possis exhibere personam, et Patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque « nostras per Bæticam Lusitaniamque provincias, salvis privilegiis quæ metropolitanis Ecclesiis decrevit antiquitas, « præsenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus « participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras « ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, quem jam probavimus cautius « universa servare, gratius tamen esse solet, si iterum (1) « trames ostendatur, et laboris injunctio superius formata « monstretur. Paternas igitur regulas et decreta a Sanctis « definita conciliis, omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus... Quoties universalis poscit religionis « causa, ad concilium te cuncti fratres evocante conveniant: « et si quos eorum specialis negotii pulsat contentio, jurgia « inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illis pro fide et veteribus « constitutis, vel provida dispositione præcipies, vel personæ « nostræ auctoritate firmabis, totum ad scientiam nostram « instructæ relationis attestatione perveniat, ut noster animus « officii caritate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. « Deus te incolumem custodiat, frater carissime. » (Apud Labbe, epistola 26, tomo 4, col. 1468, edit Parisiis 1671).

(1) Legendum videtur *ituris*, sicut in epistola supracitata ad S. Remigium.

§ V.

De Vicariatu Apostolico Siciliæ.

« Similis et æquæ antiquitatis est Vicariatus Siculus, cui « Sancta Sedes modo Episcopum indigenam, modo ecclesias- « ticum præfecit ab Urbe missum, eadem ex causa, et iisdem « donatum facultatibus ad populorum commodum atque uti- « litatem » (Pius VI, in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 86).

Id, inter alia documenta, edocet Sancti Gregorii Magni epistola ad Episcopos Siciliæ : « Valde necessarium esse per- « speximus, inquit, ut sicut prædecessorum nostrorum fuit « judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus ; « et ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, « cui præcipimus, repræsentetur auctoritas. Quamobrem « Petro, subdiacono Sedis nostræ, intra provinciam Siciliæ « vices nostras, Deo auxiliante, commisimus » (Libro I, epistola I, editionis 1770). Idem Pontifex, epistola ad Maximianum Syracusanum Episcopum (libro 2, epistola 7, editionis 1770), eidem Sedis Apostolicæ vices committit *super cunctas Siciliæ ecclesias ;* cujus agendi rationis causam sic exponit : « Quatenus eis non sit necessarium post hæc pro « parvulis ad nos causis tanta maris spatia transmeando per- « venire ; sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ frater- « nitatis tuæ judicio nequaquam dirimi possint, hæc solum- « modo nostrum judicium flagitent ; ut sublevati de minimis, « in causis majoribus efficacius occupemur. »

§ VI.

De Vicariatu Apostolico sancti Bonifacii Germaniæ Apostoli.

Sanctus Bonifacius, Germaniæ Pater, Apostolus et martyr, ad prædicandum per eas septentrionales regiones divinum

verbum missus est a Gregorio II; prout adnotatur in vita hujus Pontificis, qui anno 714 suprémo Ecclesiæ regimini præpositus est (vide apud Labbe, tomo 6, col, 1431, edit. Parisiis 1671). Quod autem S. Bonifacius ad inclytum usque vitæ suæ exitum Pontificii per Germaniam Legati munere functus sit, negat nullus. At legationem hanc inter *extraordinarias* computandam, non autem *ordinariis* seu *stabilibus* adcensendam, persuadere vellent ii scriptores, qui *stabiles* Nunciaturas exosas habent. Quem errorem sic confutat Pius VI (in *Responsione super Nunciaturis*, capite 8, n. 89) : « Non negabimus « hujusmodi Legationem initio extraordinariam fuisse, ob « evangelizandi causam. Sed postquam Bonifacius renuntiatus « fuit Archiepiscopus Coloniensis, et deinde Archiepiscopus « et Primas Moguntinus, postquam suas Coloniæ primum et « deinde Moguntiæ Sedes ac domicilium collocavit, ambigi « sane nequit, quin hujusmodi legatio, quæ initio extraordi- « naria fuerat, a tribus subinde Pontificibus renovata, eva- « serit *ordinaria*, licet martyris morte finierit... Bonifacius « reapse uti semper consuevit *Legati Germanici* nomine : « quinimo si Ecclesias visitavit, si novos episcopatus instituit, « si synodos nationales et provinciales coegit, si leges salu- « berrimas condidit.., si malos usus avulsit, si disciplinam « moderatus est; hæc aliaque omnia peregit *vice Apostolica* « functus. »

Objicies : — Petrus de Marca, Bohemerus et alii adnotant, Sanctum Bonifacium ita egisse cum *consensu* regum et Episcoporum : ergo inde probari nequit jus Romani Pontificis habendi Legatos aut Nuntios cum jurisdictione stabili (vide hanc objectionem in *Responsione de Nunciaturis*, cap. 8, n. 88).

Respondeo : Nego consequens. Ex eo enim quod Principes patrocinium præstiterint, ut par erat, et Episcopi sese Bonifacii auctoritati subjecerint, ut facere tenebantur, non minus certum est, extitisse tunc apud Germanicas ecclesias, et statim ab ipsarum exordio, Legatum stabili jurisdictione munitum : nec minus idoneum est factum istud, cum aliis conjunctum,

ad probandam perpetuam Ecclesiæ praxim : « Ita ut, inquit « Pius VI, non nisi per manifestam injuriam a Petro de Marca « et ab Henningio Bohemero, principum patrocinia et Epi- « scoporum obsequia confundantur et commisceantur simul « cum *libera* tum regum tum Episcoporum *consensione*; per- « inde ac si sine hujusmodi consensu nec Pontifices mittere « Nuntios, nec Nuntii a Pontifice missi ullam possent juris- « dictionem exercere : quo absurdius nihil esse potest, et « magis ab antiqua Ecclesiæ disciplina alienum » (in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 91).

§ VII.

Concluditur argumentum ex constanti Ecclesiæ praxi deductum.

1° Per octo priora Ecclesiæ sæcula, viguisse disciplinam ut Romanus Pontifex in dissitis regionibus haberet viros ab ipso constitutos et stabili jurisdictione munitos, qui vices ejus obirent, certum omnino faciunt allata de priscis *Vicariis Apostolicis* documenta.

2° A sæculo nono usque ad decimum quintum, loco *Vicariorum Apostolicorum*, sibi constituit Sedes Apostolica *Legatos natos*, qui idem munus explerent. Id extra controversiam est, et patebit ex dicendis infra (sectione 2, capite 2).

3° A sæculo XV ad hodierna usque tempora, viguit Nunciaturarum, stabili jurisdictione munitarum disciplina, ut norunt omnes.

4° Ergo constans Ecclesiæ praxis fuit, ut Romanus Pontifex potestatem in variis mundi partibus exerceret per Legatos, non tantum extraordinarios, sed et stabili jurisdictione munitos. Ergo Romanus Pontifex jus istud habet.

CAPUT IV.

DICTUM JUS ROMANI PONTIFICIS PROBAT CONCILIORUM AUCTORITAS.

In usu erant Nunciaturæ stabiles Concilii Tridentini tempore. De facultatibus quæ Nuntiis concedi solebant, an aliqua ex parte moderandæ forent, expenderunt Tridentini Patres. Et decreverunt quidem, ut in posterum causæ ecclesiasticæ *in prima instantia* deberent ab Episcopis dirimi, nec jam possent ad Nuntii curiam primæ causarum instantiæ deferri : at in reliquis intactam Nuntiorum potestatem reliquerunt; sicque facto suo confirmarunt jus Romani Pontificis, Nuntios habendi stabili jurisdictione munitos.

Idem jus agnoverat ipsum etiam Basileense Concilium; « quod tantum abest ut unquam de legationibus abolendis « cogitaverit, ut, intacto relicto Romanorum Pontificum jure, « animum tantummodo adjunxerit ad coercendas facultates « Legatorum, et ad auferendas eisdem beneficiorum vacatu- « rorum reservationes. Sed si Concilium imposuit quemdam « dumtaxat Legatorum facultatibus modum, sic ut partem « tantummodo earumdem adimeret, jam patet agnovisse « ipsos Basileenses jus legationum; et alias omnes Legatorum « facultates, quæ non fuerunt coercitæ, integras intactasque « ipsa Concilii lege mansisse » (Pius VI, *Responsio super Nunciaturis*, cap. 8, n, 150).

E plurimis aliis Synodis idem evinci posse sic adnotat laudatus Pius VI : « Percurrite, venerabiles fratres, Synodos « omnes, quotquot a Christiana religione condita habitæ sunt, « et plures vobis canones occurrent, qui Pontificias legationes « agnoscunt ac reverentur : alii qui Legatorum jura com- « mendant : alii denique, qui legationum Legatorumque fa- « cultates arctioribus quibusdam vinculis coercent, ut lega- « tiones ipsæ a quacumque *vitii suspicione* liberentur, utque

« principibus, Episcopis, ac populis gratiores reddantur. Sed « canonem invenietis *nullum*, qui ad *casum extraordinarium* « *tantummodo* coercendum unquam curaverit hoc Primatus « officium, quod ex divina ipsa institutione ita *stabile ac per-* « *petuum* oportet esse, ut nullis septum limitibus teneatur. » (*Responsio super Nunciaturis*, cap. 8, n. 151).

CAPUT V.

SYSTEMA GALLICANUM CIRCA PONTIFICIOS LEGATOS ET NUNTIOS, ERRONEUM EST, SEDITIOSUM, ET IN SCHISMA INDUCENS.

Agimus hic de Gallicano systemate, quale supra (capite 1, n. 4) exposuimus, nonnulla transcribendo loca ex opere *Mémoires du clergé*. Nimirum, juxta propugnatam a nimium multis Gallicanis scriptoribus doctrinam, Nuntiis in Gallia nulla competit jurisdictio; ita ut censendi sint tanquam meri Papæ oratores (des Ambassadeurs du Pape). Item Legati a latere nullam in Gallia jurisdictionem exercere possunt, nisi rex annuerit. Si quid in contrarium a Nuntiis, Legatisve, aut ab ipso etiam Papa peragatur, id pro attentato ac nulliter acto in Galliis haberi dictitant. Hocce doctrinæ monstrum non propugnant præfati scriptores *ex jure communi*, sed ex *jure particulari*, quo Gallicanam ecclesiam potiri asserunt vi suarum consuetudinum seu *Libertatum*. Contra quod systema sit,

Propositio I^a^. — *Mendaciter asseritur ab antiquo vigere in Gallia consuetudinem seu libertatem non agnoscendi Legatorum Pontificiorum jurisdictionem.* — Etenim 1° per octo priora sæcula in Gallia *Vicarii Apostolici*, stabili et ampla jurisdictione muniti, hanc jurisdictionem perpetuo exercuerunt; prout eruditis explorata res est, et constat ex adductis supra (capite 3) documentis.

2° A nono sæculo usque ad decimum quintum, pariter in Gallia sicut et in aliis regionibus jurisdictionem exercuerunt

ii Pontificii Legati, qui *nati* dicebantur. Equidem ejusmodi Legatorum natorum jurisdictionem ægre ferebant Metropolitani, ut infra dicetur; idque videtur in causa fuisse cur Sedes Apostolica hisce Legatis natis uti paulatim desierit. At quandiu eos retinuit, agnita est eorum auctoritas. Neque enim eorum jurisdictionem negabant Metropolitani; sed ut ab ea eximerentur instabant apud Sedem Apostolicam. « Ubi « Sancta Sedes, ait Pius VI, stabiles Legationes contulit ad « illustriores Primates et Metropolitas, inter eos omnes in- « ventus est nemo qui non arbitraretur perhonorifice secum « actum fuisse; adeo ut gloriæ sibi ducerent nuncupari in « quolibet actu *Legati Apostolici ex gratia et misericordia Se-* « *dis Apostolicæ*... Nulla tunc quæstio erat super jure Aposto- « licæ Sedis *stabiles* habendi Legatos, et nemo tunc dubitavit « unquam, quin Episcopi tenerentur Legatum suscipere ac « venerari, et *Sanctæ Sedis Legationi assensum quam citissime* « *præbere*, ut verbis utar Rutardi Archiepiscopi Moguntini, « ad annum 1090. Nihil tunc erat quod Legato non licuisset: « causas, etiam exemptorum, cognoscere; Concilia convo- « care; visitationes suffraganeorum obire; eorum electionem « moderari; censurarum pœnas infligere;... Episcopos de « gradu dejicere; eosque redintegrare, ubi per injuriam « fuissent e sua sede dejecti. » (*Responsio super Nunciaturis*, cap. 8, n. 120).

3° Ad Legatos *extraordinarios* quod attinet, quos (præter ordinarios) omni ævo identidem pro gravioribus negotiis Sedes Apostolica deputare consuevit, dubium non est quin, intra duas supradictas epochas, in Galliis sicut et in cæteris regionibus Pontificiam jurisdictionem exercuerint. Hinc,

4° Prætensa Galliæ libertas seu consuetudo, Pontificiorum Legatorum jurisdictionem non agnoscendi, si qua revera unquam exstiterit, non esset *antiquæ* disciplinæ retentio, sed recens ab ea discessus. Proinde non nisi mendaciter a primis Ecclesiæ sæculis, aut etiam a temporibus Tridentinæ Synodo anterioribus traducta prætenderetur.

5° Quod autem tribus circiter abhinc sæculis, ad sensum schismatici Pithou clamitare non desinant Parlamentorum advocati, et moderati etiam Gallicanismi propugnatores, carere jurisdictione in Gallia Nuntios, itemque Legatos a latere nisi regis accedat consensus, non inficias imus. Tot aliis moliminibus quibus Gallicani hoc temporis tractu Sedis Apostolicæ auctoritati seditiose restiterunt, esse et illud adnumerandum concedo.

Nihilhominus, hoc etiam temporis spatio, et non obstantibus contrariis querelis, haud cessasse Galliæ Nuntios jurisdictionem (qua muniti semper fuerunt) data occasione exercere, ita ut prætensa consuetudo nunquam de facto inducta fuerit, haud puto probatu difficile. Id tamen, quia longiorem documentorum disquisitionem requireret, aliis probandum relinquo. Dato ergo, non concesso, viguisse in Gallia, a duobus aut tribus ultimis sæculis, assertam consuetudinem seu libertatem, dicimus eam, utpote illegitimam et intrinsece pravam, nunquam in jus transiisse aut transire posse. Nimirum,

Propositio II[a]. — *Prætensa libertas seu consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ, Pontificiorum Legatorum jurisdictionem non agnoscendi, aperte pugnat cum jure Primatus Romano Pontifici divinitus collato.* — Diligenter notetur in quo stet dicta libertas juxta Gallicanum systema: hujus nempe systematis propugnatores non dicunt tantummodo *consentire Papam* ut ipsius in Gallia Nuntiorum jurisdictio non agnoscatur, et ob istum consensum, licite non agnosci dictam jurisdictionem. Si hoc solum dicerent, brevi dirimeretur quæstio: falso supponi ejusmodi Summi Pontificis consensum facile probaretur, vel ex ipso diplomate quo suas cuique Nuntio ad Galliam misso facultates tribuit Summus Pontifex; nec deesset, ad dubia quælibet tollenda, expressum ipsius de sua voluntate testimonium. At longe aliter res intelligitur in Gallicano systemate. Ita nempe ejus propugnatores dictam libertatem intelligunt, ut nequeat Papa, quantumvis velit, et hanc suam voluntatem declaret, jurisdictionem in Galliis per suos Legatos exercere. Hinc li-

citum in Gallia asserunt, Legato Pontificio, etsi intra fines potestatis ipsi a Papa collatæ præcipienti, non obedire. Quod si Papa jurisdictionales Legati sui actus solemni etiam Constitutione confirmet, et parendum suis Galliæ Legatis, etiam sub anathemate, præcipiat, dicunt licite posse ejusmodi bullam a Gallicanis ecclesiis non recipi, et pro inani tentamine haberi; ex ea scilicet ratione, quod nequeat Gallicana Ecclesia suis libertatibus a Papa spoliari.

Jam vero tale systema omnino pugnat cum jure Primatus Romanis Pontificibus divinitus collato. Nam supra, capite 2, probatum est jus Romani Pontificis habendi in dissitis præsertim regionibus *aliquos qui sui absentis personam repræsentent, qui jurisdictionem suam atque auctoritatem stabili delegatione collatam exerceant, qui denique suas vices obeant* (sunt verba Pii VI); *idque ex intima vi ac natura Primatus... Ita ut quicumque jus hoc Pontifici adimendum curet, is naturam vimque Primatus a Christo instituti radicitus convellat atque eruat.* Porro si verum foret expositum Gallicanum systema, Romanus Pontifex hocce jus non haberet quoad Galliam. Ergo illud systema stare nequit cum catholico dogmate de Primatu jurisdictionis Romano Pontifici divinitus collato.

Hinc aperte secum pugnant Gallicani qui dictum jus Romano Pontifici denegant, nisi etiam cum Febronio et Jansenistis, Primatum jurisdictionis ipsi denegent, et hæreticam de mero *honoris* primatu opinionem amplectantur. En in quem abyssum logice impellat, præstensa illa Gallicanæ ecclesiæ libertas, Pontificiorum Legatorum jurisdictionem non agnoscendi.

Propositio III[a]. — *Libertatem seu consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ Pontificiorum Legatorum jurisdictionem non agnoscendi, legitimam non reddunt nec probant ulla regia decreta, ullave Parlamentorum arresta, aut comitiorum cleri Gallicani statuta.* — Nam 1° nulla auctoritas legitimum reddere valet id quo divina Christi institutio subvertitur: atqui dicta libertas seu consuetudo, *naturam vimque Primatus a Christo instituti*

radicitus convellit atque eruit, ut pronuntiavit Pius VI, et ut supra probatum est : ergo.

II. Sæcularis potestas nihil valide statuere potest contra Summi Pontificis Constitutiones, decreta et præcepta, in materiis spiritualibus et ecclesiasticis. *Plena* enim *potestas ecclesiam universalem pascendi, regendi et gubernandi*, non regi aut parlamento, sed Romano Pontifici (definiente Florentino œcumenico Concilio) divinitus collata est. Hocce dogma catholicum Gallicani scriptores profitentur. Et nihilominus, adeo ipsos Cæsaropapiæ ac regalismi invasit atque obcœcavit studium, ut dum expenditur an hoc aut illud Summi Pontificis in materia spirituali et ecclesiastica decretum aut præceptum in Galliis obliget, eos non pudeat contraria Regis aut parlamentorum decreta allegare: quasi valeat Galliæ Rex aut ullum parlamentum Summo Pontifici jurisdictionem adimere, quam ei contulit Christus. Et pleni sunt eorum libri ejusmodi ad regia decreta et parlamentorum arresta provocationibus. Audiant quam aperte erroneam illam doctrinam reprobet Pius VI: « Nunquam nobis, inquit, in mentem venit ut si « constitutiones illorum (*id est Imperatorum*) pugnent cum « Constitutionibus primæ Sedis, aliquid Nobis parent obsta- « culi, veluti tua fuit, Archiepiscope Salisburgensis, senten- « tia. Nemo quippe ignorat, has duas potestates et esse inter « se sejunctas, et ita institutas, ut una non pendeat ab altera « (cap. 4, n. 90, 91, 92); ita ut in rebus ecclesiasticis et in « regimine religionis eatenus valeant civiles leges, quatenus « legibus cohærentes ab Ecclesiæ capite profectis, ipsam Ec- « clesiæ auctoritatem firment atque communiant; eo scilicet « tutelæ et patrocinii munere, quo catholici principes erga « matrem se fungi gloriantur. Secus enim *omni vi* destituun- « tur leges hujusmodi; et extra omnem disceptationem solæ « suum sibi vindicant locum Romani Pontificis Constitutiones « et leges, quæ imperiali sanctione non indigent » (Pius VI, *Responsio super Nunciaturis*, cap. 8, n. 160).

III. Absone etiam allegarentur comitiorum cleri Gallicani

statuta. Numquid enim Romani Pontificis jurisdictionem ab iis comitiiis dependere voluit Christus? Imo comitiorum illorum acta, ne provincialis quidem Synodi vim habuerunt. Et etiamsi habuissent, quid valet inferior contra legem superioris. Quidquid ergo senserunt aut declararunt ejusmodi comitia, contra Pontificiorum in Galliis Legatorum jurisdictionem, errasse hac in re clerum Gallicanum probat, et nihil aliud.

IV. Dictum systema Gallicanum plane attingunt hæc Pii IX feliciter regnantis verba : *Putidum vero impiumque commentum illud est, Apostolicæ Sedi divinitus collata jura ac traditum a Christo Domino supremi regiminis in Ecclesia clavum et potestatem, humanis placitis nutibusque arctari præscribi aut imminui posse.* (Constitutio *Probe*, 9 maii 1853 ; quæ sic inscribitur : *Episcopis, Vicariis Apostolicis, ac dilectis filiis Christi fidelibus missionum Indiarum Orientalium*).

Propositio IV^a^. — *Merito concluditur Gallicanum systema circa Pontificios Legatos, erroneum esse, necnon seditiosum, et in schisma inducens.* — 1° Erroneum est, siquidem, ex probatis, pugnat cum dogmate omnino certo, nimirum de Primatu jurisdictionis Romano Pontifici divinitus collato. 2° Seditiosum est, siquidem docet non teneri Galliæ fideles et Episcopos ad obtemperandum legitimis Pontificiorum Legatorum statutis ac sententiis, cum tamen obedire teneantur ; sicque eos incitant ad resistendum Pontificiæ auctoritati. 3° Inducit in schisma. Casu enim quo Summus Pontifex sub anathemate præcipiat ut agnoscatur in Gallia suorum Legatorum jurisdictio (quod certum est posse ab ipso valide fieri), docet dictum Gallicanum systema, posse licite ejusmodi excommunicationem despici et pro inani tentamine haberi. Quæ doctrina si in praxim traducatur, apertum schisma erit, ut ex dictis concludendum est.

SECTIO II.

De variis Legatorum Pontificiorum speciebus : quando quibusve de causis inductæ sint.

Tres epochas distinguemus : Primam ab Ecclesiæ exordiis usque ad nonum sæculum : Secundam a nono sæculo usque ad decimum quintum : Tertiam a decimo quinto sæculo ad hodierna usque tempora.

CAPUT I.

LEGATIONUM PONTIFICIARUM FORMA AB INITIO USQUE AD NONUM SÆCULUM.

1° Toto hoc temporis tractu habuit Sedes Apostolica in dissitis regionibus viros ecclesiasticos, stabili et ampla jurisdictione munitos, qui in omnes assignatæ sibi regionis Episcopos et Metropolitanos, Romani Pontificis *vices* agerent, potestatemque exercerent. Id superiori sectione, capite 3, probavimus ; isque solus negabit qui aut impudenter mentiri velit, aut monumentorum antiquitatis prorsus ignarus sit. Ejusmodi autem Romanæ Sedis Legati, non alio antiquitus quam *Vicariorum Apostolicorum* nomine (1) designati reperiuntur. Octavo dumtaxat sæculo videmus Sanctum Bonifacium, Germaniæ Apostolum, utroque *Legati* et *Vicarii Apostolici* denominatione nuncupatum. Aut si forte quædam paulo anteriora exempla afferri valeant, valde rara existimo.

2° Ejusmodi *Vicariorum Apostolicorum* munus committere

(1) Exceptis iis qui apud imperialem Constantinopoleos aulam commorabantur, quique ***Apocrisiarii*** seu ***responsales*** vocari solebant.

solebant Romani Pontifices certarum sedium Episcopis: nimirum Thessalonicensi Episcopo quoad Illyricum, Arelatensi quoad Galliam etc., ita ut cuilibet Episcopo in ea sede succedenti, conferret Sedes Apostolica *Vicarii Apostolici* officium, prout ipsius prædecessori contulerat. Id pariter ex allatis supra (sectione 1, capite 3) documentis constat. Non tamen adeo certa lege dictarum sedium Episcopis Vicarii munus conferebant Romani Pontifices, ut absque exemplo sit munus illud a solita episcopali sede ablatum fuisse, et translatum ad aliam.

Item, quamvis ordinarie ad Vicarii Apostolici munus in aliqua regione exercendum assumeretur unus ex ejusdem regionis Episcopis, in Sicilia tamen quandoque Vicarium Apostolicum egit, non alicujus Siculæ sedis Antistes, sed vir ecclesiasticus ab urbe Roma missus.

3° Præter dictos Vicarios Apostolicos, stabili ac permanenti jurisdictione munitos, deputabant etiam Romani Pontifices ad tempus Legatos *extraordinarios*, quoties id opportunum existimabant pro componendis majoris momenti negotiis. Cujusmodi extraordinariorum Legatorum, sive ad præsidendum Conciliis œcumenicis, sive ad tractandum cum principibus, aliave graviora expedienda, deputatorum, frequentia occurrunt exempla, per octo prima Ecclesiæ sæcula. Hi autem, finito pro quo mittebantur negotio, recedebant, simulque eorum cessabat jurisdictio.

Hæc de legationum Pontificiarum usque ad nonum sæculum forma breviter adnotanda duximus; quia ex allatis superiori sectione documentis jam satis probata remanent.

CAPUT II.

LEGATIONUM PONTIFICIARUM FORMA A NONO SÆCULO USQUE AD DECIMUM QUINTUM.

PROPOSITIO I[a]. — *In hac secunda epocha perdurarunt Vicarii Apostolici : rariores tamen evaserunt ; et eorum loco inducti sunt*

LEGATI NATI. — « Præstat animadvertere, ait Pius VI, vete-
« res illos primæ epochæ Vicariatus, hac etiam secunda tem-
« poris epocha seu continuasse, seu redintegratos fuisse.
« Constat enim Arelatensem Vicariatum fuisse denuo instau-
« ratum sæculo Undecimo, in Rambaldo, ejusdem civitatis
« Archiepiscopo, qui tanquam *Vicarius Papæ Victoris* præfuit
« Concilio Tolosano anni 1057. Itemque constat cum Siculum,
« tum alios Vicariatus medio etiam ævo perdurasse.

« Præterea si *Vicariatus* rariores evaserunt, cœperunt latius
« propagari *Primatiæ*, illæ scilicet *legationes* quæ iterum ite-
« rumque ad Metropolitanos certæ cujusdam sedis delatæ,
« perinde haberi cœptæ sunt, ac si ipsis Episcoporum sedibus
« collatæ et affixæ fuissent, ita ut *legationes natæ* dictitaren-
« tur » (In *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 107 et 108). Inductos hac secunda epocha ejusmodi Legatos Pontificios qui *nati* dicti sunt, et non parum excrevisse eorum numerum, eruditis explorata res est, et videri potest in citata Pii VI *Responsione*.

PROPOSITIO II^a. — *Sicut Vicarii Apostolici, ita et Legati nati vices Romani Pontificis obibant cum jurisdictione stabili : ita ut a priscis Vicariis Apostolicis diversi non fuerint nisi nomine, et minori facultatum ipsis concessarum extensione.* — « Hæ quidem
« Legationes nomine tantum a Vicariatibus differebant : *Sta-*
« *bili* enim potestate, ut illi fulgebant ; licet facultates habe-
« rent paulo minores, quam Vicariatus habuissent. Et ita ab
« arbitrio Sanctæ Sedis pendebant, ut ab una ad aliam sedem
« transferrentur, uti sæpius factitatum est. Ac demum cedere
« tenebantur *Legatis de latere* missis, sive *ordinariis*, sive
« *extraordinariis*; deque sui muneris officio per seipsos tertio
« quoque anno, et per suos procuratores quotannis certiorem
« reddere Apostolicam Sedem » (Pius VI, in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 108). Quæ omnia (ibidem) documentis probat idem Pius VI.

PROPOSITIO III^a. — *Zelotypia Metropolitanorum, qui fulgere supra se Legatos natos, ac eorum jurisdictioni se subjici ægre*

ferebant, in causa præcipua fuit cur Sedes Apostolica Legatos EXTRAORDINARIOS *sæpe sæpius in hac secunda epocha deputaverit.* — « Quod vero, ait Pius VI, corrigere ac tolerare omnino « non potuit (Sedes Apostolica), fuit insitum illud humanæ « naturæ studium abhorrendi ab iis qui sibi quodammodo « præsint ; eo vel maxime si quis stabili supra se videat ho- « nore ac potestate fulgere homines in eadem provincia natos, « qui sibi dignitate Metrepolitica pares, generis tamen con- « ditione, respectuque aliarum rerum privatarum inferiores « fortasse essent. A primis quidem usque Ecclesiæ sæculis « cœpit cupido hæc Episcoporum Illyricianorum incessere « animos ; qui ægre nimis Vicarium Thessalonicensem intue- « bantur tanta dignitate sublatum ; ita ut Sanctus Bonifacius « ita debuerit illos admonere : *Nec decet Fratres alterius di-* « *gnitate morderi.*

« Sed secunda hac temporis epocha, multo certe violentius « impotens hic animorum motus erupit. Non destitit sane « Apostolica Sedes, ad Metropolitanorum animos demulcen- « dos, frequentius mittere *Nuntios extraordinarios a latere* « Pontificis, quorum adventu cum omnis *Legatorum natorum* « jurisdictio conquiesceret, donec ex illa regione decederent, « quanto crebiores erant advenarum nuntiorum accessus, « tanto libentius poterant Metropolitani indigenarum Lega- « torum intermortuam jurisdictionem pati... Abstinemus a « recensendis numerandisque hoc loco singulis hisce *extra-* « *ordinariis* Legationibus, cum... eædem ex annalibus eccle- « siasticis et e Pontificiis actis locupletissime constent. Illud « advertimus tantummodo, quod expeditiones hujusmodi, ab « initio usque secundæ hujus epochæ, inceperunt *ipsorum* « *Legatorum natorum rogatu* fieri ; qui auxilio simul et consilio « indigere se professi sunt. Ita Poppo Trevirensis Archiepi- « scopus et Apostolicæ Sedis Legatus, circa annum 1038, Be- « nedictum nonum postulavit atque exoravit, *ut mittat virum* « *de honoratioribus vestris ac prudentioribus, qui mihi in neces-* « *sitatibus meis consilio simul et auxilio suffragetur : auxilietur*

« *dico de adversis, consilietur autem quæ latere non credo San-*
« *ctitati vestræ.* Illudque etiam advertemus, quod Apostolica
« Sedes, semper sibi constans, Legatos hosce duplici juris-
« dictione, voluntaria scilicet et contentiosa donabat » (Pius
VI in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 125 et 126).
Documenta quibus id probat Pius VI, vide ibidem, in notis.

Propositio IV^a^. — *Dicta Zelotypia, qua se Episcopi et Metro-*
politani magis ac magis a Legatis natis abalienabant, in causa
fuit cur Legationes natæ sublatæ sint. — « Episcopi... totos se
« ab indigenis Legatis magis magisque abalienaverunt; ita
« ut Drogo Metensis Episcopus, per annum 844, multis vexa-
« tionibus affectus, debuerit tandem se a Vicariatu sive a Le-
« gatione Apostolica abdicare, *ne scandalum fratribus et consa-*
« *cerdotibus generans, schisma in Sanctam Ecclesiam introdu-*
« *ceret* (Hincmarus, epist. 6, cap. 30, editionis Moguntinæ)..,
« Idem de Primate Lugdunensi actum est (Thomassinus,
« cap. 34, n. 13), et de Primatibus aliorum regnorum, ne
« Germania quidem excepta, ubi æmulatio animorum adeo
« excrevit, ut nullum Legatum recepturos se declararint
« Episcopi, nisi *de latere Pontificis* advenisset. Hac certe de
« causa Bruno Trevirensis Archiepiscopus, anno 1120, Cal-
« lixtum II adiit, eumque exoravit, ut sua Trevirensis pro-
« vincia a cujusvis Legati eximeretur potestate, *nisi forte a*
« *nostro latere dirigatur*, ut inquiunt *litteræ Apostolicæ,* apud
« Martene, tomo 4, n. 57, col. 192... Arnoldus quoque Co-
« loniensis Archiepiscopus, ab Eugenio III, per annum 1157,
« impetravit, ut sua provincia nulli Primati aut Legato nato
« subesset , nisi Romano Pontifici , ita tamen ut cederet
« Legato Apostolicæ Sedis (*Gallia Christiana*, t. 3, col. 676)...
« Hinc si in Germania et per Europam universam Primatus
« omnes seu *Legationes natæ* ita cessaverunt, ut nihil nisi
« priscum nomen haberent, (una excepta Lugdunensi, cui re-
« lictum est *jus in sola dirimendarum appellationum a judiciis*
« *Metropolitanorum jurisdictione*, veluti Petrus ipse de Marca
« testatur).., est id Metropolitarum atque Episcoporum culpæ

« tribuendum » (Pius VI, in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 127).

Propositio V^a^. — *Sublatis, ut dictum est, Legatis natis, necesse fuit Ramam deferri causas permultas, quæ antea in Legatorum natorum curiis finiebantur : de qua necessitate tot postmodum exortæ sunt querelæ.* — Cum enim intra fines cujusque regni jam non adesset qui *modo stabili* vices obiret Sedis Apostolicæ, quoties a Metropolitanorum sententia appellabatur, non poterat causa dirimi nisi in Curia Romana. Legati enim *extraordinarii*, cum nonnisi ad breve plerumque tempus remanerent in provinciis ad quas pro particularibus negotiis mittebantur, paucas ejusmodi causas expedire poterant. Et hæc quidem necessitas tot causas Romam deferendi, non sine ingenti (ob moras, longinquitatem et expensas) detrimento, nunquam antea contigerat. A primis enim Ecclesiæ sæculis, ut vidimus, ejusmodi causas in singulis regionibus auctoritate Apostolica dirimebant *Vicarii Apostolici ;* quod et munus postmodum obiere *Legati nati* ; ita ut graviora dumtaxat negotia Sedis Apostolicæ judicio reservarentur.

Solent infensi quique in Sedem Apostolicam scriptores multis declamationibus eidem crimini vertere hanc media ætate inductam necessitatem, adeundi pro causis innumeris Romanam Curiam. At non Sedis Apostolicæ hæc culpa fuit, sed Episcoporum et Metropolitarum, qui stabili Legatorum natorum seu Primatum jurisdictioni pertinaciter adversati sunt, donec tandem ejus extinctionem a Romanis Pontificibus obtinuerunt. De quo sic Pius VI (in *in Responsione super Nunciaturis,* c. 8, n. 128 et seq) : « Si illis deficientibus qui *stabili* « modo in provinciis et regnis vices Sanctæ Sedis obibant, « debuerunt populi Romam deferre causarum omnia genera, « id est Metropolitarum atque Episcoporum culpæ tribuen- « dum ; quos merito proinde Thomassimus redarguit, *quod* « *unius Ecclesiæ suæ decus prætulerint utilitati et honori omnium* « *aut complurimarum regni ecclesiarum*... Si autem Metropoli- « tani et Episcopi quæsti sunt, quod causæ omnes tanto ip-

« sorum incommodo Romam deferrentur, non aliorum culpæ « id vertere debuissent, sed suæ. *Si Metropolitanis* (ita gravi « sermone pergit Thomassimus) *tunc idem fuisset animi, quod « postea aliis fuit, ut per Gregorium VII.., per Urbanum II.., « aliosque nonnullos Pontifices primatiæ instituerentur, nec quis- « quam illos remoraretur, non postea illis ipsis seu Regibus seu « Metropolitanis doluisset, quod sæpe doluit, causarum omnia « genera Romam referri judicanda. Has querelas anteveniebat « illa Numinis sapientia, quæ Ecclesiam regit regebatque, Pon- « tificesque incitabat ad creandos subinde Primates, ut de illis « tantum causis ad Romanum tribunal litigatores accederent, « quæ in Archiepiscoporum vel Primatum curia dirimi nequivis- « sent. Primatiæ repudiatæ statim aut postea obliteratæ sunt.. « Inde causarum examina Romam perlata : quo dolendæ magis « mortalium vices, qui nec mala ferre possunt, nec malorum « remedia. »*

CAPUT III.

LEGATIONUM PONTIFICIARUM FORMA A SÆCULO DECIMO QUINTO AD HODIERNA USQUE TEMPORA.

Quæstio I^a^. — *Quomodo et qua de causa, in hac tertia epocha constitutæ sint Nunciaturæ ordinariæ?* — « Apostolica Se- « des, quam uti benignam matrem de salute et commodo « filiorum suorum cura sollicitat, vix aut ne vix quidem ex- « tincto Primatum et Legatorum natorum jure, cum jam « experta fuisset, in irritum omnes suos eccidisse conatus, « ut quæ sibi perpetua divini Primatus onera incumbunt, in « dissitis locis per *Vicarios indigenas* ibidem delectos suppor- « tarentur, consilium iniit in usum revocandi illius juris, quo « primis etiam Ecclesiæ sæculis interdum usa jam fuerat (in « destinatione Apocrisiariorum, et Vicariorum Siculorum, qui « plerumque erant Romanæ Ecclesiæ diaconi vel subdiaconi) « eligendi scilicet viros *exteros*, principibus gratos, et eccle-

« siastica dignitate fulgentes, eosdemque *stabili* facultate et « potestate muniendi, eo prorsus modo, quo prima temporis « epocha cum Vicariis Apostolicis, et secunda epocha cum « Legatis natis actum fuerat » (Pius VI in *Responsione super Nunciaturis*, cap. 8, n. 130).

« Impotens enim æmulandi studium quod Metropolitanos « invaserat, in causa fuit cur Pontifices, volentes injuncto « sibi Apostolatus munere perfungi, nolentesque amplius *in-* « *digenis* uti, quibus suas ut antea vices committerent ac de- « mandarent, id cœperunt consilii, à sæculo XV ad hanc us- « que nostram ætatem, ut *e proprio latere* in Germaniam, in « Galliam, in Hispaniam, in Lusitaniam, et in alia etiam regna, « *advenas Nuntios* mitterent, nulli parti addictos, ecclesias- « tica dignitate ornatos, principibus caros; utque apud « catholicas aulas et in urbibus principibus ordinarias Nun- « ciaturas instituerent. » (Pius VI, ibid., n. 132).

Quæstio IIª. — *Quænam extent hodie Legatorum Pontificiorum species?* — Olim dividebantur in Legatos *natos* et Legatos *missos*. Hodie autem illa primaria divisio omitti potest, quum jam non exstent, ut vidimus, Legati nati; ac proinde omnes sint Legati missi. Hi autem distingui possunt ut sequitur :

1° Alii sunt Cardinales, alii secus.

2° Cardinales Legati, alii sunt *ordinarii*, seu cum jurisdictione stabili : alii *extraordinarii* seu ad tempus. *Ordinarii* constitui solent in provinciis quibusdam status Pontificii, ut eas gubernent. Extra statum Pontificium non aliter mittuntur Legati Cardinales quam *extraordinarie*, ad gravioris alicujus negotii tractationem ; qua absoluta tractatione, recedunt. Hi Legati Cardinales, sic extraordinarie missi dici solent *Legati a latere*. Ipsis nempe, ex recepto jam usu, reservari solet denominatio hæc; quamvis cæteroquin *a latere* primitus dicti sint legati Pontificii omnes ab Urbe missi, per oppositionem ad Legatos *natos* seu indigenas : quo sensu hodierni etiam Nuntii qui Cardinales non sunt dici possent *Legati a latere :*

sed, ut diximus, hoc nomine nuncupantur hodie soli *Cardinales Legati.*

3° Legati non Cardinales, qui extra statum Pontificium cum jurisdictione stabili in aliquam regionem mittuntur, *Nuntiorum* nomine vocari solent. Qui autem regendæ alicui status Pontificii provinciæ præficiuntur, non vocantur Nuntii, nec etiam Legati, sed *Ablegati,* vel *Delegati,* vel alio nomine.

4° Hinc, prætermissis status Pontificii Legatis et Ablegatis, duas tantum expendendas habemus Legatorum Pontificiorum species, videlicet : *Cardinales Legatos a latere,* et *Nuntios.*

5° Nunciaturæ aliæ sunt *primi,* aliæ *secundi* ordinis. Primi ordinis sunt quæ viam ad Cardinalitiam dignitatem immediate sternunt ; ita ut ex eis Nuntii non soleant retrahi, nisi ut donentur purpura. Tales sunt Nunciaturæ Austriæ, Galliæ, Hispaniæ et Lusitaniæ. Cæteræ sunt secundi ordinis (vide apud Ferraris, v. *Nuntius*).

Quæstio III[a]. — *Qualiter hodiernæ Nunciaturæ a Pontificiis priscorum temporum legationibus differant.* — I. Minores facultates habent hodierni Nuntii, quam habuerunt antiqui *Vicarii Apostolici,* et qui postea medio ævo constituti sunt *Legati nati.* Id satis patebit ex sequentibus Pii VI verbis, quibus redarguit quatuor illos Germaniæ Metropolitanos, qui Nuntiorum jurisdictionem agnoscere renuebant, et, inter alias querelas, nimiis eos facultatibus donari dicebant :

« Quoniam auctor libri *de Legatis,* una cum vobis, venerabiles fratres, conqueritur, quod Nuntiorum facultates, licet per Concilium coercitæ, nimis tamen late pateant ; et quoniam tam sæpe ad *antiquam purioremque disciplinam* provocatis, perinde ac si Ecclesia, dum parumper de antiqua disciplina decessit, ab eodem Dei spiritu regi ac gubernari desierit, quo nihil affirmari potest absurdius, Nos id a vobis petimus unum, id unice flagitamus, ut simul conferatis *summam* earum facultatum quæ hodie Nuntiis tribuuntur, quasque tu, Archiepiscope Moguntine, ad calcem conjecisti Encyclicæ epistolæ tuæ, cum earum facultatum *summa* quibus Legati Vica-

riique Apostolici utebantur juxta veterem priorum sæculorum morem ; cum ea inquimus summa, quam nos ad errorem quemcumque depellendum ex ipso Apostolicarum litterarum fonte decerpsimus et excripsimus (a § 54 ad 58). Si enim comparatio hujusmodi instituatur, neminem putamus adeo perfrictæ frontis futurum, qui neget facultates hodiernæ disciplinæ, sive voluntariam sive contentiosam jurisdictionem respiciant, esse facultatibus antiquæ disciplinæ *longe minores.* Ad quam certe veterem disciplinam..., si fieret regressus, vos, Metropolitani, multo sane magis essetis, quam nunc estis, jurisdictioni Nuntiorum obnoxii » (Pius VI, *Responsio super Nunciaturis,* cap. 8, n. 144).

II. Sicut hodierni Nuntii, ita et prisci Vicarii Apostolici et Legati nati *stabilem et ordinariam* habuerunt jurisdictionem in assignatis sibi regionibus ; prout supra ostensum est. Unde quoad hoc ab antiqua disciplina non recedit Nuntiorum institutio.

III. In eo discrimen est quod Legati nati semper, et Vicarii Apostolici fere semper, fuerint *indigenæ*, id est, Episcopi alicujus *sedis illius* regni in quo Legati constituebantur ; hodierni autem Nuntii sunt *advenæ,* nec sedem episcopalem obtinent in regno, in quo Pontificia legatione funguntur.

SECTIO III.

De potestate seu juribus Legatorum a latere et Nuntiorum.

Dicemus 1° De potestate seu jurisdictione communi omnibus Legatis Sedis Apostolicæ : 2° De potestate Legatis a latere propria : 3° De eorumdem prærogativis quoad præcedentiam et honorifica : 4° De propria Nuntiorum potestate.

CAPUT I.

DE POTESTATE SEU JURISDICTIONE COMMUNI OMNIBUS LEGATIS SEDIS APOSTOLICÆ.

Communis est jurisdictio quædam omnibus Sedis Apostolicæ Legatis, id est, Legatis a latere, Legatis natis, et Nuntiis ; quamvis suam insuper particularem jurisdictionem habeant Legati a latere, quæ aliis duabus Legatorum speciebus non competit ; et suam vicissim Nuntii, qua carent Legati nati.

Visum est seorsum sub præsenti capite eam jurisdictionem exponere quæ simul competit, tum Legatis a latere, tum Nuntiis, tum Legatis natis ; de particulari postea singulorum potestate, dicturi sub sequentibus capitibus.

Ad communem autem illam jurisdictionem quod attinet, quadruplicem instituemus paragraphum : 1° Expendemus quænam jurisdictio Legatis Apostolicis essentialiter competat, ita ut nempe absque ea non possit quis esse vere Legatus Sedis Apostolicæ : 2° Exponemus reliquam jurisdictionem quæ Le-

gatis Apostolicis a jure tribuitur : 3° Subjungemus, ad dignoscendam hodie alicujus Legati jurisdictionem, non tam ad juris dispositiones esse attendendum, quam ad Breve, per quod unicuique Legato, cum deputatur, solent (ex moderna praxi) ejus facultatas enumerari ac determinari : 4° Tandem quæstionem expendemus an teneantur Legati a latere et Nuntii legationis litteras ostendere principibus ad quos deputantur.

§ I.

Quænam jurisdictio omnino requiratur ut quis sit verus Sedis Apostolicæ Legatus.

PROPOSITIO I^a^. — *Non potest quis esse Legatus Sedis Apostolicæ nisi* ORDINARIA *ipsi conferatur jurisdictio in provinciam ad quam deputatur.* — Qui enim ordinariam jurisdictionem non habet, vel habet delegatam, vel nullam : si habeat delegatam non est nec dicitur *Legatus,* sed *Delegatus :* si nullam, nec Legatus nec Delegatus recte dici potest. Unde in ipsomet conceptu legationis Apostolicæ includitur, tanquam quid essentiale seu hujus legationis constitutivum, ordinaria jurisdictio. Ita ut recte definiri possit Legatus Apostolicus, *deputatus a Papa cum ordinaria jurisdictione.* Et quod ita unanimiter legationem Apostolicam doctores intelligant, videri potest in eorum commentariis ad titulum 30 libri 1 decretalium ; præsertim ubi exponunt quomodo Pontificius *Legatus* a *Delegato* differat. De quo sic apud Ferraris : « Legati Papæ « in hoc differunt ab ejus *Delegatis,* quod Delegati Papæ di- « cantur illi, quibus una tantum vel certæ causæ delegantur « terminandæ, extra quam vel quas non extenditur eorum « jurisdictio, cum sit limitata et solum *delegata;* et non *ordi-* « *naria* vi proprii officii. E contra vero Legati Papæ habent « jurisdictionem et facultatem cognoscendi de omnibus cau- « sis concreditæ sibi Provinciæ; nec eorum jurisdictio est « limitata et delegata, sed *vere ordinaria* vi proprii juris, of-

« ficii, et dignitatis. Et sic *communis* doctorum » (v. Legatus, n. 19).

Hinc concludat lector quam absone alicujus regni vel ditionis princeps postularet a Summo Pontifice expediri Legatum a latere pro componendo aliquo particulari negotio, quin huic Legato ulla alia in regionem illa jurisdictio conferatur. Hoc enim foret postulare Legatum a latere *ordinaria* jurisdictione destitutum, ac proinde qui non esset Legatus.

Propositio IIª. — *Non potest quis esse Legatus, nisi habeat jurisdictionem ad generalitatem causarum, seu moraliter universalem.* — Nam ex præcedenti propositione non potest quis esse Legatus Sedis Apostolicæ absque jurisdictione *ordinaria :* atqui de essentia ordinariæ jurisdictionis est ut sit (moraliter saltem loquendo) universalis, id est ad omnes generaliter causas et personas alicujus territorii vel societatis. Nam jurisdictio quæ non nisi ad certas aliquas particulares causas et personas extenditur, hoc ipso est *delegata* et non ordinaria, prout extra controversiam est apud doctores.

Propositio IIIª. — *Potest Summus Pontifex Legati jurisdictionem pro arbitrio extendere ac restringere : si tamen ita eam limitet ut desinat esse moraliter universalis et ordinaria, Legatus hoc ipso talis esse desinit.* — 1° Quod valeat Summus Pontifex Legati jurisdictionem ac facultates pro arbitrio moderari ac determinare, omnino certum est. Nulla enim divina aut humana lege tenetur Summus Pontifex, quando vult jurisdictionem suam per alios exercere, has aut illas determinatas facultates eis conferre ; ac proinde ipsi liberum est quas voluerit, et non alias ipsis concedere. « Potestas Legati Apos-« tolici (ait Pirhing), tum absolute, tum quoad extensionem « aut restrictionem, pendet ex voluntate Papæ delegantis..; « eo fere modo quo potestas vicarii generalis pendet ex vo-« luntate Episcopi eum constituentis » (ad tit. 30 *de Officio Legati*, libri 1 decretalium, n. 3).

2° Quod autem Legatus talis esse desinat, si Pontifex ab ipso retrahat moraliter universalem seu ordinariam jurisdictio-

nem, sequitur ex duabus præmissis propositionibus, ut patet.

§ II.

Quænam potestas seu jurisdictio Legatis Apostolicis a jure tribuatur.

Propositio I[a]. — *Possunt jurisdictionem suam aliis delegare.* — Ita concorditer doctores. Inter quos sic Ferraris, loco citato : « Omnes supradicti Legati (*loquitur de Legatis a latere, « de Nuntiis, de Legatis natis*) possunt causas ad se pertinentes « aliis delegare ; cum hac tamen advertentia quod jurisdic- « tio delegatorum expirat una cum legatorum officio, quando « res est adhuc integra ; secus vero quando causa delegata « jam incepta est. » Ut autem res non sit integra, satis est intervenisse citationem. Dicta autem potestas delegandi intelligenda est cum hac limitatione, dummodo ii quos delegant requisitas a jure quoad delegatos judices qualitates habeant. (Vide Schmalzgrueber, ad tit. 30, libri I, decretalium n. 4).

Propositio II[a]. — *Legatorum Apostolicorum jurisdictio non expirat per mortem Papæ eos deputantis.* — Constat hocce decreto Clementis IV : « Legatos, quibus in certis provinciis « committitur legationis officium, ut ibidem evellant et dis- « sipent, ædificent atque plantent.., ordinarios reputantes, « præsenti declaramus edicto, commissum tibi a prædeces- « sore nostro legationis officium nequaquam per ipsius obi- « tum expirasse » (cap. *Legatos, de Officio Legati, in* 6). Est autem præsens conclusio extra controversiam omnem apud doctores. Et notandum est, permanere Legatorum jurisdictionem post obitum Papæ deputantis, « quamvis ipsa « jurisdictione nondum uti cœperint, imo provinciam suam « necdum ingressi fuerint » (Ferraris, v. *Legatus*, n. 12).

Propositio III[a]. — *Legati Sedis Apostolicæ sunt judices competentes in secunda instantia quoad causas ecclesiasticas totius provinciæ ipsis commissæ : ante Tridentinam Synodum poterant etiam*

causas in prima instantia judicare ; sed hanc eis facultatem ademerunt Tridentini Patres. — 1° Certum est ante Tridentinum Synodum potuisse causas omnes, sive in gradu appellationis, sive etiam in prima instantia, ad Legati Pontificii tribunal deferri. Id quidem sub Alexandro III negare ausus erat Episcopus quidam, Cantuariensis Metropoleos suffraganeus ; sed errorem perstrinxit dictus Pontifex, directis ad omnes Præfatæ Metropolis suffraganeos litteris, in quibus sic habetur : « Cum non ignoretis Cantuariensem Archiepiscopum vobis « non solum metropolitico, sed etiam Legationis jure præesse, « mirabile satis est quod quidam vestrum, sicut audimus, as- « severare præsumit, quod idem Archiepiscopus nullam « causam de episcopatibus vestris, sive Metropoleos, sive le- « gationis jure, debeat audire. Sane licet idem Archiepisco- « pus metropolitico jure audire non debeat causas de episco- « patibus vestris, nisi per appellationem deferantur ad eum, « legationis tamen obtentu universas quæ per appellationem « vel querimoniam perveniunt ad suam audientiam, audire « potest et debet, sicut qui in provincia sua vices nostras ge- « rere comprobatur» (cap. *Cum non ignoretis* 1, *de Officio Legati*). Hinc, ante Tridentinam Synodum, concurrebat Legatus Pontificius cum omnibus Ordinariis in legationis suæ provincia existentibus, etiam quoad causas in prima instantia judicandas : liberum nempe actori erat causam in prima instantia deferre, sive ad tribunal sui Episcopi, sive (si magis placeret) ad tribunal Legati Apostolici. Quando enim plures sunt judices ordinarii, actori liberum est quem maluerit adire.

2° Hanc autem Legatorum quoad causas in prima instantia competentiam abstulit Tridentina Synodus, his verbis : « Causas omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet perti- « nentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram « Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur... Legati quo- « que, etiam de latere, Nuntii.., quarumcumque facultatum « vigore.., Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo « modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non

« præsumant » (cap. 20, sess. 24). Atvero quoad causas in gradu appellationis competens de jure communi remansit Legatus Apostolicus ; ita ut appellans a sententia Episcopi, adire possit Legati audientiem, prætermisso Archiepiscopo. (Vide apud Pirhing, ad tit.30, lib.1 decretalium,n.11 et 12).

Propositio IVa. — *Quando Papa causam alicui specialiter delegavit, nequit Legatus Apostolicus in hanc causam sese intromittere.* — Quia nempe mandatum speciale derogat generali ; et « *delegatus* Papæ in causa sibi commissa est major *Legato* « Papæ. Arguitur canone finali distinctionis 95 ; et capite « *sane* 11, *de Officio Delegati* » (Schmalzgrueber, ad titulum 30, libri 1, decretalium n. 3). Hinc in dicto casu nequit Legatus causam ad se trahere ; neque sententiam Delegati irritare ; neque appellationem ab illa sententia admittere.

Propositio Va. — *Legatus Sedis Apostolicæ habet legislativam potestatem in provincia legationis suæ ; ita ut pro morum reformatione condere possit statuta, post ipsius obitum aut revocationem duratura.* — « Nemini dubium esse volumus (inquit « Gregorius IX) quin Legatorum Sedis Apostolicæ statuta, « edita in provincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, « licet eamdem postmodum sint egressi. » (Capite *Nemini* 10, *de Officio Legati*). Atque ita tenent doctores communiter (vide Pirhing, ad tit. 30, libri 1, decret. n. 8).

Propositio VIa. — *Quamvis Legatus Sedis Apostolicæ superior sit et judex ordinarius Episcoporum et Archiepiscoporum in sua provincia existentium, nequit tamen a tempore Tridentini Concilii contra ipsorum delicta procedere.* — Equidem Schmalzgrueber (ad tit. 30, libri 1 decret. n. 2) sic habet : « Lega- « tus Pontificius potest et debet reformare mores et corrigere « vitia, etiam Episcoporum et Archiepiscoporum qui sunt in « ejus provincia ; quia est judex illorum ordinarius et po- « testate superior. » Sed hoc intelligendum est juxta jus commune ante Tridentinam Synodum vigens. Nam Tridentini Patres *majores* Episcoporum causas criminales reservarunt Sedi Apostolicæ, *minores* vero Concilio provinciali. Unde

quoad corrigenda Episcoporum delicta jam competens judex non est de jure communi Legatus Apostolicus.

Propositio VI[a]. — *Regula generalis est, posse Legatum in provincia sibi commissa quidquid potest Episcopus in sua diœcesi, Archiepiscopus in sua provincia, et Primas in regione ad quam primatialis ejus auctoritas extenditur.* — « Legatus, ait Pirhing, « etiamsi non sit a latere, regulariter potest in provincia sibi « commissa, ex vi muneris sui, quæ potest Ordinarius in sua « diœcesi aut provincia, sive sit Episcopus, sive Archiepis- « copus, vel Patriarcha » (ad titulum 30, libri I decretalium, n. 4). Dicimus, regula *generalis* est, ob plures exceptiones : nam id non procedit in iis quæ a Sacris canonibus, Concilio Tridentino et Constitutionibus Apostolicis expresse proprio Ordinario reservatæ sunt, prout docet inter alios Pignatellus (tomo 9, consult. 187, n. 14).

Propositio VIII[a]. — *Regula generalis est, posse Legatum in provincia sibi commissa quidquid potest Papa, exceptis quæ Sedi Apostolicæ reservata sunt.* — « Imo (inquit Pirhing, loco citato) « omnia potest quæ ipse Summus Pontifex potest, præter illa « tantum quæ sunt reservata Summo Pontifici in signum sin- « gularis privilegii seu prærogativæ; quia hæc non compre- « henduntur in generali Legationis officio ac mandato, nisi « specialiter concedantur. »

Ex eo quod nequeat Legatus dicta reservata peragere, concludunt communiter doctores, ipsum non posse Episcopos transferre ab una ad aliam sedem; neque episcopatus unire aut devidere; neque Episcopos deponere; neque ipsorum dimissiones acceptare; neque concedere facultatem alienandi bona ecclesiastica etc. Imo limitatio quæ præcedenti propositioni apposita est, hic etiam est apponenda : inter illa nempe quæ non fuerunt reservata Sedi Apostolicæ, plura sunt quæ fuerunt Ordinariis locorum expresse reservata, sive a Concilio Tridentino, sive per Constitutiones Apostolicas : porro etiam hæc extra Legatorum potestatem censenda sunt, quantumvis dicantur Summi Pontificis vices agere.

Propositio IX[a]. — *Legati a latere et Nuntii possunt pro piis operibus concedere ultra centum dies indulgentiæ, non tamen integrum annum ; pro templo autem aliquo visitando, concedere possunt indulgentiam 7 annorum et 7 quadragenarum.* — Vide apud Ferraris. v. *Legatus*, n. 46.

Propositio X[a]. — *Legatis et Nuntiis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservatæ prohibitum est, ne pro se aut suis favores procurent a principibus ad quos destinantur : itemque ne iisdem principibus utantur ad consequendas dignitates.* — Vide apud Ferraris, v. *Legatus*, n. 39.

Propositio XI[a]. — *Legati a latere et Nuntii nequaquam possunt, de jure communi, confessarios approbare, aut ordines conferre in provincia legationis suæ.* — Contrarium quidem olim tenuerunt haud pauci doctores; sed derelinquendam esse opinionem illam, ex pluribus Sacræ Congregationis Concilii decisionibus probatum vide apud Ferraris (verbo *Approbatio* art. 1, n. 26 et 27 seq).

Propositio XII[a]. — *Legatus Apostolicus in sua provincia valide assistit matrimoniis.* — Ita pluries decisum a S. Congregatione Concilii, (vide apud Ferraris v. *Legatus*, n. 45).

§ III.

Hodie ad dignoscendam jurisdictionem uniuscujusque Legati Pontificii, non juris communis dispositionibus, sed Brevi in quo ipsi concessæ facultates exprimuntur, præcipue attendendum est.

Si deputarentur Legati Pontificii cum facultatibus quæ ad ipsos *de jure* pertinent, absque ulla alia ejusmodi facultatum enunciatione, agnoscenda in ipsis foret jurisdictio quam sub præcedenti paragrapho descripsimus. At jamdudum solet Sedes Apostolica, unumquemque Legatum deputando, litteris in forma Brevis exprimere ac determinare facultates ipsi concessas. Et sicut contingere potest ut per ejusmodi litteras Apostolicas Summus Pontifex concedat plus, ita contingere

potest ut concedat minus, quam quod Legatis jus commune attribuit. Hinc dictorum Brevium tenor seu textus vera hodie est regula ad dignoscendam uniuscujusque Legati Pontificii potestatem. Atque id recentiores canonistæ prænonere solent, prout in particulari dicitur quoad Legatos a latere sub sequenti capite.

§ IV.

An Legati a latere et Nuntii teneantur legationis litteras exhibere principibus ad quos mittuntur?

« Teneri, alias non esse illos admittendos nisi ostensis fa-
« cultatibus eisque discussis, saltem ex usu regnorum, dixe-
« runt Covarruvias.., Thomassinus (*de Beneficiis*, tomo 1,
« c. 119, n. 7). »

« Verum in contrarium est veritas, quamvis non agatur de
« Cardinalibus, sed de puris Legatis seu Nuntiis non de latere
« missis a Papa, quod nullomodo possint eorum facultates
« discuti coram laicis, permissa tantum extrajudiciali notitia
« ad solum effectum instruendi principes de eorum adventu;
« et consuetudinem contrariam, uti jari adversantem, sicubi
« adesset, reprobant doctores (apud Azor, *Institutiones mo-*
« *rales*, lib. 5, c. 14, q. 6; Diana, parte 9, tractatu 7,
« resol. 69; Pignatelli *Consultatione* 134, n. 3, tomo 4) »
Ita Cardinalis Petra (tomo 2, ad Const. 3, Alexandri III, sect. 1. n. 1).

CAPUT II.

DE POTESTATE LEGATIS A LATERE PROPRIA.

Dicemus 1° quænam sit hæc potestas de jure communi : 2° subjungemus hodie eam esse dimetiendam ex tenore Brevium, quibus suæ unicuique Legato a latere facultates assignantur.

§ I.

Quænam sit ex jure communi potestas Legatis a latere propria.

Superiori capite, § 2, facultates exposuimus, quæ de jure communi omnibus Sedis Apostolicæ Legatis competunt. At præter istas, alias habent vi juris communis Legati a latere, quæ sunt ipsis propriæ, et quibus carent cæteri Legati, id est, Nuntii et Legati nati; videlicet :

Propositio I[a]. — *Legato a latere præsente, suspensa remanet aliorum Legatorum jurisdictio.* — « Ipso præsente, alii Legati « non possunt uti Legationis suæ insigniis, nec officio suo « fungi, ut statuitur capite *Volentes* 8, *de Officio Legati*; ubi « etiam insinuatur ratio : quia scilicet Legatus Cardinalis, « cum a latere Summi Pontificis sit assumptus, propinquius « repræsentat Pontificem; ut proinde deceat cæterorum ju- « risdictionem conticessere » (Schmalzgrueber, ad titulum 30 libri 1 decretalium, n. 4). Idem fusius expositum reperies apud Pirhing (ad eumdem tit. 30, n. 17).

Propositio II[a]. — *Legatus a latere jurisdictionem habet in exemptos, exceptis casibus Romano Pontifici specialiter reservatis.* — « Jurisdictionem ordinariam habent in exemptos et Sedi « Apostolicæ immediate subjectos, exceptis casibus Pontifici « specialiter reservatis. Hinc.. causas illorum potest cognos- « cere; quod reliqui Legati nequeunt. » (Schmalzgrueber loco citato). Et hoc intelligendum est « non obstantibus exempto- « rum privilegiis, quia per illa eximuntur solum a jurisdic- « tione Episcoporum in quorum diœcesi versantur, non item « a jurisdictione ipsius Papæ vel Legatorum qui sunt a latere « ipsius. Alii vero Legati nullam in exemptos, ex vi legationis « suæ, jurisdictionem habent » (Pirhing, ad titulum 30, *de officio Legati*, n. 31).

Propositio III[a]. — *Legatus a latere potest quoscumque absolvere ab excommunicatione quæ incurritur ob percussionem clerici :*

Nuntius vero non quoscumque, sed tantum subditos suæ provinciæ, et intra suam provinciam. — « A die egressus sui ex Urbe « usque ad diem reditus in Urbem potest absolvere quos- « cumque percussores clericorum, etiam enormes, ab excom- « municatione quam ideo incurrerunt... Id Legatis missis « seu Nuntiis restringitur ad provinciam ipsis commissam, et « subditos suæ provinciæ » Ita Schmalzgrueber, loco citato, ex capitibus *Quod translationem* et *Excommunicatis*, tituli *de Officio Legati*.

Ad Legatos natos quod attinet, nullum a dicta excommunicatione absolvere possunt, vi juris communis, seu absque speciali Sedis Apostolicæ facultate.

Propositio IV^a^. — *Legatus a latere habet potestatem, concurrentem cum ordinariis collatoribus, conferendi beneficia.* — Id tanquam generalem regulam asserunt doctores communiter, a qua tamen simul adnotant nonnullos casus excipi. Fusam hac de re apud Pirhing (ad tit. 30, libri 1 decretalium, n. 18 et seq.) disceptationem reperies, cujus summa hæc est :

1° « Concessum est imprimis Legatis a latere, ut ratione « muneris sui, adeoque jure ordinario conferre possint be- « neficia, in provincia ad quam sunt destinati sita ; ut docet « Garcias.. et alii doctores communiter, et constat ex capite 1 « *de Officio Legati*, in *sexto*. Quare sicut Papa, ita et Legatus « a latere in sua provincia concurrit cum quolibet Ordinario « in collatione beneficiorum ; ita ut inter eos locus sit præ- « ventioni, et Legati collatio præferatur collationi Ordinarii, « si utraque eodem tempore facta sit. »

« Verum alii Legati Sedis Apostolicæ qui non sunt a latere; « sive sint Nuntii missi, sive Legati nati, ex officio Legationis « sibi generaliter commissæ, nullam habent potestatem con- « ferendi beneficia. »

2° Extenditur dicta potestas etiam ad beneficia jurispatronatus ecclesiastici ; non autem ad beneficia jurispatronatus laici. Item extenditur ad beneficia Summo Pontifici devoluta, ob collatorum inferiorum negligentiam. Olim insuper poterat

Legatus a latere beneficia nondum vacantia collationi suæ reservare ; sed potestas hæc beneficia vacatura reservandi, præsertim *in favorem* sublata est a Tridentina Synodo (sess. 24, c. 19).

3° Præmissa generalis regula sequentes patitur exceptiones: *Primo* conferre nequit ecclesias cathedrales, sive electivæ sint, sive non. *Secundo*, neque ecclesias regulares, collegiatasve, aut majores cathedralium dignitates, si sint electivæ. *Tertio*, neque beneficia Summo Pontifici generaliter aut specialiter reservata.

Propositio V^a^. — *Cardinali asserenti se esse Legatum, credi debet quin teneatur legationis litteras exhibere: item ipsi asserenti circa facultates sibi concessas credendum est, si agatur de facultatibus quæ Legatis a latere concedi solent: secus si agatur de facultatibus quæ specialem commissionem requirunt, et aliis præjudicium afferunt. Aliis Legatis non creditur, nisi ostensis Papalibus litteris.* — Vide apud Schmalzgrueber, ad titulum 30 libri I decretalium, n. 9.

Propositio VI^a^. — *Legatus a latere potest exercere divina in ecclesia Archiepiscopi absque ejus licentia: id vero nequit Nuntius.* — Vide apud Ferraris, verbo *Legatus*, n. 37.

§ II.

Hodie quænam sit uniuscujusque Legati a latere potestas, æstimandum est præcipue ex Litteris Apostolicis, in quibus facultates ipsis concessæ exprimuntur.

« Quamvis de jure plura sint illis permissa, et omnia quæ « potest Episcopus in sua diœcesi (Card. de Luca in *Relatione « Romanæ Curiæ*, discursu 4, n. 11), et ulterius beneficia re- « servata conferre in provincia sibi commissa, vacantia com- « mendare, resignationes recipere, electiones Abbatum con- « firmare, procurationem exigere, absolvere a censuris in « canone *Si quis suadente*, ac alia facere, de quibus plene « apud doctores..; et exceptis aliquibus reservatis Summo

« Pontifici omnia possint (Glossa, in cap. *Quoad translationem*,
« *de Officio Legati*)...; tamen etiam in Legatis a latere extraor-
« dinariis solent diversimode concedi facultates, præsertim
« quoad dispensationes, concessionem indulgentiarum, ab-
« solutionem, ac beneficiorum reservatorum collationem, ut
« prosequitur citato loco Cardinalis de Luca, numero 11, et
« praxis docet; ac inspectio earumdem facultatum Brevium
« dicitur vera regula ad cognoscendam validitatem eorum
« actuum. » (Card. Petra, tomo 2, ad Constitutionem 3 Alexandri III, sect. 1, n. 12).

« Hoc certum est, quod hujusmodi facultates Legatorum
« a latere sunt restrictæ; et videntur eæ tantum quæ conce-
« duntur a Papa in Brevibus eorum Legationis debere at-
« tendi. » (Card. Petra, tomo 5, ad Constitutionem 5 Pauli 2, sect. 5, n. 3).

Diximus *præcipue* attendendas esse Apostolicas deputationis litteras. Nam attendendum etiam est jus commune, quoties in Brevi dicitur, deputari Cardinalem cum omnibus facultatibus quæ *de jure* Legatis a latere competunt, et postea nonnullæ in particulari facultates exprimuntur. Porro modernis etiam temporibus videmus hac forma deputatos fuisse Legatos a latere.

Pro deputatione, verbi gratia, Cardinalis Capraræ, expeditæ sunt litteræ Apostolicæ, sub plumbo, nono calendas septembris 1801, in quibus de concessis ipsi facultatibus nihil exprimitur, sed tantum declaratur eum deputari tanquam Legatum a latere (vide has litteras in opere *Concordat et recueil des bulles et brefs...*, pagina 104, Paris 1802, e typis Leclère). In Brevi autem ad præfatum Cardinalem directo 4 septembris 1801, dicitur ipsi concedi facultates omnes quibus *de jure* frui solent Legati a latere; et postea in particulari aliquæ exprimuntur: « Auctoritate nostra Apostolica,
« omnes et singulas facultates tibi concedimus, quibus de
« jure, usu, stylo, consuetudine, privilegio, aut alias quomo-
« libet, Apostolicæ Sedis a latere Legati frui consueverunt;

« signanter absolvendi, dispensandi, commutandi, condo-
« nandi, relaxandi, juxta locorum, temporum ac personarum
« circumstantias, pro tuo arbitrio et prudentia, atque tua
« onerata conscientia, et cum ea salubri moderatione, quam
« in Domino noveris expedire. Insuper potestatem facimus
« tibi alios qui tibi magis in Domino idonei videbuntur, sub-
« delegandi, ut iisdem facultatibus uti possint. » Breve illud integrum reperies in citato opere *Concordat et recueil...*, pagina 110). Habuit ergo Cardinalis Caprara, non tantum facultates expresse in Brevi enumeratas, sed omnes alias quibus *de jure* et *stylo* frui consueverunt Legati a latere. Quænam autem istæ sint, frustra quæres ex tenore Brevis: repetendum est a juris communis dispositionibus.

Nota. — Cum nuper a Sede Apostolica postulasset Napoleo III, ut Parisios deputaretur Legatus a latere, egit simul gubernium Gallicum ut absque ulla in Galliam jurisdictione ecclesiastica mitteretur. At responsum est, Cardinalem qui absque jurisdictione deputaretur, hoc ipso Legatum a latere nequaquam fore. Acquievit gubernium, et expeditus est Cardinalis Legatus Patrizius. Quænam ipsi facultates in Brevi deputationis concessæ fuerint, ignoro: autumo Breve illud haud absimilis fuisse tenoris ab illo, quod in deputando Cardinali Legato Caprara expeditum fuerat.

CAPUT III.

LEGATORUM A LATERE PRÆROGATIVÆ QUOAD PRÆCEDENTIAM ET HONORIFICA.

« In exteriori hujusmodi Legati maximum decus reportant, tam ex parte Pontificis, qui dum eos mittit agit cum aliqua nota speciali benignitatis, comitando illos per aliquot passus; quam ex parte Sacri Collegii Cardinalium, qui illos comitantur; incedente Legato medio inter duos diaconos; ac extra portam statim crucem elevat ac benedictionem impartitur. Ita quoque

in vestimentis..; cum decore, magnificentia, ac plurium comitatu iter facit; ac parvam Curiam Pontificiam deferens, officia les Brevium, ac alios, imo et datarium, qui solet esse auditor Sacræ Rotæ, ac plures officiales inferiores versatos in Dataria et Cancellaria Apostolica, ut possit instrui eorum quæ potest concedere vel non; prout etiam alios Prælatos assumit pro ejus auditore, ac pro ejus decore in comitatu et exercitio muneris.

« In provincia, præcedunt omnes; nedum Episcopos, Archiepiscopos ac Primates, ita ut in ecclesia habeant thronum elevatiorem, ac exerceant pontificalia, benedictionem elargiendo, Episcopis propriis præsentibus, ac habitum non præeminentialem (puta rocchettum coopertum gerentibus); sed etiam ipsos Cardinales antiquiores et altioris ordinis. Maxima enim ratione honorantur hujusmodi Legati, nedum ab inferioribus, sed ab ipsis Cardinalibus: si enim ipsi repræsentant authoritatem Pontificiam et ipsius Sedis Apostolicæ, saltem exceptis reservatis, honor qui iis tribuitur ad ipsosmet Cardinales honorantes redit uti membra ipsius corporis... Legati vero qui mittuntur ad provincias (Pontificias) gubernandas non utuntur dictis insignibus, nec habent omnes illas præeminentias, sed crucem elevant tantum in provincia.

« A principibus etiam quibus mittuntur, vel quorum ditiones transeunt, honorari solent. Hinc non exigua testimonia humilitatis et obsequii plures reges erga eos effudisse, locum majorem præbendo, testantur Raynaldus (anno 1237, n. 1, anno 1437 et 1429, n. 5), Spondamus (anno 1139, n. 16), Thomassinus (tomo 1, l. 2, c. 119), ubi refert præcessisse omnes proceres, Episcopos ac quoscumque etiam Galliæ Regis stirpis magnates: præterea Henricum III Angliæ Regem usque ad littus maris obviam ivisse Legato Apostolico: Alphonsum Regem Hispaniarum Legato longo itinere occurrisse, et nudo capite recepisse, dexteramque concessisse: in Hungaria Legatos ante reges sedisse: in mensa cum Carolo V inter imperatorem ac regem accubuisse. » (Cardinalis Petra, tomo 2, ad Const. 3 Alexandri III, sect. 1, n. 13 et 14).

CAPUT IV.

DE PROPRIA NUNTII POTESTATE.

« Hujus tota potestas potissimum desumenda est ex ejus-
« dem commissione vel privilegio. Nam jure communi aliam
« potestatem non habet, quam quod provinciæ suæ sit Ordi-
« narius (capite *Legatos* 2, *de Officio Legati*, in 6). Quæ tamen
« ipsa potestas restrictior multo est in hujusmodi Legatis
« missis, quam in Legato a latere. Nam 1° vi officii legationis
« suæ non habent potestatem conferendi beneficia, nisi hoc
« ipsis specialiter sit concessum (capite *Officii* 1, *de Officio Le-*
« *gati*, in 6). 2° Eorum potestas et jurisdictio in exemptos
« se non extendit... Sequitur exemptos, nisi velint, compelli
« non posse ut coram prædictis Legatis litigent. 3° Etsi ab-
« solvere possint ab excommunicatione canonis ob percus-
« sionem clerici, hanc tamen potestatem extra provinciam
« existens exercere non potest, etiam in subditos suos pro-
« vinciales, quod tamen potest Legatus a latere... »

« Dubitatur quam potestatem Legato misso conferat clau-
« sula *cum potestate Legati a latere*, quæ de stylo Curiæ Ro-
« manæ solet addi quibusdam Legatis missis seu Nuntiis?
« Garcias..., Konig..., putant vi hujus clausulæ eamdem
« authoritatem et potestatem competere, quæ de jure com-
« muni competit Legatis Cardinalibus... Sed dicendum, eos
« vi clausulæ istius majorem potestatem ultra cæteros Lega-
« tos missos non habere, nisi quantum a Pontifice speciali
« mandato concessum est. Ita Cokier..., Pignatellus..., Bar-
« bosa..., Engl..., Wiestner... Et ostenditur a paritate cum
« vicario Episcopi, qui constitutus est cum generali mandato,
« ut possit omnia quæ potest Episcopus: nam iste cum gene-
« rali hoc suo mandato non potest nisi quæ speciali mandato
« non egent...

« Nego, verba illa propterea otiosa esse: significant enim

« potestatem quam hujusmodi Legatis, cum tali clausula mis-
« sis, ampliorem quam cæteris Papa speciali privilegio in lit-
« teris Legationis solet concedere. » (Schmalzgrueber, ad ti-
tulum 30, libri 1 decretalium, n. 6 et 7).

SECTIO IV.

De Vicariis Apostolicis.

Cum *vices* Romani Pontificis agant Sacræ Congregationes Cardinalium, necnon Legati Sedis Apostolicæ, aliquo vero sensu *Vicarii Apostolici* dici possent, et quandoque etiam dicuntur. Attamen denominatio illa, in quodam strictiori loquendi modo, propria remansit alteri ministrorum speciei, quorum etiam opera ad exercendam in variis mundi partibus jurisdictionem suam utitur Summus Pontifex. De his ergo ministris Pontificiis, qui *Vicarii Apostolici* magis proprie dicuntur, sub præsenti sectione disserendum venit.

Dicemus autem 1° de variis ipsorum speciebus: 2° de Vicariis Apostolicis earum regionum quæ missionum more reguntur; ubi et de Præfectis Apostolicis: 3° de Vicariis Apostolicis earum regionum in quibus exstat ordinaria hierarchia, ubi et de administratoribus Apostolicis.

CAPUT I.

DE VARIIS VICARIORUM APOSTOLICORUM SPECIEBUS.

I. *De Vicariis Apostolicis qui olim a Sede Apostolica constitui solebant cum jurisdictione in omnes totius alicujus regionis Episcopos.* — Eruditis explorata res est, a remotissima antiquitate solitam fuisse Apostolicam Sedem in unaquaque e præcipuis orbis catholici regionibus aliquem designare Episcopum, qui vices Romani Pontificis in ea regione ageret, et cui tan-

quam *Sedis Apostolicæ Vicario*, omnes ejusdem regionis Episcopi ac Metropolitani subjicerentur. Committebatur nempe id muneris alicui ex Archiepiscopis ipsiusmet regionis; et quidem Archiepiscopo alicujus certæ sedis; ita ut, hoc mortuo, successorem ejus in Vicarium Apostolicum Summus Pontifex constitueret. Unde parum discrepant ejusmodi priscorum sæculorum *Vicarii Apostolici*, ab iis qui postea *Legati nati* vocati sunt. De iis priscorum sæculorum Vicariis Apostolicis fuse disseruimus supra (sectione 1, cap. 3). Juvat tamen hic subnectere, quæ de ipsis scripsit Benedictus XIV, in hunc modum :

« Apostolicorum quorumdam Vicariorum illustria in ecclesiastica historia extant monumenta. Thessalonicensis Archiepiscopus a sancto Damaso Romano Pontifice Vicarius Apostolicæ Sedis constitutus fuit. Simplicius Papa, anno 452, Apostolicum Vicarium in Hispania Episcopum Hispalensem deputavit, ut in prima illius epistola habetur : *Congruum duximus, Vicarii Sedis Nostræ te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus Apostolicæ institutionis decreta vel sanctorum terminos patrum nullo modo transcendi permittas.* Quem quidem Vicariatum Apostolicum sanctus Hormisdas Romanus Pontifex ratum habuit, sub eoque Bæticam et Lusitaniam comprehendit; pro reliqua autem Hispania Achiepiscopum Tarraconensem Vicarium Apostolicum constituit, ut ex 24 epistola illius deprehenditur : *Servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis exterius delegamus, ut sive ea quæ ad canones pertinent, sive ea quæ a nobis sunt nuper mandata, serventur.* Flodoardus (in sua historia, lib. 1, cap. 15) docet sanctum Hormisdam eum fuisse Pontificem, per quem sanctus Remigius Archiepiscopus Remensis, Apostolicus Vicarius in Gallia constitutus fuerit. Verum Cointius (in suis *Annalibus*) id non Hormisdæ sed Symmacho tribuit; additque ut supremorum principum in Gallia regnantium postulatis satisfieret, Vicariatum Apostolicum Arelatensibus etiam Episcopis concessum fuisse. De Apostolicis hisce Vicariis fuse agit Thomassinus

(*de Veteri et nova Ecclesiæ disciplina*, parte 1, l. 1, c. 18, n. 7, et cap. 30).

« Porro inter cætera, quæ ad officium Vicariorum Apostolicorum extra Italiam pertinebant, id erat, ut provinciales Synodos cogerent, ut eisdem præsiderent, ut omnem curam adhiberent, ne a Metropolitanis synodales conventus prætermitterentur; quemadmodum P. Joannes Antonius Bianchi (in suo opere *de Potestate et politia Ecclesiæ*, tomo 5, l. 3, c. 2, § 3, n. 2) late ostendit » (Benedictus XIV, *de Syn. diœces.*, l. 2, col. 10, n. 1),

Hodie cum de *Vicariis Apostolicis* agitur, non hisce priscorum temporum similes, sed alii ab istis valde diversi intelliguntur.

II. *De Cardinali Vicario qui regendæ Romanæ diœcesi præficitur.* — Est etiam is aliquo vero sensu *Vicarius Apostolicus*, cum vices agat Summi Pontificis in Romana administranda diœcesi. Sed neque de hoc nobis sub præsenti sectione agendum est. Non enim de iis est qui intelligi solent, quando de *Vicariis Apostolicis* movetur quæstio.

III. *De Vicariis Apostolicis qui auctoritate Apostolica mittuntur extra Romanam diœcesim, ad suscipiendum, Summi Pontificis nomine, alicujus regionis ecclesiasticum ac pastorale regimen.* — Hos solent canonistæ sub *Vicariorum Apostolicorum* denominatione exclusive comprehendere; et de his tantum sub præsenti sectione disceptabimus. Potest autem juxta hanc acceptionem definiri Vicarius Apostolicus : *deputatus a Sede Apostolica, ut pastorale regimen in aliqua regione, non suo, sed Romani Pontificis nomine exerceat.* Non differunt necessario ab Episcopis locorum Ordinariis quoad ipsammet regendi potestatem : sicut nempe Episcopus quoad diœcesim suam est verus Pastor cum jurisdictione in interno et externo foro, ita et Vicarius Apostolicus in regione sibi commissa; et Vicario Apostolico sæpe eædem, imo quandoque majores quam Episcopis facultates conceduntur. Ast Episcopus suo nomine gregem suum pascit, et licet Pontificiæ auctoritati subditus, non

tamen est Papæ Vicarius. E contra Vicarius Apostolicus, non proprio nomine administrat, sed nomine alterius, nempe Summi Pontificis.

Hi autem Vicarii Apostolici stricte sumpti, alii episcopali charactere carent; alii vero consecrantur in Episcopos, ad titulum alicujus ecclesiæ in partibus infidelium sitæ. Non enim necessarius est episcopalis ordo ut quis Vicarius Apostolicus esse possit; sed additur consecratio episcopalis quando utilis reputatur ad recte administrandam regionem quæ Vicario Apostolico committittur.

Duplicem distinguemus Vicariorum Apostolicorum classem: eorum nempe qui deputantur ad regiones, in quibus non extant canonice erectæ sedes episcopales seu diœceses, nec Ordinarii qui eas regiones tanquam proprii pastores regant; et eorum quibus regenda committitur diœcesis, vel sede vacante, vel etiam non vacante sede, quando Episcopus ex aliqua causa per seipsum administrare non potest. Quæ distinctio sic brevius exprimi potest: Vicarii Apostolici regionum *quæ more missionum reguntur,* et Vicarii Apostolici regionum *in quibus extat ordinaria hierarchia.* Utramque speciem indicat Benedictus XIV his verbis:

« De illis Vicariis Apostolicis nobis in præsentia sermo est, qui hodiernis etiam temporibus a Summis Pontificibus deputantur; interdum quidem sine episcopali charactere, interdum autem hujusmodi charactere insigniti, cum titulo tamen alicujus ecclesiæ in partibus infidelium sitæ; ut spirituale regimen gerant alicujus regionis, cujus Episcopus et Pastor proprius non existat, aut, si existit, aliqua ratione, etiam sine vitio suo et culpa, impediatur quominus proprium gregem per semetipsum pascere valeat » (Benedictus XIV, *de Syn. diœces.*, l. 2, c. 10, n. 2).

CAPUT II.

DE VICARIIS APOSTOLICIS EARUM REGIONUM QUÆ MISSIONUM MORE REGUNTUR ; UBI ET DE PRÆFECTIS APOSTOLICIS.

QUÆSTIO I[a]. — *Quomodo constitui soleant.* 1° Nullus fit processus informativus *super statu ecclesiæ* seu diœcesis, quia, ex hypothesi, regiones ad quarum administrationem dicti Vicarii Apostolici deputantur sedem episcopalem non habent, nec fuerunt in diœcesi canonice erectæ,

2° Si promovendus præsens sit Romæ vel in Italia, vel si Romæ adsint duo viri qui de ipso testimonium ferre queant, debet fieri coram Auditore Cameræ Apostolicæ processus informativus *super qualitatibus promovendi.* Si vero nec ipse in Italia, nec duo testes Romæ reperiantur, satis est ipsum judicari idoneum a S. Congregatione de propaganda fide. Constat ex Constitutione *Gravissimum* Benedicti XIV, 18 januarii 1757, in qua sic decernitur, § 5 : « Cum pro Vica-
« riis Apostolicis, titulo et charactere episcopali insignitis,
« nullus processus conficiatur *super statu ecclesiæ,* attamen si
« in Urbe vel in Italia commorentur, sin autem extra Urbem
« et Italiam extiterint, ac duo testes in Urbe reperiantur qui
« testimonium ferre possint, tunc fiat processus *super qua-*
« *litate personæ.* Processus vero in hac alma Urbe nostra
« conficiendi omnino conficiantur coram nostro et pro tem-
« pore existentis Romani Pontificis Auditore. Quod si etiam
« testes deficiant, sufficiens habeatur judicium ejusdem Con-
« gregationis, quæ illum a Summo Pontifice eligendum con-
« sulet. »

Quando ergo, sive post informativum processum de qualitatibus personæ, sive ex solo voto S. Congregationis de propaganda fide, consensit Papa, ut qui proponitur ad vacantem Vicariatum deputetur, ipsi expediuntur deputationis litteræ, in quibus variæ ipsi concessæ facultates exprimuntur.

Quæstio IIª. — *An omnes Vicarii Apostolici consecrentur in Episcopos, et quid sint Præfecti Apostolici.* — Qui ad dictas missionum regiones cum *Vicariorum Apostolicorum* titulo deputantur, solent episcopali charactere insigniri, et simul promoveri ad titulum alicujus antiquæ ecclesiæ *in partibus infidelium* consistentis. Id testatur praxis et satis innuunt citata Benedicti XIV verba. Quod si, ob exiguitatem aliamve causam haud expediat, ad regendam aliquam missionum regionem deputari Vicarium episcopali charactere insignitum, tunc qui deputatur non vocatur *Vicarius Apostolicus,* sed *Præfectus Apostolicus;* et regio illa non dicitur Vicariatus, sed Præfectura Apostolica. Hisce *Præfectis Apostolicis,* etsi non Episcopis, præter jurisdictionem ordinariam, concedi solet facultas confirmationis sacramentum administrandi, necnon aliæ multæ facultates; minores tamen quam eæ quæ conferuntur Vicariis Apostolicis. Per ejusmodi Præfectos Apostolicos res catholica administrabatur in Gallicis coloniis, Guadeluppa, Martinica, et Reunionis seu Borbonica insula, antequam sedes episcopales et ordinariam hierarchiam ibi erexisset feliciter regnans Pius Papa IX. Guyianæ autem Gallicæ colonia adhuc hodie per *Præfectum Apostolicum* regitur. Notandum et aliud discrimen Vicarios inter et Præfectos Apostolicos : juris nempe dispositiones, mox exponendæ, quæ statuunt ad quos transeat jurisdictio, mortuo Vicario Apostolico, et successore nondum deputato, nequaquam applicationem habent quoad Præfectos Apostolicos.

Quæstio IIIª. — *Quænam sit Vicariorum Apostolicorum potestas ac jurisdictio.* — 1° Quam de jure communi potestatem habet in sua diœcesi Episcopus, eam pariter obtinent Vicarii Apostolici earum regionum quæ more missionum reguntur, intra fines sibi assignatos. 2° Imo solent insuper ipsis concedi certæ quædam aliæ facultates, quæ in Romanæ Curiæ stylo *formulæ secundæ* vocantur. Utrumque adnotat Benedictus XIV in sua Constitutione *Apostolicum*, 30 maii 1753, § 4 ; qui locus, etsi Vicarios Apostolicos Angliæ in particulari respiciat,

quoad alios etiam verificatur : « Ut ad Vicarios Apostolicos, « inquit, revertamur, præter eam omnem auctoritatem quæ « ipsis communis est in propriis confiniis cum quolibet Ordi- « nario in sua civitate et diœcesi, Apostolica Sancta Sedes « facultates *formulæ secundæ* ipsis elargitur, cum potestate « illas simplicibus sacerdotibus, qui idonei videbuntur, com- « municandi, iis tamen exceptis, quæ vel ordinem episcopa- « lem unice spectant, vel exerceri sine sacrorum oleorum « usu minime possunt. »

Hinc dubium non est, quin dicti Vicarii Apostolici synodum celebrare, statuta condere, ac cætera omnia peragere valeant quæ pertinent ad ordinariam Episcoporum in suis respective diœcesibus jurisdictionem. « Quod ad hujusmodi Vicarios « Apostolicos attinet (inquit citatus Benedictus XIV, *de Syn.* « *diœc.*, l. 2, c. 10, n. 8), cum ipsis omnimoda pastoralis « auctoritas communicetur, nullus controversiæ locus est, « quin diœcesanam synodum cogere et celebrare valeant. »

Quæstio IV^a^. — *Defuncto Vicario Apostolico, ad quem transeat jurisdictio ; et quid a Sede Apostolica hac de re statutum sit ?* — Haud sine magno animarum detrimento sæpius contigerat, ut Vicarii Apostolici diem suprenum obirent, quin ullus ipsis datus fuisset coadjutor cum futura successione ; ita ut nemo reperiretur qui ordinariam jurisdictionem haberet, et Vicariatum administrare posset, usque ad successoris deputationem et captam ab eo possessionem.

Cui malo ut provide occurreret Bendictus XIV, quoad Indiarum Orientalium Vicariatus decrevit in hunc modum : « Omnibus et singulis Vicariis Apostolicis hujusmodi injun- « gimus et mandamus, ut qui neque Episcopum coadjutorem « cum futura successione, neque Vicarium ex clero sive sæ- « culari sive regulari generalem habent, statim atque ad « unumquemque eorum præsentium nostrarum litterarum « certa notitia pervenerit, deputent Vicarium ex clero sive « sæculari sive regulari generalem, habilem tamen atque « idoneum ; qui eveniente cujusvis Apostolici Vicarii sine

« coadjutore cum futura successione obitu, tanquam Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis delegatus, teneatur assumere et « obire regimen et gubernium Apostolici Vicariatus, usque « ad captam ejusdem Vicariatus Apostolici hujusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem hæc Sedes « constituerit, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa « Sancta Sede incundam ordinationem. Porro Vicario generali hujusmodi Nos, earumdem præsentium tenore, nunc « pro tunc, Apostolica auctoritate nostra concedimus et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris tem« poribus valituras, quæ vicariis capitularibus cujusvis « cathedralis ecclesiæ, sede vacante, inesse et de jure competere dignoscantur. Præterea eidem vicario generali, post « tamen Apostolici Vicarii obitum, concedimus pariterque « impertimur usum et exercitium earum facultatum, quibus « utebatur et gaudebat dum viveret defunctus Apostolicus « Vicarius Episcopus, iis dumtaxat exceptis quæ requirunt « ordinem et characterem episcopalem, vel non sine sacro« rum oleorum usu exercentur. Quandocumque vero neces« sitas urgeat, sæpe dicto Vicario generali potestatem etiam « indulgemus et damus consecrandi calices, patenas, et al« taria portatilia, cum sacris oleis omnino ab Episcopo bene« dictis. » (Constitutione *Ex sublimi*, 26 januarii 1753).

Postmodum hasce dispositiones extendit Benedictus XIV ad *ommes* alios Vicariatus Apostolicos, Constitutione *Quam ex sublimi*, 8 augusti 1755.

Quæstio V^a^. — *In regionibus quæ, more quidem missionum reguntur, sed in quibus reperiuntur Archiepiscopi et Episcopi locorum ordinarii, ad quem transeat, eiusmodi sedibus vacantibus, jurisdictio ?* — In modo citata Constitutione *Quam ex sublimi*, decrevit Benedictus XIV hoc modo : « Cum compertum ex« ploratumque nuper fuerit, in Hibernia, Albania, Macedonia, « Servia, Bulgaria, Insulis Maris Ægei, Persida, Mesopotamia « (quemadmodum alibi fortasse reperitur) reperiri aliquos « venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos *locorum or-*

« *dinarios et residentiales*, quorum aliquot quidem capitulum « canonicorum habent, aliquot vero ejusmodi canonicorum « capitulo destituuntur; idcirco tenore et auctoritate pari- « bus, statuimus, præscribimus et mandamus, ut eveniente « cujuslibet Antistitis hujusmodi obitu, statim procedatur « ad electionem vicarii capitularis, juxta morem, usum, et « consuetudinem hactenus servatam; nimirum ubi canonico- « rum capitulum fuerit, vel a canonicis dumtaxat, si ita in « more jam positum servatumque fuit, vel a canonicis una « cum aliis ecclesiasticis viris, quos in casibus hujusmodi « semper intervenisse et suffragium suum in ea electione « tulisse constat.

« Quando autem capitulum canonicorum non habeatur, ii « parochi sive soli, sive cum aliis ecclesiasticis viris, juxta « modum itidem usum et consuetudinem de præterito ser- « vatam, ad vicarii capitularis electionem habendam acce- « dant. Sed in hisce electionibus vicariorum capitularium « quorumcumque, volumus præcipimus et mandamus, ut « omnino serventur Constitutiones Concilii Tridentini, præ- « sertim in sessione 24, capite 16.

« Insuper volumus et mandamus ut in iis locis, in quibus « venerabiles fratres Antistites ordinarii eorumdem locorum « residentiales, neque capitulum canonicorum, neque paro- « chos in suis civitatibus et diœcesibus habent, sed dumtaxat « sacerdotes aliquot et missionarii reperiuntur per terras et « oppida dispersi, ita ut, cum quemlibet Antistitem ejusmodi « mori contingat, insimul convenire minime valeant, tunc vi- « carius generalis jam a defuncto Antistite constitutus, ipso « facto intelligatur, sit et habeatur vicarius capitularis, cum « supra expressis facultatibus ad vicarios capitulares de jure « spectantibus. » Indulget ibidem Pontifex, ut possit eligi sive in vicarium capitularem sede vacante, sive in vicarium generalem a dictis Episcopis locorum ordinariis, aliquis qui non sit doctor nec licentiatus in jure canonico. Quando nuper a Pio Papa IX feliciter regnante erectæ sunt episcopales sedes

et constituta ordinaria hierarchia, tum in Gallicis coloniis Guadaluppa, Martinica et Borbonica Insula, tum in Anglia et Hollandia, in ipsismet litteris Apostolicis erectionem hanc decernentibus insertæ sunt opportunæ dispositiones quoad casum vacationis earumdem sedium, quæ capitulo cathedrali carent.

Quæstio VI[a]. — *An et quatenus Vicarii Apostolici earum regionum quæ more missionum reguntur Sacræ Congregationis de propaganda fide auctoritati subjaceant ?* — In secunda hujus tractatus parte, de præfata S. Congregatione de propaganda disserendo, ostendimus supremam ipsi collatam esse potestatem in omnes eas regiones quæ more missionum reguntur; cum hac sola limitatione, quod *graviora* expedire nequeat, nisi facta relatione Summo Pontifici. Habet ergo Congregatio illa potestatem condendi leges quæ ipsos etiam Vicarios Apostolicos obstringant; recipiendi querelas et appellationes contra eosdem Vicarios Apostolicos ab ipsorum inferioribus interpositas; ipsos a vicariatibus revocandi, et in civilibus ac criminalibus causis judicandi; dummodo servetur dicta limitatio, de non expediendis *gravioribus*, ante factam Summo Pontifici relationem.

Quæstio VII[a]. — *Quomodo a Benedicto XIV determinata ac declarata fuerint respectiva jura Vicariorum Apostolicorum, et regularium in Vicariatibus Apostolicis degentium.* — Etsi Constitutionem suam, quæ incipit *Apostolicum*, 30 maii 1753, ediderit Benedictus XIV ad componenda dissidia in Anglicanis missionibus exorta, simul tamen in ea omnium generatim Vicariorum Apostolicorum relative ad regulares jus declarat ac determinat. Hujus autem Constitutionis hæc summa est :

1° Regulares missionarii, cum primum ad locum missionis pervenerint, debent Vicarium Apostolicum adire, eique superiorum suorum testimoniales litteras exhibere. Id ex jure communi concludit Benedictus XIV, et ita subjungit : « Qua« mobrem id etiam est in mandatis regularibus missionariis, « ut nimirum Vicariis Apostolicis, ea ratione qua dictum est,

« sese exhibeant, ubi ad missionis locum pervenerint » (§ 6).

2° Nequeunt regulares audire sæcularium confessiones, absque prævia Vicarii Apostolici approbatione (§ 7).

3° Potest Vicarius Apostolicus, antequam regularem approbet, eum examinare (§ 8).

4° Regulares subsunt jurisdictioni et correctioni Vicariorum Apostolicorum, in iis quæ concernunt animarum curam et Sacramentorum administrationem (§ 12 et 13).

5° In iis quæ respiciunt regularem observantiam, exempti a Vicariorum Apostolicorum jurisdictione remanent. Hinc si regularis habitet intra claustra, et extra claustrum cum populi scandalo delinquat, non ad Vicarium Apostolicum pertinet eum punire, sed ad proprium ipsius superiorem. Si tamen is punire negligeret, posset Vicarius Apostolicus requirere ut digna pœna in delinquentem animadverteret, tenereturque regularis superior de inflicta castigatione Vicarium Apostolicum certiorem facere. Cæterum regulares qui in missionibus extra claustra *ex necessitate* degunt, haberi debent perinde ac si manerent intra claustra (§ 15).

6° Regulares, in iis quæ animarum curam et sacramentorum administrationem respiciunt, non subjacent tantum jurisdictioni et correctioni Vicariorum Apostolicorum, sed etiam simul jurisdictioni et correctioni superiorum suorum regularium. Unde quoad hanc materiam *cumulativum* jus habent Vicarius Apostolicus et superior regularis (§ 17).

7° Si in dicta materia, animarum curam et sacramentorum administrationem concernente, missionario regulari uno modo præcipiat ipsius regularis superior, et modo opposito Vicarius Apostolicus, prævalere debet Vicarii Apostolici ordinatio (ibid).

8° Potest Vicarius Apostolicus missionarium regularem ab animorum regimine et sacramentorum administratione removere, quin teneatur remotionis causam superiori regulari patefacere (§ 17 et 12).

9° Pariter ab animarum regimine et sacramentorum admi-

nistratione subditum suum removere potest superior regularis, quin Vicario Apostolico remotionis causam communicare teneatur. Quando tamen superior regularis subditum suum in alium locum transfert, aut ad catholicas regiones revocat, procurare debet ut alter in ejus locum subrogetur (§ 17 et 21).

Omittimus nonnullas alias ejusdem Constitutionis dispositiones, Anglicanis missionibus proprias. Eas autem quas retulimus sufficientes existimavit Benedictus XIV ad componenda ac præcavenda dissidia, quamvis nihil aliud sint quam juris communis applicatio. Nam in regionibus etiam ordinariæ hierarchiæ, si regulares curam animarum gerant seu parochiis præficiantur, et sacramenta administrent, cædem regulæ ab Episcopis locorum ordinariis et a superioribus regularibus de jure servandæ veniunt; prout videre est in meo tractatu *de jure regularium*.

Quæstio VIII[a]. — *Quænam hodie sint respectiva jura Vicariorum Apostolicorum et regularium in Vicariatibus Apostolicis degentium : remissive.* — Diximus quænam fuerint jura hæc Benedicti XIV tempore. At quia ex tunc usque ad præsentem diem plura emanarunt a S. Congregatione de propaganda fide hac de re decreta, exponendum remaneret hodiernum jus circa mutuas ejusmodi Vicariorum Apostolicorum et regularium missionariorum relationes. Et nonnulla quidem hac de re primum hic exponere proposueram, imo et jam scribere cœperam : ast hodiernarum circumstantiarum habita ratione, prætermittendam quæstionem illam duxi. Eam nempe iis enucleandam relinquo, qui recentiores S. Congregationis Propagandæ et Sedis Apostolicæ ordinationes apprime notas habent.

CAPUT III.

DE VICARIIS APOSTOLICIS REGIONUM, IN QUIBUS EXTAT ORDINARIA HIERARCHIA; UBI ET DE ADMINISTATIORIBUS APOSTOLICIS.

Diximus superiori capite de Vicario Apostolico, pastorale officium et episcopalem jurisdictionem exercente in regionibus quæ more missionum reguntur : dicendum hic de Vicario Apostolico, ad diœcesim aliquam auctoritate et nomine Summi Pontificis administrandam deputato, in regionibus in quibus extat ordinaria hierarchia, prout in Italia, Gallia, Hispania et similibus. Et quoniam inter hujus posterioris speciei Vicarios Apostolicos, alii deputantur ad regendam diœcesim sede vacante, alii autem sede plena, de utrisque seorsim disseremus : tum et notionem subjungemus de administratoribus Apostolicis.

§ I.

De Vicario Apostolico deputato ad aliquam diœcesim administrandam, sede vacante.

Quæstio I^a^. — *Quas ob causas deputari soleat Vicarius Apostolicus ad diœcesim administrandam, sede vacante ?* — Deputari solet ejusmodi vicarius Apostolicus, 1° si Episcopus mortuus sit morte violenta : 2° si capitulum non concordet in vicarii capitularis electione, adsintque aut pertimescantur dissensiones : 3° si a capitulo electus sit indoctus, aut alias non idoneus : 4° si vicarius capitularis vocetur Romam : 5° si sedes diu jam vacavit, aut diu vacatura prævideatur : 6° generatim si gravis aliqua causa id suadeat. (Vide apud Ferraris, verbo *Vicarius Apostolicus*, n. 51).

Quæstio II^a^. — *A quo deputetur Vicarius Apostolicus ad diœ-*

cesim administrandam, sive vacante, sive plena sede ? — « Mit-
« titur a Summo Pontifice cum Brevi, vel a Sacra Congrega-
« tione Episcoporum et regularium cum litteris ejusdem »
(Ferraris, v. *Vicarius Apostolicus,* n. 1).

Quod potestatem habeat dicta Sacra Congregatio ejusmodi Vicarios Apostolicos deputandi, tradit etiam Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 2, cap. 10, n. 9) in hunc modum : « Sixtus V (in sua Constitutione 117.....) Congregationi « Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et « regularium præpositæ, facultatem attribuit ut, quando ec- « clesiarum necessitas id exigeret, in Italia præsertim, Vica- « rios Apostolicos deputaret, probos ac doctos viros, qui « auctoritate accepta a Romano Pontifice per Apostolicas « litteras in forma Brevis, peculiares diœceses administra- « rent : *Ubi necessitas exegerit, viros usu et doctrina idoneos,* « *rectos et timentes Deum deligant, qui nostrarum litterarum* « *auctoritate suffulti, Ecclesias ut Vicarii Apostolici regant.* »

Quæstio III[a]. — *Quænam sit jurisdictio Vicarii Apostolici, ad diœcesim sede vacante administrandam deputati.* — 1° Tum de eo qui sede vacante, tum de eo qui sede plena diœcesim administrat, sic habet Ferraris (verbo *Vicarius Apostolicus,* n. 2) : « Talis Vicarius Apostolicus potest ibi ea omnia facere « quæ potest Episcopus, exceptis pontificalibus ; sicque ju- « risdictio Vicarii Apostolici est eadem ac Episcopi ; capite « *Quoniam* 19 distinctionis 61 ; capite *Is cui, de Electione,* « in 6. »

Habet nempe dictus Vicarius Apostolicus jurisdictionem quam habet de jure vicarius capitularis sede vacante, id est, *ordinariam* Episcopi defuncti jurisdictionem. Et in litteteris quibus deputatur, exprimitur hanc ei jurisdictionem conferri. Unde, nisi expresse quoad aliquam materiam ordinaria hæc jurisdictio restringatur, censenda est ipsi in integrum collata. Hinc

2° Ea omnia, quæ in tractatu *de Capitulis* diximus posse a vicario capitulari peragi, etiam ab ejusmodi Vicario Apostolico peragi possunt. Inter quæ in particulari sequentia juvat

adnotare : *primo* exequi potest litteras quæ solent ad vicarios generales Episcoporum dirigi (vide apud Ferraris, loco citato, *Additiones ex aliena manu*, n. 2). *Secundo*, potest concedere dimissorias post annum arctatis, nisi aliter in litteris deputationis exprimatur. *Tertio* « potest conferre beneficia liberæ « collationis » (apud Ferraris, ibidem, n. 3); nisi tamen quoad hoc ipsius potestas in litteris deputationis limitetur. *Quarto* « potest eligere concionatores » (ibidem, n. 6). *Quinto* potest alieno Episcopo impertiri licentiam exercendi Pontificalia, necnon conferendi ordines, non solum subditis diœcesis, sed etiam subjectis eidem Episcopo ordinanti, atque etiam aliis aliunde cum dimissoriis suorum ordinariorum confluentibus (ibidem, n. 8). *Sexto* potest celebrare diœcesanam synodum (Benedictus XIV, *de Syn, diœc.*, l. 2, c. 10, n. 10).

3° Dicto Vicario Apostolico concedi etiam solent facultates quas non habet vicarius capitularis, seu quæ in ordinaria defuncti Episcopi jurisdictione non comprehenduntur; quod sic adnotat Ferraris : « Vicario Apostolico, ultra potestatem or- « dinariæ jurisdictionis sibi traditæ, concedi solent multæ « aliæ facultates, pro temporum locorum ac personarum di- « versa exigentia : unde diligenter attendendum est Breve « Pontificium, et animadvertendæ litteræ Sacræ Congrega- « tionis si ab ipsa sit missus, ac deputatus. » (Verbo *Vicarius Apostolicus*, n. 3).

4° « A sententiis Vicarii Apostolici appellatur ad Metropo- « litanum, non ad Papam, ut declaravit Sacra Congregatio « Episcoporum, facto verbo cum Sanctissimo Papa Grego- « rio XIII, in una Salernitana 7 julii 1580, et in Caputaquensi « 22 aprilis 1686 »(Ferraris, verbo *Vicarius Apostolicus*, n. 39). Videturque id intelligendum, sive vacante, sive plena sede, diœcesim administret Vicarius Apostolicus.

5° « Vicarius Apostolicus non potest absolvere a censuris « Sedi Apostolicæ reservatis, sub quocumque prætextu et « causa » (Ferraris, loco citato, n. 40).

6° Vicarii Apostolici jurisdictio non cessat vacante Sede

Apostolica, sive diœcesim administret sede episcopali vacante, sive plena : vide sequenti paragrapho, quæstione 3.

Quæstio IV[a].— *An soleat Vicarius Apostolicus, ad diœcesim, sede vacante, vel sede plena, administrandam deputatus, episcopali charactere insigniri?* — Superiori capite vidimus esse in more positum, ut deputati ad missionum regiones Vicarii Apostolici, in Episcopos consecrentur, cum aliquo *in partibus* episcopali titulo. At contraria obtinet praxis quoad alios, de quibus nunc agimus, Apostolicos Vicarios. Raro nempe episcopali charactere insigniuntur; ex ea forte ratione quod nonnisi ad tempus administrent; id est, donec aliter quoad diœceses ipsis interim commissas provisum sit. Non desunt tamen aliquot in contrarium exempla. Porro quando Vicarius Apostolicus, cui diœcesis administratio, sede vacante commissa est, simul est Episcopus, potest insuper ea peragere quæ episcopalem ordinem requirunt; id est, ordines et confirmationem administrare, olea sancta conficere, et ecclesias consecrare.

§ II.

De Vicario Apostolico deputato ad aliquam diœcesim, sede plena, administrandam.

Quæstio I[a]. — *Quas ob causas deputari soleat Vicarius Apostolicus ad diœcesim administrandam, sede plena?* — Assignantur a Lucio Ferraris (verbo *Vicarius Apostolicus*, n. 51) sequentes causæ : si Episcopus male gubernet : si sit sordidus : si six senex : si sit suspensus a jurisdictione : si sit processandus : si sit vocatus ad Urbem : si non resideat : si non vult recipere vicarium generalem missum ab Urbe : propter utilitatem Ecclesiæ : propter aliquos gravissimos respectus : propter inhabilitatem vel impedimentum Episcopi.

Causæ, ob quas deputando Vicario Apostolico locus esse potest, ad hanc unicam reduci possunt : quando nempe adest

gravis ratio (sive ob culpam, sive etiam absque culpa Episcopi) ut is a diœcesis administratione removeatur; et simul causa talis non est, ut deveniendum sit ad depositionem, et aliunde non expediat coadjutoris deputatio. Cui doctrinæ consonat Benedictus XIV, generatim adnotans, dari locum deputando Vicario Apostolico, si Episcopus, *aliqua ratione, etiam sine vitio suo aut culpa, impediatur quominus proprium gregem per semetipsum pascere valeat (de Synodo diœcesana,* l. 2, c. 10, n. 2). Atque in eodem capite, numero 9, agens simul de Vicariis Apostolicis qui deputantur ad regendas diœceses, sive vacante, sive plena sede, sic habet : « Hujus quidem ge-
« neris Apostolicos Vicarios frequenter deputari contingit ;
« sive cum metus est, ne diutius ecclesia aliqua Pastore
« viduata permaneat; sive cum in vicarii capitularis electione
« controversias et turbas excitandas fore prospicitur; vel
« quando Episcopus adversa valetudine aut senio affectus,
« gregi gubernando impar agnoscitur ; aut denique cum il-
« lius culpa fit, ut ab episcopatus administratione suspendi,
« aut perpetuo removeri debeat. »

Ob causam autem senii vel adversæ valetudinis, *coadjutor* potius quam Vicarius Apostolicus deputari solet.

Quæstio II[a]. — *Quænam sit jurisdictio Vicarii Apostolici ad diœcesim sede plena administrandam deputati ; et quomodo tunc sese habeant respectiva jura hujusce Vicarii, et Episcopi diœcesis?* — 1° Totum jurisdictionis exercitium spectat ad Vicarium Apostolicum, neque potest Episcopus in eam sese ullatenus intromittere, cum (ex hypothesi) ab omni jurisdictione et diœcesis administratione fuerit remotus (vide apud Ferraris, ad verbum *Vicarius Apostolicus*).

2° « Neque Episcopus ullam habet jurisdictionem et aucto-
« ritatem in Vicarium Apostolicum ; ita ut, si ipse (Vica-
« rius Apostolicus) delinquat, nec informationes capere pos-
« sit contra ipsum, nequidem officio finito. Et multo minus
« poterit edicto aliquo ipsius honorem deturpare ; ut declara-
« vit Sacra Congregatio Episcoporum et regularium, in una

« Theanensi, 20 martii 1612 ; et in Monopolitana, 16 octobris « 1627 » (loco citato, n. 14).

3° Nisi ablata etiam Episcopo fuerit administratio sacramenti Ordinis, ad ipsum pertinet ordinationes facere ; unde non renuente Episcopo ordinationes facere, nequit Vicarius Apostolicus alienum Episcopum ad id vocare. Admittere autem clericos ad suscipiendos ordines, cum sit actus jurisdictionis, pertinet ad Vicarium Apostolicum.

4° Ad Vicarium Apostolicum solum, sine interventu Episcopi, spectat facere concursum pro vacantibus parochialibus ecclesiis, et declarare magis idoneum (vide apud Ferraris, v. *Vicarius Apostolicus*, n. 5).

5° Item ad Vicarium Apostolicum solum pertinet celebrare diœcesanam Synodum (ibidem, et insuper *additione* post verbum *vicarius parochialis*, n. 47). At Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c. 10, n. 10), dicit tutius esse, ut Vicarius Apostolicus facultatem postulet a Sede Apostolica synodum celebrandi, si facultas hæc in deputationis litteris expressa non sit.

6° Si Episcopo relictum sit jus conferendi beneficia, ut quandoque contingit, non tamen ad ipsum, sed ad Vicarium Apostolicum pertinet designare digniorem ex approbatis in concursu (ibidem, n. 10).

7° An et quale jus habeat Vicarius Apostolicus dimissorias concedendi, et beneficia conferendi, exprimi solet in deputationis ipsius litteris.

8° Non potest Episcopus habere vicarium generalem, tempore quo adest Vicarius Apostolicus, nec aliquomodo sese intromittere in negotiis jurisdictionem tangentibus (loco citato, n. 15).

9° Non potest Vicarius Apostolicus, nisi hoc specialiter a Summo Pontifice concessum fuerit, sese intromittere in causis, sive civilibus, sive criminalibus, sive mixtis, personam Episcopi concernentibus (ibidem, n. 13).

10° Item nequit, absque speciali concessione Summi Ponti-

ficis aut Sacræ Congregationis, procedere contra vicarium generalem Episcopi, eumve punire (ibidem, n. 12). Cæterum statim ac deputatus fuit Vicarius Apostolicus, cessat jurisdictio vicarii generalis Episcopi; quia, ut dictum est, jam nequit Episcopus ullum vicarium generalem habere.

Quæstio III[a]. — *An Sede Apostolica vacante cesset jurisdictio Vicarii Apostolici?* — « Vicarius Apostolicus deputatus a Papa « durare solet, absque controversia, etiam Sede Apostolica « vacante... Imo si vicarius (generalis) Episcopi mortui fue- « rat missus a Papa, vel a S. Congregatione, non potest per « capitulum, sede vacante, expelli, et novus vicarius capitu- « laris eligi: Sacra Congregatio Episcoporum, in Aquilana « 4 augusti 1578. Solet tamen ex abundantia Sacra Congre- « gatio, occurrente casu vacationis, prohibere capitulis, ut « non procedant ad electionem vicarii capitularis. » (Ferraris, v. *Vicarius capitularis*, n. 22).

Quæstio IV[a]. — *Quodnam sit jus Vicarii Apostolici, quoad honorifica?* — « Vicarius Apostolicus non potest compellere « canonicos ad deducendum illum a palatio ad ecclesiam, et « ab ecclesia ad palatium, quia hoc est proprium privilegium « Episcopi: Sacra Congregatio Episcoporum, sub die 28 au- « gusti 1599.

« Neque potest prætendere ut sibi ter detur incensum inter « missarum solemnia, neque in principio missæ, post evan- « gelium et in offertorio; sed semel tantum dari debet in « offertorio, et non amplius. Et tunc si Episcopus est præ- « sens, bis ducto thuribulo; si absens ter ducto: S. Congre- « gatio Episcoporum, in Cajetana 14 februarii 1595.

« Neque potest habere duos clericos cum cottis, quando « celebrat, ut ipsi inserviant, etiamsi sit Pronotarius Aposto- « licus; et nec quatuor candelas accensas in altari tenere, « nisi hoc fieret propter ibi festivitatem currentem: Sacra « Congregatio Rituum, 7 augusti 1627.

« Neque potest facere functiones episcopales absente, vel « impedito Episcopo; sed hoc spectare ad primam dignita-

« tem, et successive ad alios seniores de capitulo, declaravit « Sacra Congregatio Rituum...

« Neque potest missas solemnes cantare, Sanctissimum Sa- « cramentum aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis « functionibus ecclesiasticis se immiscere, sed tantum præesse « ut omnia suo ordine recte fiant : Sacra Congregatio Epi- « scoporum... » (Ferraris, v. *Vicarius Apostolicus,* n. 16 et seq.).

Ad differentiam vicarii, tum Episcopi, tum capituli, Vicarius Apostolicus utitur proprio sigillo, ac titulo Vicarii Apostolici ; et aliis decoratur honoribus, hujusmodi vicariis concedi solitis ad instar Præsulum (Pignatellus, tomo 9, consultatione 159, n. 10).

« Vicario Apostolico, in omnibus ecclesiis et ecclesiasticis « functionibus debentur tantum illæ prærogativæ, quibus « gaudent vicarii generales Episcopi. Et titulus illustrissimi « Vicario Apostolico non debetur... » (Ferraris, v. *Vicarius Apostolicus,* n. 53).

« Vicarius Apostolicus debet habere in choro, si non sit ca- « nonicus, præcedentiam supra omnes; et ideo sedere de- « bet in digniori sede, non tamen in solio episcopali : Sacra « Congregatio Episcoporum, in Cajetana, 22 januarii 1596. « Quod si dignior sedes chori esset occupata, tunc dignitates « et canonici descendere debent inferius uno gradu, relin- « quendo majorem ipsi vicario : Sacra Congregatio Episcopo- « rum, in Liciensi, 14 augusti 1590. » (Ferraris, v. *Vicarius Apostolicus,* n. 29).

Nota. — Quæ sub præsenti quæstione dicta sunt quoad honorifica, intelligenda videntur de Vicariis Apostolicis diœcesim administrantibus, sive vacante, sive plena sede.

Quæstio V^a^. — *Quænam Vicario Apostolico incumbat residendi obligatio?* — « Vicarius Apostolicus tenetur residere « in diœcesi, ad quam regendam missus fuit; nec potest ab « ea ad longum tempus discedere et alium substituere, abs- « que prævia licentia Sacræ Congregationis Episcoporum; ut

« eadem Sacra Congregatio declaravit, in Spoletana, 19 ju-
« nii 1647.

« Quod habet locum, etiamsi sit vocatus ab aliquo prin-
« cipe ; nam neque tunc potest : Sacra Congregatio Episcopo-
« rum, in Messanensi 27 maii 1603. Neque potest absque
« dicta licentia discedere, etiamsi sit accessurus ad Urbem :
« Sacra Congregatio Episcoporum, in Reatina 22 decembris
« 1600 » (Ferraris, verbo *Vicarius Apostolicus*, n. 26 et 27). Intelligenda autem est hæc residendi obligatio, sive a Vicario Apostolico administretur diœcesis sede plena, sive sede vacante.

§ III.

De administratoribus Apostolicis.

Casu quo quis Episcopus a diœcesis suæ administratione sit suspendendus, vel in perpetuum removendus, ob causas superiori paragrapho expositas, non semper deputatur vicarius Apostolicus ; sed quandoque ejusmodi diœcesis regimen *Administratori Apostolico* committitur.

Unam e causis, ob quas ejusmodi Apostolici Administratores constituantur, memorat Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 13, c. 6, n. 5) in hunc modum : « Accidit aliquando, gra-
« vibus id suadentibus causis, ut regius aliquis princeps, in
« legitima ætate nondum constitutus, alicui ecclesiæ præfi-
« ciatur, adjuncto eidem certo administratore, ad hoc ut
« meliori diœcesis regimine consulatur. Cum itaque dubi-
« tatum olim fuerit an hujusmodi administrator Apostolorum
« limina visitare, et statum ecclesiæ sibi quoque ad regendum
« commissæ, Apostolicæ Sedi repræsentare teneretur, Sacra
« Congregatio Concilii, die 13 augusti 1622 respondit, Admi-
« nistratorem tam proprio nomine, quam etiam principis Epi-
« scopi, Sixtinæ Constitutionis præceptum servare debere. »

In Gallia, ob aliam causam, haud ita pridem, constitutum

Lugduni vidimus Administratorem Apostolicum. Cum scilicet e Galliæ solio decidisset Napoleo I, avunculus ejus Cardinalis Fesch, Lugdunensis Archiepiscopus, ab omni archidiœcesis suæ administratione, ita disponente Sede Apostolica, remotus est; ipsique subrogatus, sub Administratoris Apostolici titulo, Reverendissimus de Pins, Episcopus *in partibus*.

SECTIO V.

De Protonotariis Apostolicis.

Dicimus 1° de eorum institutione ac vicibus : 2° de triplici eorum specie seu gradu : 3° de Protonotariis participantibus : 4° de Protonotariis ad instar participantium : 5° de Protonotariis titularibus seu honorariis : 6° an collatio beneficiorum a Protonotariis obtentorum, quando beneficia illa vacant, sit reservata Sedi Apostolicæ, etiam hodie in Gallia.

CAPUT I.

DE EORUM INSTITUTIONE AC VICIBUS SYNOPSIS HISTORICA.

Historicam de Protonotariis notionem breviter exhibet Pii VII Constitutio *Cum innumeri*, idibus decembris 1818 : « Cum innumeri ubique terrarum exstiterint viri gloriosi, qui « sæviente adversus christianum nomen gentilium potestatum « furore, illud tamen confiteri coram hominibus haud veriti « sint, duriora quæque tormenta, mortemque ex cruciatuum « vi immanissimam, læto constantique animo perpessi ; sapi- « enti profecto providentissimoque consilio novimus, vel a « primis temporibus constitutum, ut tot tamque illustria faci- « nora... diligenter scriptis accurateque mandarentur. Hinc « sancti Clemens I et Antherus item I, in Urbe et per alias « omnes regiones qua Dominicæ crucis professio late patebat, « viros adlegare, pietate, prudentia studioque religionis spe- « ctatos, *Notarios* primum, ac deinde (honoris ac dignitatis

« causa) *Protonotarios* nuncupatos, qui brevibus etiam (ubi « ex hostium metu opus esset) notis referrent clanculum in « tabulas martyrum nomina, factaque ab ipsis martyria, et « cunctas eorumdem res præclare gestas, ac verba cumprimis « graviora, quibus ex divinitatis instinctu compellare præsi- « des tyrannosque, ac de paganorum cæcitate affari disertis- « sime consueverunt.

« At pace demum Ecclesiæ feliciter data, martyriorumque « propterea recensione cessante, non inde tamen Protonota- « riorum munus sublatum est ; sed imo ex sancti Julii I præ- « decessoris nostri auctoritate demandatum iisdem est, stu- « diose describere quæ de fide ac disciplina sacrorum decer- « nebantur ; eaque et cætera omnia rei sacræ monumenta « apte periteque notare, atque una cum actis martyrum in « scriniis Ecclesiæ recondita ad posteritatis memoriam custo- « dire.

« Amplissimum idcirco Protonotariorum Apostolicorum « officium habitum semper est, ac pro muneris ipsius perso- « narumque illud obeuntium ratione, omni prorsus ætate « per prædecessores nostros illustribus Pontificiæ benevo- « lentiæ testimoniis est honestatum. Nominatum præ cæteris « volumus Sixtum V felicis recordationis, qui cum eos septem « dumtaxat, pro septem Urbis regionibus designatos nactus « esset, duodecim deinceps esse jussit, clarioribusque privi- « legiis donatos, redditibus etiam cumulavit, quibus ad hono- « ris dignitatem referendam necessaria suppeterent.

« Cum vero præter statos hosce Protonotarios, qui *de nu- « mero participantium* vocati sunt, alios etiam, qui iisdem « forsitan adjutores adstarent, viros... in Urbe elegerint « Romani Pontifices, eos etiam omnibus quibus Protonota- « riorum collegium potitur privilegiis honorisque insignibus « auctos decrevere.

« His accesserunt exteri quidam Protonotarii in aliis catho- « lici orbis regionibus, in idem munus per Romanos Pontifices « adsciti..., peculiaribus privilegiis instructi. » (Hanc Pii VII

Constitutionem in extenso reperies apud *Analecta Pontificia*, 26e livraison, mai et juin 1858, pagina 739.)

Protonotarii proprie dicti, id est, de numero participantium, officium suum vendere poterant, ita ut emptor venditori succederet in Protonotariorum collegio. At post ingentem anni 1793 perturbationem, suppressa sunt hæc et nonnulla alia venalia officia ; et loco solitorum reddituum, assignata est Protonotariis qui supervixerant pensio annua, ipsis quandiu viverent a gubernio solvenda. Sub Gregorii XVI Pontificatu, duo dumtaxat superstites erant Protonotarii Apostolici. Et horum obitu extinctum remansisset Protonotariorum participantium collegium, nisi illud dictus Pontifex restituisset. De quo sic adnotatur in litteris Apostolicis Pii IX, 9 februarii 1853 : « Ce collége réduit à peu de choses par les vicissitudes « du tems, se trouvant enfin presqu'anéanti, notre prédé- « cesseur Grégoire XVI, d'illustre mémoire, lui rendit ses « sept membres et son ancienne splendeur, par sa Constitu- « tion du 6 des ides de février 1838. » (Textum cito Gallice, ex diario *l'Univers*, 28 avril 1853, quia latinum præ manibus non habeo.)

CAPUT II.

DE TRIPLICI PROTONOTARIORUM SPECIE SEU GRADU.

I. Plerique auctores, etiam e recentioribus (prout Lucius Ferraris) duplicem dumtaxat distinguunt Protonotariorum speciem, videlicet : Protonotarios *de numero* participantium, et Protonotarios *extra numerum*. Hi scilicet scriptores non subdistingunt *Protonotarios extra numerum* in duas alias species, id est, *ad instar participantium*, et mere *titularium* seu *honorariorum* : duas quippe illas Protonotariorum extra numerum species, pro una eademque habuisse videntur.

II. At revera triplex distinguenda est classis : alii nempe sunt Protonotarii *de numero participantium*, seu stricte sumpti :

alii vero *ad instar participantium;* et alii tandem minoribus quam præcedentes privilegiis aucti, qui nec *de numero,* nec *ad instar* vocantur, sed simpliciter Protonotarii extra numerum, seu *titulares* aut honorarii. Recte distingui hunc triplicem Protonotariorum gradum palam facit Constitutio *Cum innumeri* Pii VII : etenim supracitatis hujus Constitutionis verbis memorat primo Pontifex : Protonotarios *qui de numero participantium vocati sunt* : tum alios, qui a Summis Pontificibus donati sunt *privilegiis honorisque insignibus quibus Protonotariorum collegium potitur :* et tandem alios, qui *his accesserunt, peculiaribus privilegiis instructi.* Sed clarius adhuc triplicem speciem paulo post exprimit Pius VII in hunc modum : « Hisce de electione « Protonotariorum *titularium* constitutis, cum eos longe dif- « ferre palam sit ab illis qui sunt *de collegio participantium*, vel « *ad instar participantium*, a Sanctissimo Domino Nostro ex « Romanæ Curiæ Prælatis adsciscuntur, decretum est... » Cum *titulares* illi protonotarii, *longe differre* dicantur, tum a Protonotariis de collegio participantium, tum a Protonotariis ad instar participantium, triplex admittatur necesse est species seu gradus.

CAPUT III.

DE PROTONOTARIIS PARTICIPANTIBUS.

Quæstio I[a]. — *Quænam eis privilegia Sixtus V contulerit.* — « Istud collegium septem Notariorum Sedis Apostolicæ fuit ampliatum ad numerum duodecim a Sixto V, Constitutione incipiente *Romanus Pontifex*; maximisque privilegiis fuit decoratum ab eodem Sixto V, in citata, et alia constitutione *Laudabilis*. Et imprimis : § 3, doctorandi facultatem concedit : et § 4, Notarios creandi : et § 5, spurios legitimandi ad successionem bonorum etiam ecclesiasticorum : et § 6, statuta pro collegio condendi : et § 7, familiares Papæ et Prælati domestici declarantur : et § 8, concedit ut panem honoris quotidie,

et vestes in coronatione et morte Papæ, et locum in cavalcatis Pontificalibus habeant : et § 9, ut litteræ Apostolicæ gratis pro eis expediantur : et § 10, ut emolumenta illis assignata nusquam eis diminuantur : et § 11, licentiam dat deferendi arma pro ipsis et eorum familiaribus : et § 12, facultatem eis concedit testandi, etiam de acquisitis ex bonis ecclesiasticis, pro ducatis duobus mille : et § 13, eos eximit et totaliter liberat a quorumcumque Ordinariorum locorum, et aliorum omnium judicum jurisdictione, potestate, superioritate, et dominio; ac Sedis Apostolicæ jurisdictioni et potestati dumtaxat immediate subjicit : et § 14, facultatem concedit creandi quolibet anno unum Protonotarium titularem, non participantem : et § 15, locum eis designat in signaturis : et § 16, pariter in actibus publicis Consistorii : et § 17, canonizationibusque sanctorum : et § 18, Consistoriis quoque publicis et capellis : et § 19, concedit ut habeant monetas argenteas et aureas coronationis : et § 20, constituit, quando Papæ serviant : et § 21, quando utantur pontificalibus : et § 22, altarique portatili » (Ferraris, verbo *Protonotarii de numero participantium*, n. 4).

Quæstio II[a]. — *Quænam eorum insignia, et præcedendi jus.* — « Induunt vestem et mantellettam violaceam, cum usu « rochetti in publicis functionibus; et habent in pileo, priva- « tive quoad omnes alios Prælatos, floccum rosacei coloris; « necnon pileum prælatitium nigrum, cordulis violaceis cir- « cumdatum, cum floccis dicti coloris rosacei » (Card Petra, tomo 5, ad Constitutionem 4 Pii II.)

« Olim isti Protonotarii habebant præcedentiam super Episcopos, ac consequenter super omnes Prælatos, ut inter alios tradit Cardinalis Petra (loco citato, n. 3). At Pius II, Constitutione incipiente *Cum servare*, præcedentiam Episcopis, etiam electis, super Notarios Papæ, vulgo Protonotarios nuncupatos, deberi statuit ubique, in Curia et extra.

« In Consistoriis vero publicis, quatuor Notarios assistere decrevit proximiores solio Pontificio honorabiliori loco, ut

videri potest in dicta Constitutione....Sicque isti Protonotarii in equitationibus solemnibus quæ fiunt occasione possessionis Romani Pontificis apud ecclesiam Lateranensem, in ingressu regum et magnorum principum ac hujusmodi, præcedentiam habent super Episcopos et Archiepiscopos non assistentes. Tunc enim primum locum occupant Episcopi assistentes Capellæ Pontificiæ, deinde Protonotarii, et post eos accedunt Archiepiscopi et Episcopi non assistentes...

« Protonotarii Apostolici in capella Pontificia, aliisque actibus distinctis a mox dictis, præcedunt quoscumque alios Prælatos non Episcopos »(Ferraris, v. *Protonotarii de numero*, n. 7 et seq.)

Quæstio IIIª. — *Quomodo Pius IX, feliciter regnans, Protonotariorum participantium privilegia moderatus sit ?* — 1° Ipsis concesserat Sixtus V doctores creandi facultatem. Privilegium illud certo modo restrinxerat Benedictus XIV. Tandem Pius IX, feliciter regnans (Constitutione sua 9 februarii 1853, quam in gallicam linguam translatam reperies in diario l'*Univers* 28 avril 1853) quoad dictam facultatem disposuit in hunc modum : Protonotariis de numero participantium conceditur, ut possint singulis annis doctoratum in theologia conferre quatuor personis ; item doctoratum in alterutro vel utroque jure quatuor pariter personis ; et sub sequentibus conditionibus, quæ nisi serventur collatio gradus declaratur nulla et irrita : *primo* dictum gradum conferre nequeunt Protonotarii nisi personis Romæ præsentibus : *secundo*, nec nisi transmissa ad Sanctissimum prævia de singulis candidatis relatione : *tertio*, fieri debet candidatorum examen a quinque saltem protonotariis participantibus : quod si tamen eo numero adesse nequeant, ad eum compiendum sibi adjungent professores e romano Archigymnasio : *quarto* circa examen servanda sunt quæ statuit Leo XII Constitutione *Quod divina sapientia : quinto*, a præfatis Protonotariis transmittenda est quotannis ad S. Congregationem super studiis relatio de collatis gradibus : ac insuper in Romani Collegii archivio deponenda est alia relatio promotorum nomina continens.

2° Privilegium doctores creandi in aliis præterquam theologiæ jurisque facultatibus (verbi gratia, in philosophia, medicina etc) dicta Constitutione revocavit Pius IX.

3° Eadem Constitutione disponitur ut facultatem quam eis concesserat Sixtus V unum *Protonotarium honorarium* singulis annis creandi, exercere nequeant nisi assentiente Romano Pontifice.

4° Eis insuper ademit Pius IX privilegium legitimandi personas ex illicito consortio ortas ; necnon facultatem creandi notarios aliosve publicos cfficiales,

5° Privilegium exemptionis ab Ordinariorum jurisdictione, septem Protonotariis participantibus confirmat dicta Pii IX Constitutio.

6° Item confirmat Pius IX privilegium, alias ipsis concessum, altaris portatilis : sub certis tamen conditionibus in eadem Constitutione expressis.

CAPUT IV.

DE PROTONOTARIIS AD INSTAR PARTICIPANTIUM.

Dicemus 1° Quænam hodie sint eorum privilegia : 2° Quo ritu insignia eis tradi soleant : 3° Quanam formula juramentum præstent; 4° Quanam formula eis insignia imponantur.

§ I.

Hodierna Protonotariorum ad instar privilegia.

Quando quis creatur Protonotarius *ad instar*, solet ei transmitti elenchus ejusmodi privilegiorum, a secretario collegii Protonotariorum participantium subscriptus. Præ manibus habui unum ex istis authenticis elenchis; eum nempe qui nuper ad Reverendissimum Dominum Haffreingue, diœcesis Atrebatensis presbyterum, expeditus est, quando Protonotarii

ad instar Participantium dignitate meritissimus vir decoratus est. Cujus tenor est hujuscemodi :

« Privilegia Protonatoriorum Apostolicorum ad instar participantium, ex Bullis ac Scripturis desumpta, quæ in Archivio collegii Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium asservantur :

« 1° Sunt familiares Summi Pontificis ac Prælati domestici, ita tamen ut jurisdictioni subjiciantur Ordinariorum.

« 2° Utuntur Rochetto, Cappa, Mantelleta et Mantellone in equitationibus Pontificalibus.

« 3° Lugubria induunt vestimenta in morte Pontificis, violacea in assumptione successoris.

« 4° In equitationibus Pontificalibus immediate sequuntur Episcopos solio assistentes, præcedunt vero Episcopos solio non adsistentes, quia hi habent tantummodo mantellettam.

« 5° In capella Papali locum habent post Eminentissimos Cardinales diaconos, scilicet in parte posteriori.

« 6° Si in capella Papali deficiant participantes, locum et functiones ipsorum accipiunt, ita ut etiam privilegio gaudeant sedendi in scamno Episcoporum, post ultimum, si unus tantum sit Protonotarius.

« 7° Extra Urbem in solemnibus poterunt induere omnia Pontificalia, habito tamen Ordinariorum consensu.

« 8° In Urbe et extra, cum in collegiatis, tum in cathedralibus ac patriarchalibus, præcedunt omnes canonicos ac dignitates, præter Episcopos.

« 9° Eo quod sint Protonotarii, sunt etiam referendarii utriusque signaturæ.

« 10° Jus habent insuper utendi pileo Pontificali ac semi-Pontificali, cordulis floccisque ac casarello rosaceis, sericis etiam, circumornato; et ferunt quotidianum pileum cum cordulis ipsis et casarello.

« 11° Habent indultum privati oratorii, ab Ordinario visitandi atque approbandi, in quo diebus etiam solemnioribus in consanguineorum et affinium secum cohabitantium, necnon

famulorum suorum præsentia missam vel per se celebrare, vel per quemcumque sacerdotem sæcularem vel cujusvis ordinis regularem rite probatum celebrare facere libere possint et valeant.

« 12° In eodem oratorio fruuntur stationibus cum indulgentiis quæ lucrantur in Urbe, visitando stationales ecclesias.

« 13° Absente Protonotario, in ipso oratorio licet celebrare missam, dummodo aliquis de supradictis in articulo undecimo sit præsens, et dummodo ipse Protonotarius domicilium non permutaverit, aut hoc oratorii privilegio uti velit aliunde.

« 14° jus habent testandi ac disponendi inter vivos usque ad ducatos auri cameræ bis mille.

« Ex secretaria collegii Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium, die 26 februarii 1859.. — Bernardini, secretarius collegii. »

§ II.

Quo ritu insignia ejus tradi, et eorum professio fidei ac juramentum fidelitatis recipi solcant.

Diœcesano Episcopo committi solet executio litterarum Apostolicarum, quibus Summus Pontifex aliquem Protonotarii *ad instar* dignitate exornat. Et tunc eidem Episcopo transmittitur folium, in quo servandus ritus describitur. Ejusmodi folium, quale nuper ad Reverendissimum et Illustrissimum Atrebatensem Episcopum directum est, subjicimus :

« Ritus qui servari poterit ab illustrissimo D. D. Petro Ludovico Parisis Episcopo Atrebatensi, Bononiensi et Audomarensi, in solemni receptione juramenti et professionis fidei præstandi et emittendæ a Reverendo plurimum Domino Agathone Benedicto Haffreingue, nuper a Sanctissimo D. N. Papa Pio IX per Apostolicas litteras Prælato Protonotario Apostolico ad instar participantium electo.

« Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus diœcesanus.

« uti Apostolicus commissarius de jure pro executione litterarum Apostolicarum, aliquo die festo, vel solemni, si magis ei placuerit, solito comitatu accedet ad cathedralem, vel aliam ecclesiam, et ad fores ipsius ecclesiæ excipietur a clero de more, et porrecto sibi per electum Protonotarium aspersorio, signet se lustrali aqua, et aspersorium ipsum tangendo porrigat eidem Protonotario et aliis Prælatis si adsint; et facta ut moris est aspersione super clerum et populum, accedet ad adorandum SS. Eucharistiæ sacramentum in solito sacello super genuflexorium ornatum, ut moris est; et electus in sinistris ejus super violaceo pulvinari posito in pavimento. Et ipse electus habeat caligas violaceas, talarem vestem caudatam cum globulis et ornamentis prælatitiis coccinei coloris; et vestis sit violacea; præcingente zona serica violacea cum lemniscis ejusdem coloris; et (habeat) mantellettum seu pallium pariter violaceum, ac nigrum presbiterale biretum. Facta adoratione accedant Episcopus et electus ad aram principem, et salutata cruce super altare existente, Pontifex ad solium et electus ad sedem cameralem e conspectu throni sitam in plano presbyterii. Et Episcopus, si velit, paret se ad celebrandam missam de officio currenti. Peracta missæ celebratione, Pontifex in sua sede, deposita casula et manipulo, accipit pluviale albi coloris, mitram auriphrigiatam et baculum pastoralem, sedentibus hinc inde in scabellis duobus canonicis assistentibus in habitu canonicali chorali. Tum accedente ante ipsum electo Protonotario, associato a cæremoniario, et a clerico qui Apostolicum Breve super pelvim deferat; et facta profunda reverentia Pontifici, ascendant solium; et electus tradat ipsi Breve, quod per cancellarium seu secretarium faciat alta voce publicari ac perlegi. Post hæc Protonotarius denuo solium cum cæremoniario conscendat, et genuflexus ante Episcopum super pulvinari violaceo, legat juramentum (1). Et Episcopus

(1) Vide formulam sequenti paragrapho.

« habeat super genua missale apertum, et in fine dum dicit « electus : *Sic me Deus adjuvet* etc., tangat manu dextera « textum evangelii et osculetur. Hisce expeditis, adhuc genu- « flexus pronuntiet distincta voce formulam professionis « fidei (1), in cujus fine similiter tangat librum evangeliorum « seu missale et osculetur.

« Tum Pontifex adhuc sedens, deposito baculo pastorali, « ministrantibus diaconis assistentibus, auferat pallium seu « mantellettum electi, eique imponat rochettum ; et mox « denuo electus reassumat mantellettum per manus Epi- « scopi. Dein capiti imponat biretum clericale, et super ipsum « galerum pontificale rotondæ figuræ, cum floccis seu lem- « niscis coccinei coloris, in superiori parte ex nigra lana, et « in posteriori violaceo serico subjectum. Et porrigentibus « sibi capellanis librum et palmatorium, pronuntiet distincta « voce formulam : *Induo te* etc. (2).Et expleta prædictæ for- « mulæ recitatione, ablatisque galero et bireto ad osculum « pacis recipiat Protonotarium. Qui debitis inclinationibus « peractis tum Pontifici tum altari, ad suum locum redeat « coram solio. Et Episcopus deposita mitra intonet hymnum « *Te Deum laudamus*. Quo expleto accedentibus iterum minis- « tris de libro et palmatorio canat *Benedicamus Patrem et Fi-* « *lium* etc., cum solita oratione pro gratiarum actione. Et in « fine populo solemniter benedicat. »

§ III.

Formula juramenti a Protonotariis Apostolicis præstandi.

Ego N... Notarius Apostolicus Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ab hac hora in antea, fidelis et obediens ero Beato Petro sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino meo Domino N..., ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in

(1) Nimirum formulam Pii IV, quæ habetur in Pontificali.

(2) Vide formulam, infra, paragrapho 4.

facto, consilio, consensu, vel auxilio, quod vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium quod per se vel Nuntium suum seu litteras mihi credituri sunt, signo, verbo vel nutu, me sciente, ad eorum damnum vel præjudicium nemini pandam. Si vero damnum eorum tractari scivero, pro posse meo impediam ne fiat : quod si per me impedire non possem, per nuntium aut litteras eis significare curabo, vel illi per quem citius ad eorum notitiam deducantur. Papatum Romanum et regalia sancti Petri, et omnia jura Romanæ Ecclesiæ quæ habet ubique, manutenebo totis viribus et defendam, et adjutor ero ad recuperandum contra omnes homines pro posse meo. Negotia mihi a Sanctissimo Domino Nostro Papa commissa vel committenda fideliter geram et sollicite procurabo. Notariatus prædicti officium fideliter exercebo, nil addendo vel minuendo sine voluntate Sanctissimi Domini Nostri, quod immutet substantiam actus mihi impositi. Attestationes super negotiis, inquisitionem canonizandorum respicientibus, fideliter in scriptis imponendas et redigendas, in publicam formam fideliter redigam. Et omnia alia quæ ubique imponentur mihi per Sanctissimum Dominum Nostrum fideliter peragam. Dolum seu fraudem contra ipsum officium non committam, nec committi consentiam ; sed si sciam aliquem dolum vel fraudem circa illud committentem, Sanctissimo Domino Nostro quantocius commode potero revelabo. Litteras quæ expediri debent in Cancellaria malitiose non impediam nec impediri consentiam. Impugnantes vero litteras in Cancellaria prædicta, partibus seu procuratoribus vel personis aliis per quas pervenire possit ad eorum notitiam, minime revelabo. Secreta etiam alia ipsius Cancellariæ quæ secreta esse cognovero, secrete tenebo, eaque scienter nemini pandam. Supradicta omnia et singula promitto et juro attendere et servare sine omni dolo et fraude ac malitia. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia.

§ IV.

Formula in tradendis insignibus.

Induo te Rocchetto et Mantelletto, ac capiti tuo biretum, et supra biretum, cappellum nigrum cordulis rosaceis circumornatum, ac etiam serico rosaceo suffultum, cum floccis ejusdem coloris impono, ut hodie intelligas te Protonotarium Apostolicum ad instar participantium fuisse creatum, ac de cætero uti frui ac gaudere posse effectu gratiæ, tibi a Sanctissimo Domino Nostro concessæ, ut in litteris Apostolicis in forma Brevis desuper expeditis plenius continetur. Demum ad osculum pacis te recipio, ac fraterna in Domino charitate te amplector; quod felix faustumque semper sit.

Nota. — Hanc, prout et præcedentis paragraphi formulam, qualis e Romana Curia ad laudatum Atrebatensem Antistitem expedita est, transcripsimus.

CAPUT V.

DE PROTONOTARIIS TITULARIBUS, SEU QUI NEC PARTICIPANTES SUNT, NEC AD INSTAR PARTICIPANTIUM.

Quæstio I^a. — *Quid circa ipsos statuerit Pius VII.* — In sua Constitutione *Cum innumeri*, anno 1818, eorum privilegia determinavit ut sequitur: « Decretum est, ea dumtaxat privilegia, jura, exemptiones, præeminentias, prærogativas iisdem competere, quæ infra singillatim enumerantur: aliis proinde quibuscumque, præsenti decreto non descriptis, irritis declaratis et deletis et abrogatis...

« I. Igitur jus erit Protonotariis Apostolicis titularibus, extra Urbem dumtaxat, et quando eo loci ubi degunt non adsit Summus Pontifex, uti habitu prælatitio, videlicet veste talari, et palliolo nuncupato mantelletto nigri coloris.

« 2. Eo habitu prælatitio nigri coloris cum rochetto subtus palliolum uti poterunt Protonotarii in publicis supplicationibus aliisque ecclesiæ functionibus. In reliquis vero rochettum dimittant; simulque sciant se, licet forte plures insimul conveniant, non exinde constituere collegium, nec corporatos censeri.

« 3. Usus collaris et caligarum coloris violacei omnino interdicitur; item et vitta seu cordula in pileo coloris violacei, seu etiam (quo nonnullorum audacia erupit) rosacei aut rubei; quæ nigri tantum coloris esse poterunt: ejusdem coloris sit pariter pileum cum lemnisciis stemmatibus imponendum.

« 4. Protonotarii titulares, qui dignitate aut canonicatu potiuntur, habitum gestent sui ordinis, non vero prælatitium, in choro; eoque consideant loco, quem ex beneficio eos deceat: quod si habitu prælatitio uti velint, distributionibus priventur, quæ sodalibus accrescant.

« 5. Habitu prælatitio induti, omnibus clericis, sacerdotibus simplicibus, et etiam canonicis præferendi sunt singulatim sumptis, non vero in collegium coeuntibus. Neutiquam etiam præferendos se esse arbitrentur aut Apostolicis Nuntiis, aut utriusque signaturæ referendariis, aliisve ex Romanæ Curiæ Præsulibus, etiamsi nullum ex sui muneris insignibus ii gestent, dummodo de ipsorum gradu non lateat. Item nec antecellant vicariis generalibus, aut capitularibus, aut Abbatibus.

« 6. Sacrum operantes, a simplicibus sacerdotibus minime differunt: idcirco sacras vestes induant in sacrario, uno tantum ministro utantur, ipsique calicem deferant, detegant, cooperiant: item libri missarum folia evolvant. Vetantur præterea palmatoriam, canonem, annulum, pileolum adhibere.

« 7. Quando adstant ad Sacra cum habitu prælatitio, non genuflectant, sed caput inclinent, uti in more est apud canonicos cathedralium: duplici ductu thurificentur: consideant vero in loco per cæremoniale Episcoporum constituto.

« 8. Conficere possunt acta de causis beatificationis et canonizationis servorum Dei : quo tamen privilegio uti nequeant, si eo loci alter sit e Protonotariis participantibus.

« 9. Item rite eliguntur in conservatores ordinum regularium, in judices synodales, in commissarios Apostolicos, et judices a Summo Pontifice adcissendos pro causis ecclesiasticis et beneficiariis. Item apud ipsos professionem fidei recte emittunt, qui ex officio ad eamdem adstringuntur. Item coram ipsis pensiones transferri possunt ab iis qui eo gaudent privilegio.

« 10. Beneficia eorum, qui protonotariatum titularem per Apostolicas litteras, vel per diploma collegii Protonotariorum participantium assecuti sunt, nonnisi ab Apostolica Sede conferri possunt.

« 11. In civilibus negotiis, necnon in criminalibus, atque in vitæ disciplina, Ordinariis locorum obnoxios plane se esse noverint, nullaque ratione ab ipsorum jurisdictione liberos se comminiscantur.

« 12. Etsi habitum prælatitium non gestent, gaudent tamen privilegio fori, dummodo in habitu et tonsura incedant.

« 13. Familiaribus Papæ minime accensentur ; cum hoc privilegio gaudeant Protonotarii dumtaxat e participantibus, vel Romanæ Curiæ Prælati, qui ex Pontificis benignitate iisdem æquiparantur.

« 14. Quæ hic percensentur privilegia ea sunt, quibus dumtaxat Protonotarii titulares donatos se sciant : qui secus facere, aliisque præter memorata privilegiis ac juribus uti auserint, si ab Ordinario, tanquam ab Apostolica Sede delegato semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso privatos delato honore se sciant.

« 15. Tandem qui Protonotariatu titulari donati sunt, vel per Apostolicas litteras, vel alio legitimo diplomate, nequeant uti ipsius juribus ad hujusce decreti præstitutum constabilitis, nisi antea, vel Apostolicas litteras, vel diploma ipsum in officio secretarii collegii Protonatoriorum de numero participantium

exhibuerint, qui in codicem referat nomen, cognomen, ætatem, patriam, qualitates novi Protonotarii titularis, ac præterea diem ad quam vel Breve, vel diploma datum est.

« Quibus peractis, fas ipsis sit habitum sui gradus induere, officium tenere, uti privilegiis, honoribus, prærogativis, quorum notula typis impressa, et ab aliquo ex Protonotariis participantibus subscripta et obsignata iisdem tradetur; ne quid adversus hæc decreta, ex ipsorum ignoratione peragi contingat.

« Quare tum litteræ Apostolicæ in forma Brevis, tum diplomata quibus Protonotarii titulares creantur, concinnanda erunt juxta hujusce decreti sententiam, ne qua ibidem ab eo aliena describantur. »

Quæstio IIª. — *In quo præcipue hodie differant Protonotarii ad instar a Protonotariis titularibus.*—1° Utrique Ordinariorum jurisdictioni subjiciuntur, ac proinde in hoc non differunt. 2° Protonotarii ad instar possunt, de consensu Ordinariorum, in solemnibus induere Pontificalia, verbi gratia, Mitram et alia; id autem nequeunt Protonotarii titulares. 3° Protonotarii ad instar sunt familiares Papæ : alii secus. 4° Priores habent oratorii privati privilegium, quo privilegio alii carent.

CAPUT VI.

AN BENEFICIA A PROTONOTARIIS OBTENTA, QUANDO VACANT, SEDI APOSTOLICÆ SINT RESERVATA ETIAM HODIE IN GALLIA.

Ejusmodi beneficia a Protonotariis sive participantibus, sive etiam non participantibus obtenta, Sedi Apostolicæ de jure communi sunt reservata, vi extravagantis *Ad regimen* et regulæ primæ Cancellariæ ; prout videre est apud Rigantum (ad regulam 1, § 4, n. 46 et seq.). Atque idem expresse sancivit Pius VII in supra citata Constitutione *Cum innumeri*, his verbis : » Beneficia eorum qui protonotariatum titularem « consecuti sunt, nonnisi ab Apostolica Sede conferri pos-

« sunt. » Quæ verba quæstionem simul dirimunt, an reservatio intelligenda sit tantum quoad Protonotarios participantes, an etiam quoad alios. Etenim Pius VII reservationem ibi declarat quoad Protonotarios inferioris speciei, id est, titulares, de quibus potius disputari potuisset. Dubium ergo non est, de jure communi reservatam Sedi Apostolicæ remanere collationem beneficiorum a Protonotariis obtentorum, quando vacant.

Hinc quoad Galliam oritur quæstio, an si quis Protonotarius parochiam aut canonicatum obtineat, applicandum necne sit dictum jus commune: id est, an post ipsius obitum Sedi Apostolicæ reservata censenda sit illius beneficii collatio? Si de parochia agatur, negative respondendum est; si de canonicatu, affirmative. Nam parochiarum quidem collatio Episcopis sine ulla limitatione aut reservatione per Concordatum anni 1801, et expressius per decretum executoriale Cardinalis Capraræ (10 aprilis 1802) pro singularum diœcesum erectione, attributa est. Etenim in Concordato dicitur : *Episcopi ad parœcias nominabunt.* Et in præfato executoriali decreto palam fit vocem *nominabunt* intelligendam esse de jure *conferendi.* Sic nempe legere est in formula (1) pro Mechliniensis Archidiœcesis erectione : *Iisdem ecclesiis ita in parochiales erectis, Archiepiscopus ipse* RECTORES DABIT. Et paulo post eidem Archiepiscopo aliæ attribuuntur facultates *præter collationem parœciarum.*

At potestas cætera conferendi præter parochias beneficia, non confertur Episcopis nisi *salvis reservationibus et limitationibus,* quæ vigebant in Galliis ante regiminis mutationem. En dicti decreti executorialis verba : *Eidemque futuro ac pro tempore existenti Archiepiscopo Mechliniensi, ut præter collationem parœciarum, eo modo qui in sæpe memorata conventione ac in præsenti decreto statutus est, quæcumque alia, cum cura et sine cura, ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata, juxta formas,*

(1) Eadem pro cæterarum diœceseon erectione adhibita est formula, mutatis dumtaxat episcopatuum nominibus.

relate ad Gallias, ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi et de illis providendi, de eadem specali Apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur. Clausula *salvis reservationibus*, non refertur ad collationem parœciarum, seu damtaxat ad collationem aliorum beneficiorum. Ergo jus conferendi parochias habent Episcopi Galliæ sine ulla limitatione ac reservatione. Jus autem cætera beneficia conferendi non habent, nisi cum reservationibus et limitationibus, quæ ante mutationem regiminis anni 1793 in Gallia vigebant.

Jam vero ante præfatam mutationem vigebat in Gallia, vi Concordati Leonis X cum Francisco I, reservatio beneficiorum vacantium in Curia (vide meum tractatum *de Principiis*, pag. 294). Ergo, si agatur de canonicatu vacante per mortem Protonotarii, collatio est Sedi Apostolicæ reservata : secus si agatur de parochia.

FINIS.

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM.

Pag.

Totius tractatus distributio 1

PARS PRIMA. De Cardinalibus seu de sacro collegio. 5

CAPUT I. De voce *Cardinalis* 6

§ I. Quænam sit vocabuli *Cardinalis* grammatica significatio et antiquitas . 6

§ II. Quenam sensum vox *Cardinalis* habeat in scriptis sancti Gregorii Magni 8

Propositio Ia. Apud di tum Pontificem nunquam vox *Cardinalis* adhibita occurrit in sensu ***principalis*** cujusdam inter alios ejusdem ecclesiæ ejusdemque ordinis clericos. 8

Propositio IIa. Apud S. Gregorium Magnum vox *Cardinalis* non significat gregis Pastorem, id est, ecclesiæ rectorem seu parochum 11

Propositio IIIa. Apud S. Gregorium, vox *Cardinalis* non designat exclusive clericum alicui ecclesiæ perpetuo et irrevocabiliter addictum, sed dicitur etiam de clerico a sua ecclesia depulso, et alteri addicto donec ad suam reverti possit. 12

Propositio IVa. Apud S. Gregorium Magnum, Cardinales frequentissime vocantur qui ex ecclesia in qua ordinati fuerant ad aliam migrantes, huic addicebantur seu incardinabantur 14

Propositio Va. Juxta S. Gregorii stylum, Cardinales alicujus ecclesiæ erant, non tantum qui alibi ordinati ad eam ecclesiam transferebantur eique incardinabantur, sed et ii qui ad illam ecclesiam seu ad illum cardinem ordinati fuerant 17

Scholium. Utrum S. Gregorius Magnus Cardinales intellexerit clericos cathedrali dumtaxat ecclesiæ affixos, non satis liquet 21

§ III. Medio ævo *cardo* dicta tum Sedes Apostolica, tum quælibet cathedralis ecclesia : Cardinales vero nuncupati majores clerici, qui vel Summo Pontifici, vel singulis Episcopis vicinius inhærentes, quoddam cum eo tanquam capite corpus constituebant 24

Propositio Ia. Romæ ab octavo saltem sæculo certi clerici dicebantur presbyteri et diaconi Cardinales, seu cardinis. 24

Pag.

Propositio IIª. In locutionibus sub præcedenti propositione memoratis, vox cardo designabat ipsammet Sedem Apostolicam 25

Propositio IIIª. Medio ævo in singulis diœcesibus quidam pariter vocabantur presbyteri et diaconi cardinis 26

Propositio IVª. In locutionibus sub præcedenti propositione memoratis, vox cardo significabat cathedralem ecclesiam. 26

Propositio Vª. Qui sive Romæ, sive in aliis diœcesibus, dicebantur cardinis, iidem Cardinales nuncupati sunt : et quidem ex speciali eorum cum cardine (id est, cum Papa, vel Episcopo) cohærentia 27

Propositio VIª. Cardinales in qualibet diœcesi, medio ævo, nihil aliud erant quam canonici, cathedrale nempe capitulum seu antiquum presbyterium. 29

§ IV. Circa varios variis temporibus vocabuli *Cardinalis* sensus, capitis conclusio. 31

CAPUT II. In triplicem Ecclesiæ Romanæ Cardinalium ordinem, atque in eorum numerum et titulos, disquisitio historica 33

§ I. De presbyteris Cardinalibus eorumdemque titulis 33

I. Quo tempore cœperit Urbs Roma in varias parochias et titulos distingui 33

II. Unde ortum tituli nomen 34

III. Quot extiterint variis temporibus et nunc extent tituli cardinalitii presbyterales 36

§ II. De Cardinalibus diaconis, eorumque diaconiis, et quomodo aliqui etiam extiterint Cardinales subdiaconi 38

§ III. De Episcopis Cardinalibus et eorum episcopatibus 40

CAPUT III. Collegii Cardinalium antiquitas, et an divinæ institutionis sit, an vero dumtaxat Apostolicæ. 45

Propositio Iª. Cardinalium vocabulo intelligendum hodie est clericorum collegium ad auxiliandum Romano Pontifici in Ecclesiæ regimine sede plena, ad supplendum sede vacua, institutum 45

Propositio IIª. Cardinalium collegium statim ab ipsis Romanæ Ecclesiæ exordiis extitit, licet nondum eo Cardinalium vocabulo tanquam sibi proprio designatum. 46

Propositio IIIª. Cardinales esse institutionis divinæ, fuit opinio valde recepta, et a gallicanis præcipue doctoribus propugnata 47

Propositio IVª. Sententiam quæ juri divino adscribit Cardinalium institutionem, nec de fide, nec fidei proximam esse, videtur posse licite sustineri. 50

Propositio Vª. An a suprema Ecclesiæ potestate supprimi aliquando possit Cardinalium collegium, inter dubias quæstiones videtur relinquendum . . 54

CAPUT IV. Cardinalatus essentia et definitio 55

CAPUT V. De superioritate cardinalitiæ dignitatis præ omnibus Ecclesiæ Prælatis, excepto solo Romano Pontifice 58

Pag.

§ I. Exponitur sententia quæ tenet dictam præcedentiam nonnisi undecimo aut duodecimo sæculo Cardinalibus accessisse 56

§ II. Expendantur rationes afferri solitæ ad probandum episcopali olim inferiorem fuisse cardinalitiam dignitatem. 58

§ III. Rationes sententiæ quæ tenet cardinalitiam dignitatem episcopali superiorem semper exstitisse 68

§ IV. Sive ab initio, sive ab undecimo dumtaxat sæculo præcedentiam supra Episcopos obtinuerint Cardinales presbyteri et diaconi, legitima est et merito inducta hæc eorum prærogativa. 72

CAPUT VI. Quomodo sese habeant ad invicem Papa et sacrum collegium quoad universalis Ecclesiæ regimen ; seu an Papa teneatur cum Cardinalium consilio consensuve et ministerio procedere. 75

§ I. An in expediendis Ecclesiæ negotiis Romano Pontifici necessarius sit Cardinalium consensus. 76

Propositio I^a. Papa in levioris momenti negotiis, neque quoad validitatem, neque quoad liceitatem Cardinalium consensu indiget. 76

Propositio II^a. In arduis negotiis, Cardinalium consensu Papa non indiget, quoad actus validitatem 77

Propositio III^a. Neque quoad liceitatem tenetur Papa in arduis negotiis Cardinalium consensum requirere 81

Propositio IV^a. Papa non indiget Cardinalium consensu ad alienanda Ecclesiæ bona 83

Propositio V^a. Neque dicto consensu eget ut solitum Cardinalium numerum augeat 90

Propositio VI^a. Papa nec synodo, nec sacri collegii consensu indiget ad deponendum aliquem Cardinalem. 91

Propositio VII^a. Papa sacri collegii consensu non indiget, ut aliquem ad cardinalatum evehat. 93

Propositio VIII^a. Sententia quæ tenet, requiri sacri collegii consensum si Papa agat ex potestate ***ordinaria***, secus si ex potestate ***extraordinaria***, videtur vel ad sensum expositæ doctrinæ reducenda, vel errore et periculo non vacare. 94

§ II. An teneatur Papa in expediendis Ecclesiæ negotiis Cardinalium consilium expetere 99

Propositio I^a. Ad actuum Pontificiorum valorem non tenetur Papa Cardinalium consilium requirere 101

Propositio II^a. Neque ad liceitatem actuum Pontificiorum necessarium est (regulariter loquendo) Cardinalium consilium 103

CAPUT VII. De Cardinalium creatione 108

§ I. Quid requiratur ut quis Cardinalis creetur, eique vere competant cardinalatus jura 108

Propositio I^a. Ad creandum Cardinalem, sola requiritur Summi Pontificis voluntas sufficienter expressa ; ita ut nulla certa formula, nullu

Pag.
ritus, nulla cœremonia ad id essentialis sit. 108
Propositio IIª. Decrevit Eugenius IV, ut promoti ad cardinalatum pro Cardinalibus non haberentur ante recepta insignia : neque vocem haberent in electione Summi Pontificis, antequam os eis apertum fuisset, id est, votandi facultas concessa esset. 109
Propositio IIIª. Dicta Eugenii IV constitutio non potuit ipsius successores obligare : de facto secuti Pontifices omnia cardinalatus jura promotis Cardinalibus contulerunt ante oris aperitionem et insignium traditionem : et jamdudum certum est hanc esse Romanorum Pontificum intentionem et voluntatem, dum aliquem Cardinalem creant, quamvis Eugenianæ constitutioni expresse non derogent. 109
Propositio IVª. Etiamsi Papa, ante suam promotionem jurasset, nulli purpuram se daturum nisi ex consensu sacri collegii, nihilominus absque illo consensu Cardinales valide ac licite creare posset 111
§ II. De forma et ritu in Cardinalium creatione adhiberi solitis : et de hodierna praxi quoad eorum numerum 112
§ III. Qualitates requisitæ ut quis ad cardinalitiam dignitatem evehatur . . 115
§ IV. An et quatenus ex omnibus christianitatis nationibus assumendi sint Cardinales, et aliqui etiam ex regularium ordinibus. 116
CAPUT VIII. Quatenus Cardinales residere teneantur, et quænam sit eorum in titulis suis jurisdictio 118
Quæstio Iª. An et ubi Cardinales residere tencantur? 118
Quæstio IIª. Quænam sit Cardinalium in suis respective titulis jurisdictio ? 119
CAPUT IX. De Cardinalium prærogativis 122
CAPUT X. De officio et potestate Cardinalium, sede Romana vacante, et de conclavi. 123
§ I. Ad Romanum Pontificem pertinet determinare a quibus et qua forma ipsius successores eligendi sint : an autem posset ipse sibi successorem eligere ac designare, controvertitur. 123
Propositio Iª. Christus Dominus eligendi Summi Pontificis formam ipse non determinavit, sed reliquit ab ecclesiastica auctoritate præscribendam. 123
Propositio IIª. Romano Pontifici collata est a Christo potestas formam determinandi, juxta quam ipsius successores eligi deberent. . . . 124
Propositio IIIª. An possit Summus Pontifex ipse sibi successorem eligere, controvertitur 125
§ II. Quo jure, et a quo tempore ad Cardinales exclusive pertineat Summum Pontificem eligere. 126
Quæstio Iª. Quomodo peracta fuerit Summorum Pontificum electio per quatuor priora sæcula ? 126
Quæstio IIª. Quis fuerit modus eligendi Summi Pontificis, a quinto sæculo usque ad undecimum 126
Quæstio IIIª. Quis fuerit modus eligendi Summi Pontificis a Nicolao II,

Pag.
anno 1059, constitutus? 128
Quæstio IV^a. Quis fuerit modus eligendi Summi Pontificis ab Alexandro III statutus, anno 1178? 128
Quæstio V^a. Quomodo forma eligendi Romani Pontificis ulterius a Sede Apostolica determinata fuerit? 129
Quæstio VI^a. Cui juri tribuenda sit Cardinalium prærogativa Summum Pontificem exclusive eligendi? 130
§ III. Quænam sit, Sede Apostolica vacante, sacri collegii potestas seu jurisdictio? 130
Propositio I^a. Cardinalibus prohibitum est ullam Pontificiam jurisdictionem aut potestatem, sede vacante, exercere, præterquam in casu imminentis periculi, cui esset illico occurrendum 130
Propositio II^a. Ergo nequit sacrum collegium, Sede Apostolica vacante, creare novos Cardinales; nec Cardinalibus, per Papam depositis et officio suo privatis, jura cardinalatus vocemve activam restituere; nec Cardinalibus recens creatis insignia tradere; nec Episcopos creare, aut electos confirmare; nec beneficia conferre; nec decreta gratiæ aut justitiæ a defuncto Pontifice pronuntiata ad executionem deducere. . . 131
Propositio III^a. Ergo lex canonica, quod defuncti Episcopi ordinaria jurisdictio ad capitulum transeat, sacro collegio, ab anno saltem 1273 non fuit applicabilis. 131
Propositio IV^a. Jurisdictio sacrarum congregationum Cardinalium perdurat Sede Apostolica vacante; quamvis tunc quoad graviora negotia exerceri non soleat 132
Propositio V^a. Quamvis Cardinalium jurisdictio, Sede Apostolica vacante, intra fines supra expositos restricta fuerit, adhuc verum remanet, eos in Ecclesiæ universalis regimine defunctum Pontificem supplere. . . . 133
Propositio VI^a. Duobus de papatu contendentibus, ad Cardinales pertinet generale concilium convocare: item ad eos pertinet intrusum in papatu anathematizare ac detrudere. 133
§ IV. De forma celebrandi conclavis 134
CAPUT XI. De decano sacri collegii 139
CAPUT XII. De officialibus sacro Cardinalium collegio addictis, qui vocantur clericus italus, clericus nationalis et computista. 140
PARS SECUNDA. Notio de Romanis congregationibus et tribunalibus. . 143
CAPUT I. De sacro consistorio et sacra congregatione consistoriali. 144
§ I. Quid sit consistorium, et quænam ejus origo et antiquitas 144
§ II. Quotuplex sit consistorium, et quodnam uniuscujusque speciei proprium objectum. 147
§ III. Quænam negotia in consistorio expediri soleant. 150
§ IV. Quid sit S. congregatio consistorialis 151
Nota. De particulari congregatione super promovendis ad episcopatum. . 152
CAPUT II. De sacra congregatione sancti officii seu universalis inquisitionis. 152

Pag.

§ I. Quid sit sacra congregatio sancti officii seu inquisitionis : quandonam instituta : et quomodo differat a sancto officio seu inquisitione. 153

Quæstio I^a. Quid sit sanctum officium seu inquisitio? 153

Quæstio II^a. Quid sacra congregatio sancti officii seu inquisitionis? . . 155

§ II. Quibus personis constet sacra congregatio universalis inquisitionis. . 155

§ III. Quænam causæ et personæ dictæ sacræ congregationis jurisdictioni subjaceant. 156

§ IV. Qua forma in sacra congregatione inquisitionis procedi soleat . . . 158

§ V. Quisnam sit specialis procedendi modus quoad librorum examen et proscriptionem. 159

CAPUT III. De sacra congregatione indicis 161

§ I. Quid sint index et sacra congregatio indicis 161

Quæstio I^a. Quid sit et quomodo confectus fuerit prohibitorum librorum index seu catalogus? 161

Quæstio II^a. Quomodo instituta sit et quibus personis constet Sacra Congregatio indicis? 163

§ II. Quisnam sit sacræ congregationis indicis procedendi modus. 164

§ III. Regulæ a Benedicto XIV consultoribus traditæ ut rectum de libris judicium ferant 167

CAPUT IV. De sacra congregatione concilii : ubi et de duabus sectionibus huic congregationi adjectis, pro visitationibus sacrorum liminum, et pro recognoscendis synodis provincialibus. 168

§ I. Quomodo instituta fuerit sacra congregatio concilii, et quænam ipsi collata potestas. 169

§ II. Quomodo ipsi tanquam appendices adjectæ sint duæ sectiones, seu particulares congregationes : altera super relationibus de statu ecclesiarum, quæ fiunt ab Episcopis, in visitationibus *ad limina* ; altera quæ provinciales synodos recognoscat. 171

§ III. Quibus personis constet sacra congregatio concilii 173

§ IV. De procedendi modo huic sacræ congregationi proprio. 175

§ V. De regestis sacræ congregationis concilii, quæ *libri decretorum*, necnon *thesaurus resolutionum* nuncupantur. 182

CAPUT V. De sacra congregatione rituum. 183

§ I. Quomodo instituta sit, quem in finem, et quibus personis constet . . 184

§ II. De variis speciebus comitiorum quæ a sacra congregatione rituum habentur : de ipsius procedendi modo : et de lege secreti, qua ipsius membra obstringuntur 186

CAPUT VI. De sacris congregationibus quæ *super disciplina regulari* et *super statu regularium* nuncupantur 192

§ I. Quomodo sacra congregatio *super statu regularium* erecta fuerit ab Innocentio X, et a Clemente IX confirmata. 192

§ II. Quomodo Innocens XII congregationem *super statu regularium* suppresserit, et congregationem *super disciplina regulari* instituerit . . 193

Pag.

§ III. Quomodo Pius Papa IX novam sacram congregationem *super statu regularium* instituerit, non suppressa, sed aliquatenus immutata sacra congregatione *super disciplina regulari* 194

§ IV. Decreta quædam dictæ recens institutæ S. congregationis, quæ *super statu regularium* nuncupatur. 196

I. Decretum de receptione novitiorum ad habitum et professionem . . . 197

II. Decretum de Ordinariorum testimonialibus litteris pro dicta receptione requirendis 206

III. Declarationes circa duo præmissa decreta 209

IV. Instructio pro examinandis iis qui ad habitum admitti postulant. . . 214

V. Decretum quo statuitur ut peracta probatione, novitii simplicia dumtaxat vota emittant, et nonnisi post tres annos ab emissis simplicibus, ad solemnium emissionem admittantur 245

CAPUT VII. De sacra congregatione Episcoporum et regularium. 218

§ I. Quid sit et quænam ejus origo. 218

§ II. Quibus personis constet 219

§ III. Quænam causæ ac negotia ad hanc S. congregationem spectent. . . 221

§ IV. De proprio ipsius procedendi modo 222

Quæstio I^a. Quomodo procedendi modum describat Plettenberg? 222

Quæstio II^a. Quisnam hodie vigeat procedendi modus? 224

CAPUT VIII. De sacra congregatione de propaganda fide. 230

§ I. Quomodo instituta sit 230

§ II. Qua jurisdictione seu potestate donata sit 231

§ III. Quibus adjumentis instructa sit. 234

§ IV. Qua forma in dicta sacra congregatione procedi soleat 238

CAPUT IX. De sacra congregatione super negotiis ecclesiasticis 236

CAPUT X. De sacra congregatione indulgentiarum et sacrarum reliquiarum . 237

CAPUT XI. De sacra congregatione super residentia Episcoporum. 238

Quæstio I^a. Qua forma et quem in finem Urbanus VIII dictam congregationem instituerit? 233

Quæstio II^a. Quid Benedictus XIV de eadem re statuerit? 239

CAPUT XII. De sacra congregatione immunitatis ecclesiasticæ. 240

CAPUT XIII. De tribunali sacræ pœnitentiariæ. 240

§ I. Quid sit et quænam ipsius origo 240

§ II. Quibus personis constet sacra pœnitentiaria : quodnam sit proprium cujusque officium : et quomodo eligantur ac deputentur. 242

Quæstio I^a. Quibus personis constet sacra pœnitentiaria? 242

Quæstio II^a. Qualis esse debeat major pœnitentiarius : quomodo constituatur ; et quodnam sit proprium ejus officium? 243

Quæstio III^a. Quænam qualitates in aliis sacræ pœnitentiariæ officialibus requirantur : et quomodo iidem officiales constituendi sint? 244

Quæstio IV^a. Quodnam sit munus regentis? 245

Quæstio V^a. Quodnam sit munus correctoris? 246

Pag.

Quæstio VI^a. Quodnam sit munus datarii 246

Quæstio VII^a. Quodnam sit munus theologi consultoris 246

Quæstio VIII^a. Quodnam sit munus canonistæ consultoris. 246

Quæstio IX^a. Quodnam sit munus sigillatoris. 246

Quæstio X^a. Quodnam sit munus procuratorum. 247

Quæstio XI^a. Quodnam sit munus scriptorum 247

Quæstio XII^a. Quodnam sit munus pro-sigillatoris, et a quo eligatur et deputetur. 247

Quæstio XIII^a. Quodnam sit officium cappellani 248

Quæstio XIV^a. Quodnam sit officium minorum pœnitentiariorum, et quomodo constituantur 248

Quæstio XV^a. De perpetuitate officiorum sacræ pœnitentiariæ 248

Quæstio XVI^a. Quodnam juramentum ab officialibus sacræ pœnitentiariæ præstandum sit. 249

§ III. Quænam sit majoris pœnitentiarii potestas seu jurisdictio. 249

§ IV. Recurrere ad S. pœnitentiariam esse rem facillimam, et quomodo scribendum sit. 251

§ V. Quomodo S. pœnitentiaria rescribere soleat; et de recte intelligendis nonnullis quibus utitur formulis; necnon de formula quacum potest confessarius commissionem sibi factam exequi 252

I. De litteris quibus a S. pœnitentiaria conceditur commutatio voti simplicis castitatis, ad effectum contrahendi matrimonium. 253

II. De litteris S. pœnitentiariæ, ut is qui, nonobstante voto simplici castitatis vel ingrediendæ religionis, matrimonium contraxit, absolvi possit et debitum conjugale exigere. 255

III. Notanda circa litteras sacræ pœnitentiariæ super dispensationibus matrimonialibus 256

IV. De litteris S. pœnitentiariæ quibus dispensatur super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, pro matrimonio contrahendo . . 259

V. De litteris S. pœnitentiariæ quibus dispensatur super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, pro validando matrimonio contracto 261

VI. De litteris S. pœnitentiariæ quibus dispensatur super impedimento consanguinitatis vel affinitatis, quod a partibus notum non fuit nisi post publice contractum matrimonium 262

VII. De litteris S. pœnitentiariæ quibus absolvit a censuris et casibus reservatis. 263

VIII. De litteris quibus dispensat in irregularitatibus. 264

IX. De litteris S. Pœnitentiariæ quibus condonantur fructus male percepti. 265

§ VI. De abbreviationibus quæ in litteris S. pœnitentiariæ reperiuntur. . . 367

CAPUT XIV. De cancellaria Apostolica 268

§ I. Quid sit, et quibus officialibus constet. 268

§ II. De Cardinali vice-cancellario, et ejusdem jurisdictione. 269

Pag.
§ III. De nonnullis officialibus vice-cancellario inferioribus 272
§ IV. De cancellariæ regulis 273
CAPUT XV. De dataria. 274
§ I. Quid sit, et quandonam instituta 274
§ II. Quænam gratiæ ac negotia per datariam expediantur 275
§ III. De annatis et aliis taxis pro gratiarum concessione solvendis 275
§ IV. Quibus personis seu officialibus constet dataria, et quodnam sit uniuscujusque officium 277
CAPUT XVI. De rota Romana 279
§ I. De ipsius origine et antiquitate 279
§ II. Describitur quale tribunal sit Rota Romana 281
§ III. Quomodo auditores rotæ eligantur et admittantur 282
§ IV. Quænam sit rotæ Romanæ jurisdictio seu competentia 284
§ V. De modo procedendi rotæ Romanæ proprio 285
§ VI. De rotæ Romanæ decisionibus et sententiis 287
§ VII. De casu quo ab altero tribunali causa judicanda est, sed *cum voto*, vel *de voto* rotæ. 289
§ VIII. De secreto ab auditoribus rotæ servando, et de auditoribus *studii*, quorum opera utuntur. 291
§ IX. De officio auditorum rotæ, quatenus sunt cappellani Summi Pontificis, et de variis eorum privilegiis 291
§ X. Quomodo vacet auditoriatus, et quatenus officium istud incompatibile sit cum episcopatu 292
§ XI. An Romana rota qualis hodie existit, a propria et essentiali rotæ forma et constitutione defecerit 293
PARS TERTIA. De Romanarum congregationum auctoritate, seu quam vim obligandi habeant ipsarum declarationes ac decreta. 295
SECTIO I. De auctoritate sacræ congregationis concilii. 297
CAPUT I. Status quæstionis exponitur 297
Quæstio Ia. An et quatenus sacra congregatio concilii a Sede Apostolica constituta fuerit Tridentinorum decretorum interpres ?. 297
Quæstio IIa. Quotupliciter distinguantur legum dubiarum interpretationes. 300
Quæstio IIIa. An et quænam exstet controversia circa auctoritatem declarationum sacræ congregationis concilii ?. 301
Quæstio IVa. Quænam sit sancti Ligorii doctrina ?. 304
CAPUT II. Expenditur, an certum sit, promulgationem ad legis essentiam pertinere, ac esse rigorose ac semper necessariam ut lex obliget 308
Propositio Ia. An promulgatio ad ipsammet legis essentiam pertineat inter doctores controvertitur. 308
Propositio IIa. Hodie pro vera tenenda videtur sententia, quæ negat promulgationem ad legis essentiam pertinere. 310
Propositio IIIa. Ordinarie necesse est leges promulgari ; non ob legis essentiam ; sed quia si secus fieret, sequerentur plerumque notabilia quoad

Pag.
communitatem detrimenta. 312
CAPUT III. Ut universaliter obligent legum dubiarum declarationes, legislatoris auctoritate factæ, necessaria non est earum promulgatio. 313
Propositio I^a. Requirit jus naturale ut penes legislatorem sit aliquod medium universaliter obligatorias reddendi legum dubiarum declarationes. 313
Propositio II^a. Requirit jus naturale ut legum dubiarum declarationes, legislatoris auctoritate factæ, universaliter obligare valeant, quin promulgentur. 314
Propositio IIIa. Requirit jus naturale ut dictæ declarationes vim habeant etiam quoad actus præteritos, id est, ut omnes obligent ad habendos dictos actus tanquam validos vel irritos, prout validi vel irriti declarantur 317
Propositio IV^a. In casu legis dubiæ, verus sensus legis determinatur a Deo supremo legislatore, juxta declarationem quæ postea supervenit legislatoris humani auctoritate. 318
Propositio V^a. Casu quo successive fiant duæ declarationes contradictoriæ ejusdem legis dubiæ, si lex de iis sit quæ effectus irritantes non habent, vult Deus ac requirit jus naturale, ut lex illa obliget juxta priorem declarationem quousque prodierit posterior : postea vero ut obliget juxta posteriorem 320
Propositio VI^a. In casu duplicis contradictoriæ declarationis quoad legem irritantem, non vult Deus ut actus anteriores sint successive irriti vel validi juxta duplicem declarationem : vult tamen ut subditi teneantur successive sese gerere, perinde ac si actus validi vel irriti forent juxta utramque declarationem 321
Propositio VII^a. Celebre argumentum adversariorum, « de essentia legis « est ut obligare nequeat nisi promulgata ; atqui declaratio legis dubiæ, « est nova et vera lex ; ergo sine promulgatione obligare nequit, » omni prorsus robore caret 322
CAPUT IV. Concluditur declarationes S. congregationis concilii vim legis universalis habere, quamvis non promulgentur 326
CAPUT V. De conditionibus quas multi auctores requirunt ut sacræ congregationis concilii declarationes non promulgatæ vim legis universalis habeant. 329
Propositio Ia. Qui dictis declarationibus vim legis universalis vindicant, solent ad id tres conditiones requirere. 329
Propositio IIa. Ut verum sit, dictis declarationibus inesse vim legis universalis, necesse non est ut addatur restrictio ista : dummodo sint comprehensivæ, et non extensivæ. 329
Propositio III^a. Ut verum sit inesse dictis declarationibus vim legis universalis, necesse hodie non est ut addatur conditio ista : dummodo edantur Papa consulto. 330
Propositio IV^a. Ut verum sit, dictis declarationibus inesse vim legis uni-

Pag.

versalis, necesse non est ut addatur conditio hæc : dummodo producantur in forma authentica, hoc est, a secretario subscriptæ et consueto sigillo munitæ. 331

Propositio V^a. Ut verum sit dictis declarationibus inesse vim legis universalis, necesse non est ut addatur conditio hæc : dummodo eas esse genuinas certo constet. 333

CAPUT VI. Inesse declarationibus Sacræ Congregationis Concilii vim legis universalis, auctoritatibus confirmatur. 335

CAPUT VII. Concluditur hodie probabilem non esse nec in praxi tutam sententiam, quæ Sacræ Congregationis Concilii declarationibus vim legis universalis denegat. 345

CAPUT VIII. Solvuntur objectiones 347

SECTIO II. De auctoritate Sacræ Congregationis rituum. 353

CAPUT I. Status quæstionis exponitur 353

Propositio I^a. Sacræ rituum Congregationis Cardinalibus ab Apostolica sede collata est potestas interpretandi rubricas, aliasque leges quæ ritus sacros respiciunt. 353

Propositio II^a. Sacræ rituum Congregationi collata est dicta potestas sine restrictione, ***Papa prius consulto***. 354

Propositio III^a. Decreta in collectione Gardellinii contenta, pro authenticis habenda sunt. 355

Propositio IV^a. Sacræ Congregationis rituum decreta, alia sunt formaliter generalia; alia generalia æquivalenter; alia particularia. 357

Propositio V^a. Controversia, an decreta Sacræ Congregationis rituum vim legis universalis habeant, versatur dumtaxat circa decreta æquivalenter generalia, non vero circa decreta formaliter generalia, nec circa particularia. 361

Propositio VI^a. Controversia non versatur circa decreta extensiva, sed dumtaxat circa comprehensiva. 362

Propositio VII^a. Controversia non versatur circa decreta novum aliquod jus statuentia; sed tantum circa decreta quibus jam existentium legum sensus declaratur. 362

CAPUT II. Sacræ Congregationis rituum decreta, de quibus controversia movetur, vim legis universalis habere, prorsus evincunt rationes, quibus idem quoad Congregationem concilii probatum est. 364

CAPUT III. Expenditur nova quædam opinio, a Domino Nilles nuper propugnata. 363

SECTIO III De auctoritate S. Congregationum indicis et inquisitionis : ubi exponitur jus canonicum circa totam quæstionem de librorum impressione et prohibitione. 385

CAPUT I. Ecclesiæ competit potestas libros pravos ac noxios prohibendi, et librorum impressionem legibus suis moderandi 386

Pag.

Propositio I[a]. Librorum pravorum lectio fidelibus summe noxia esse potest et solet 388

Propositio II[a]. Aliqui libri, licet de se non pravi, fidelibus tamen quandoque noxii esse possunt 395

Propositio III[a]. Prohibitio legis naturalis legendi libros noxios non sufficit, ut a fidelibus arceantur pericula 398

Propositio IV[a]. Ecclesiæ competere potestatem prohibendi libros pravos, atque etiam non pravos si nihilominus noxii sint, probat ipsiusmet Ecclesiæ constitutio, et finis ad quem divinitus instituta est 399

Propositio V[a]. Ecclesiæ competere potestatem dictos libros prohibendi, probat perpetua ipsius praxis 400

Propositio VI[a]. Ecclesiæ competit potestas librorum impressionem legibus suis moderandi 418

Propositio VII[a]. Dicta Ecclesiæ potestas quoad librorum impressionem et prohibitionem, extenditur ad omnes libros qui fini Ecclesiæ proprio officere possunt : et an tales sint libri judicare pertinet ad ipsammet Ecclesiam 421

Propositio VIII[a]. Dicta Ecclesiæ potestas noxiorum librorum lectionem prohibendi, ad sacram etiam Bibliam extenditur 422

Propositio IX[a]. Dicta Ecclesiæ potestas librorum noxiorum lectionem prohibendi, extenditur ad scripta periodica, etiam nondum edita aut composita 423

Propositio X[a]. Dicta Ecclesiæ potestas librorum noxiorum lectionem prohibendi, ita intelligenda est, ut possit Ecclesia libros etiam de se bonos prohibere, si absque auctoris nomine edantur 424

Propositio XI[a]. Dicta Ecclesiæ potestas librorum noxiorum lectionem prohibendi ita intelligenda est, ut possit Ecclesia libros bonos ab hæreticis scriptos prohibere ; quo casu prohibitio *in odium auctorum* facta dicitur 424

CAPUT II. Quid potestatis competat sæculari principi circa librorum prohibitionem et impressionem 426

§ I. Quid potestatis circa librorum prohibitionem et impressionem competat sæculari principi, quatenus mere tali 426

Propositio I[a]. Potestatem habet sæcularis princeps ea impediendi quæ fini societatis civilis (id est, publicæ tranquillitati et prosperitati) nocerent 426

Propositio II[a]. Sæculari principi non competit potestas pronuntiandi de vera religione, sive positiva, sive naturali : seu ad ipsum non pertinet judicium de dogmate et vera morum regula 427

Propositio III[a]. In materiis mixtis, seu quæ finem utriusque societatis (ecclesiasticæ scilicet et civilis) simul tangunt, sæcularis principis potestas ecclesiasticæ potestati jure divino subordinata censenda est . . . 427

Pag.

Propositio IV$_a$. Potest sæcularis princeps prohibere libros qui religionem non tangunt, si sint societati civili et constituto gubernio noxii. . 429

Propositio V^a. Ad sæcularem principem non pertinet libros de religione tractantes prohibere, ex eo quod sint contra veram religionem aut veram morum regulam. 430

Propositio VI^a. Librum de religione aut rebus ecclesiasticis tractantem prohibere nequit princeps sæcularis, ex eo quod perturbationes in societate civili excitet, si eum librum Ecclesia approbet 431

§ II. Quid potestatis circa librorum prohibitionem et impressionem competat sæculari principi, quatenus est Ecclesiæ advocatus seu defensor . . 432

Prænotatur. Nihil potestatis sæculari principi, protectoris titulo, competere, nisi ejus auxilium postulet, aut saltem consentiens recipiat Ecclesia 432

Propositio I^a. Ad sæcularem principem, quatenus Ecclesiæ protectorem, pertinet, damnatos jam ab Ecclesia libros, etsi de religione tractantes, prohibere. 433

Propositio II^a. Si quis liber *manifeste omnino* seu *evidenter* religioni naturali vel bonis moribus adversetur, vel errores renovet jam ab Ecclesia damnatos, eum prohibere potest sæcularis princeps, quin ecclesiasticum judicium expectet. 433

Propositio III^a. Librorum censura, qualem exercuerunt Ludovicus XIV et alii Galliæ Reges, nisi accesserit legitimæ auctoritatis ecclesiasticæ consensus et ratihabitio, de se fuit manifesta jurium Ecclesiæ usurpatio. 433

CAPUT III. De libertate typographiæ (de la liberté de la presse) quid catholicis sentiendum sit 435

§ I. Quotuplex distinguatur typographiæ libertas 436

§ II. De libertate typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam 437

Propositio I^a. De jure non existit nec existere potest, quoad Ecclesiæ subditos, libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam . . 437

Propositio II^a. De facto non existit apud christianos libertas typographiæ relative ad censuram ecclesiasticam. 437

§ III. De libertate typographiæ relative ad censuram auctoritatis laicæ seu civilis gubernii. 438

Propositio I^a. Datur de jure libertas typographiæ relative ad censuram civilem, quoad libros de religione rebusque sacris aut ecclesiasticis tractantes : unde censura civilis, si extet quoad ejusmodi libros, est injusta, utpote jurium Ecclesiæ et populorum christianorum læsiva. . 438

Propositio II^a. Quoad scripta quæ religionis interesse non tangunt, potest civile gubernium, non tantum jam edita prohibere, sed etiam decernere ut absque ipsius licentia non imprimantur. 438

Propositio III^a. Si quis populus supremam potestatem alicui principi

Pag.

conferat sub ea conditione, quod neque ecclesiastica neque civilis potestas ulla prævia censura libertatem typographiæ coercere poterit, vel si hæc conditio in constitutione fundamentali alicujus regni reperiatur; de jure talis conditio pro nulla et non adjecta habenda est, utpote de se prava et injusta. 439

Propositio IV^a^. Contingere potest ut alicubi existat de facto libertas typographiæ, tum relative ad censuram ecclesiasticam, tum relative ad censuram civilem 440

§ IV. Recensentur variæ circa typographiæ libertatem opiniones, et quid catholicis sentiendum sit concluditur 441

CAPUT IV. Quibusnam ecclesiasticis personis competat potestas libros prohibendi, ac circa eorum impressionem leges edicendi 447

Propositio I^a^. Dicta potestate destituuntur qui fori externi jurisdictionem non habent 447

Propositio II^a^. Dicta potestate carent parochi 447

Propositio III^a^. Dicta potestate carent universitates seu facultates, et earum doctores. 447

Propositio IV^a^. Dictam potestatem proprie non competere prælatis regularibus, et aliis jurisdictionem fori externi habentibus, si non sint Episcopi, tradere videntur Zaccaria et alii 448

Propositio V^a^. Dicta potestas plenarie et universaliter residet penes Summum Pontificem et Concilia œcumenica 449

Propositio VI^a^. Dicta potestas unicuique Episcopo quoad suam diœcesim competit: multoties tamen expedit ut ea non utatur 449

Propositio VII^a^. Dicta potestas provincialibus etiam et nationalibus Conciliis competit 450

CAPUT V. De indice notio historica 451

Quæstio I^a^. Quid sit index 451

Quæstio II^a^. Quid circa libros noxios dispositum fuerit ab anno 1500 usque ad Concilium Tridentinum 452

Quæstio III^a^. Quid in Concilio Tridentino peractum sit 455

Quæstio IV^a^. Quid post Tridentinam synodum a Pio IV peractum 456

Quæstio V^a^. Quomodo a sancto Pio V (et non a Sixto V ut multi falso asseruere) primum instituta sit Sacra Congregatio indicis. 457

Quæstio VI^a^. Quid circa indicem peractum sit a Sixto V et Clemente VIII. 457

Quæstio VII^a^. Quid ab Urbano VIII dispositum 458

Quæstio VIII^a^. Quid ab Alexandro VII 459

Quæstio IX^a^. Quid a Benedicto XIV. 459

CAPUT VI. Quam vim obligandi habeat prior pars indicis, quæ scilicet librorum nominatim prohibitorum catalogo præmittitur. 460

Propositio I^a^. Decem indicis regulæ rationem habent legum universalium ex pontificia auctoritate. 460

Pag.

Propositio II^a. Decem indicis regulæ proprie dictis Tridentinis decretis non sunt annumerandæ : ipsis tamen indirecte accessit Tridentinæ synodi auctoritas 464

Propositio III^a. Cæteræ præscriptiones quæ ante librorum nominatim prohibitorum catalogum in indice reperiuntur, legis pariter universalis rationem habent. 465

Propositio IV^a. Falsa et omnino derelinquenda est opinio quæ tenet, aut nullos aut non omnes libros, qui in generalibus regulis indicis prohiberi dicuntur, per solas illas regulas effici prohibitos; sed tunc dumtaxat evadere prohibitos, quando ***nominatim*** prohibentur 465

CAPUT VII. Quam auctoritatem seu vim obligandi habeant decreta Sacrarum Congregationum inquisitionis et indicis, quibus libri aut propositiones nominatim damnantur aut prohibentur 470

§ I. De distinctione dictorum decretorum in dogmatica et disciplinaria. . . 470

§ II. An et quatenus obligent dogmatica Sacrarum Congregationum decreta. 471

Propositio I^a. Summus Pontifex loquens ex cathedra infallibilis est in decretis circa dogmata, circa facta dogmatica, et circa disciplinam universalem. Remissive. 471

Propositio II^a. Decreta dogmatica, quæ a Sacris Congregationibus, absque Summi Pontificis confirmatione aut speciali mandato eduntur, esse aliquatenus infallibilia tenet Zaccaria ; eo nimirum sensu quod contingere nequeat ut ejusmodi decretis immerito aliqua doctrina tanquam erronea damnetur, aut alia nota percellatur 472

Propositio III^a. Infallibilia non sunt decreta dogmatica a Sacris Congregationibus, absque Pontificis confirmatione aut speciali mandato, edita. 474

Propositio IV^a. Infallibilia non esse dicta decreta dogmatica, quando eduntur Summi Pontificis nomine ; item quando eduntur nomine Sacræ Congregationis, sed de speciali mandato Pontificis, aut cum ipsius confirmatione, pauci quidam doctores catholici opinati sunt : ast esse tunc infallibilia tenendum est. 478

Propositio V^a. Sacrarum Congregationum decreta dogmatica, de speciali mandato Pontificis, vel confirmante Pontifice edita, per se sola non faciunt de fide id quod definiunt : unde qui propositionem sic definitam negaret, non mereretur notam hæreseos : mereretur tamen notam erroris et temeritatis 480

Propositio VI^a. Sacrarum Congregationum decreta dogmatica, sine speciali Summi Pontificis mandato aut confirmatione publicata, etsi non sint certo infallibilia, maximæ tamen auctoritatis sunt 482

Conclusio paragraphi 482

§ III. De vi obligandi dictorum decretorum, quando sunt et in quantum sunt disciplinaria. 483

Pag.

Propositio I^a. Potuit Sedes Apostolica Sacris Congregationibus inquisitionis et indicis potestatem conferre libros prohibendi quos ipsæ noxios reputarent, et ejusmodi prohibitiones universaliter obligatorias reddere. 483

Propositio II^a. De facto hanc eis potestatem contulit 484

Propositio III^a. Prohibitiones librorum a dictis congregationibus factæ, absque confirmatione aut speciali mandato Summi Pontificis, non sunt infallibiles ; ita ut contingere possit prohiberi librum qui nec pravus, nec noxius, nec proinde prohibendus sit : id tamen raro continget . . 484

Propositio IV^a. Dicta Sacrarum Congregationum in prohibendis libris fallibilitas, nequaquam impedit quin ejusmodi prohibitiones obligent, in quantum sunt disciplinares. 486

Propositio V^a. Perperam contenderetur universaliter obligatorias non esse dictas librorum prohibitiones, ex eo quod sufficienter non promulgentur 489

Propositio VI^a. Ad probandum obligatoria non esse dicta Sacrarum Congregationum decreta, absone objicitur prohibitio cujusdam operis Bellarmini. 493

CAPUT VIII. An et quatenus totus index legis universalis rationem habeat. . 494

Propositio I^a. Paucæ quædam indicis præscriptiones, ob impossibilitatem eas observandi, hodie in nonnullis regionibus non obligant. 494

Propositio II^a. Neque impossibilitas servandi aliquas legis dispositiones, neque aliquarum regionum privilegium, aut legitime contra legem præscripta consuetudo impedit quin lex in vero ac proprio sensu universalis sit. 495

Propositio III^a. Totus index in vero ac proprio sensu legis universalis rationem habet. 496

CAPUT IX. Confutatur opinio quæ tenet, indicem non obligare in Gallia, Germania, Belgio et aliis regionibus. 497

§ I. Indicem in dictis regionibus non vigere, perperam argueretur ex eo quod apud eas regiones non fuerit receptus 498

Propositio I^a. Index ad obligandum acceptatione non indiguit 498

Propositio II^a. Index in Gallia olim receptus fuit. 500

Propositio III^a. Index olim in Belgio receptus fuit 505

Propositio IV^a. Index olim in Neapolitano regno, in Hispania et in cæteris Hispanicis ditionibus receptus fuit 510

Propositio V^a. Index olim in Germania receptus est. 511

Conclusio paragraphi 511

§ II. Indicem in dictis regionibus non vigere, perperam argueretur ex defectu sufficientis per provincias singulas promulgationis. 512

§ III. Indicem hodie obligatorium non esse in Gallia et aliis dictis regionibus, concludi nequit ex contraria consuetudine. 513

Pag.

Propositio I[a]. Fuit plurium catholicorum doctorum opinio, indicem (ex toto, vel saltem ex parte) in dictis regionibus obligatorium non esse, ob legitime præscriptam contrariam consuetudinem 513

Propositio II[a]. An præmissa opinio generaliter admissa fuerit in dictis regionibus tanquam tuta in praxi, merito forsan negari posset 517

Propositio III[a]. Consuetudo seu praxis non servandi indicem, nunquam in Germania, Gallia, Belgio, aliisve regionibus legitima evasit 519

Argumentum 1. Ex eo quod nunquam effluxerit tempus requisitum ad legitime præscribendum. 519

Argumentum 2. Ex eo quod nunquam merito præsumi potuerit Sedes Apostolica consentire in ejusmodi consuetudinem 522

Propositio IV[a]. Etiamsi huc usque in Gallia non viguisset index, at hodie in plerisque Galliæ diœcesibus vigere certum faciunt nuper celebrata Galliæ Concilia provincialia 526

CAPUT X. Quid statuatur in bulla *cœnæ* quoad hæreticorum libros, et an verum sit partem illam bullæ *cœnæ* non obligare in Gallia, Germania, Belgio et aliis nonnullis regionibus 531

Propositio I[a]. Non obligare in dictis regionibus præfatam bullæ *cœnæ* dispositionem perperam concluderetur ex eo quod ibidem bulla ista recepta non sit. 533

Propositio II[a]. Non obligare in dictis regionibus illam bullæ *cœnæ* dispositionem, perperam concluderetur ex eo quod bulla hæc non fuerit per singulas provincias promulgata 534

Propositio III[a]. Non obligare in dictis regionibus dispositionem bullæ *cœnæ* quoad hæreticorum libros, perperam concluderetur ex contraria consuetudine 535

Propositio IV[a]. Etiamsi antea vigere in Gallia desiisset dispositio bullæ *cœnæ* quoad hæreticorum libros, at hodie eam vigere certum faciunt recentia provincialia Concilia in Galliis celebrata 536

CAPUT XI. Expenduntur quæstiones practicæ circa modum recte intelligendi varias indicis præscriptiones, et dispositionem bullæ *cœnæ* quoad libros. . 536

§ I. Quandonam vi bullæ *cœnæ* incurratur excommunicatio reservata . . . 537

Propositio I[a]. Ut incurratur excommunicatio reservata bullæ *cœnæ*, requiritur ut libri auctor sit hæreticus 537

Propositio II[a]. Dictam excommunicationem reservatam non incurrit legens scriptoris catholici librum, qui unam vel plures hæreses, ex errore auctoris provenientes, continet : secus, si auctor doctrinam hæreticam tradat, non ex errore seu putando eam esse orthodoxam, sed sciens eam ab Ecclesia catholica rejici tanquam hæreticam. 537

Propositio III[a]. Excommunicatio bullæ *cœnæ* non percutit legentes libros antiquissimorum hæreticorum 538

Propositio IV[a]. Ut legens librum auctoris hæretici dictam excommuni-

Pag.

cationem incurrat, sufficit librum tractare de religione, etiamsi nullum errorem contineat : item sufficit in eo contineri vel unicam hæresim, etiamsi non tractet de religione, sed de re profana, verbi gratia de medicina 538

Propositio V^a^. Dictam excommunicationem non incurrit qui ignorat librum esse auctoris hæretici : nec ille qui, etsi noverit librum esse auctoris hæretici, ignorat tamen eum de religione tractare vel hæresim continere 538

Propositio VI^a^. Ut incurratur dicta excommunicatio, requiritur ut legatur pars libri notabilis : quænam autem quantitas notabilis censenda sit, controvertitur 539

Propositio VII^a^. An dictam excommunicationem incurrat qui legit hæretici concionem aliamve scriptiunculam seorsim editam, controvertitur : tenenda potius sententia affirmativa. 539

Propositio VIII^a^. An dictam bullæ *cœnæ* excommunicationem incurrat qui legit hæreticorum manuscripta, disputatum quidem fuit ; sed tenenda sententia affirmativa 540

Propositio IX^a^. An dictam excommunicationem incurrat, qui ipse quidem non legit librum auctoris hæretici, sed alium legentem audit, controvertitur 540

Propositio X^a^. Dictam bullæ *cœnæ* excommunicationem incurrere videtur legens librum anonymum hæreses continentem, si ex ipso libro constet auctorem scire, hæreses illas dogmati catholico adversari. . . 540

Propositio XI^a^. Incurrunt dictam excommunicationem, non tantum ii qui dictos hæreticorum libros, de religione tractantes vel hæresim continentes scienter legunt, sed etiam qui eosdem libros scienter retinent, imprimunt, et quomodolibet defendunt 540

§ II. De cæteris pœnis, præter dictam excommunicationem bullæ *cœnæ* . . 544

Quæstio I^a^. Quænam sint alia, præter bullam *cœnæ*, conciliaria aut Pontificia circa libros decreta, quibus pœnæ statuuntur. 544

Quæstio II^a^. Quænam hodie vigeant et ipso facto incurrantur pœnæ ? . 546

Quæstio III^a^. An hodie vigentes, et num potius sublatæ ab Alexandro VII censendæ sint, tum excommunicatio non reservata, tum aliæ pœnæ, in Lateranensi et Tridentino decreto statutæ, contra eos qui absque requisita licentia libros imprimunt ?. 549

§ III. Enumerantur variæ species librorum qui sunt prohibiti, quamvis designati non reperiantur in secunda parte indicis, id est, in catalogo librorum *nominatim* prohibitorum. 551

Propositio I^a^. Prohibiti remanent libri omnes qui ante annum 1515 a Summis Pontificibus aut conciliis œcumenicis prohibiti fuerunt. . . 551

Propositio II^a^. Hæresiarcharum libri omnes, quæcumque sit materia de qua tractent, sunt prohibiti 551

Pag.

Propositio III[a]. Hæreticorum libri, de religione ex professo tractantes, sunt prohibiti 552

Propositio IV[a]. Item libri hæreticorum de religione non tractantes, si vel unicam hæresim contineant 552

Propositio V[a]. Item hæreticorum libri, etiamsi de religione non tractent nec ullam hæresim contineant, nisi Ordinariorum auctoritate fuerint examinati et approbati. 552

Propositio VI[a]. Item liber auctoris qui fuit catholicus quando illum scripsit, sed qui ante vel postea fuit hæreticus : potest tamen permitti si fuerit ab aliqua universitate catholica, vel ab inquisitione generali approbatus 552

Propositio VII[a]. Versiones veteris testamenti, in alia quam vulgari lingua, et a vulgata diversæ, ita sunt prohibitæ, ut possit tamen viris doctis et piis earum lectio ab Episcopis permitti, etiamsi versiones illæ ab hæreticis factæ fuerint. 553

Propositio VIII[a]. Aliæ, præter vulgatam, novi testamenti versiones, etsi in alia quam vulgari lingua, sunt prohibitæ, si auctores habeant hæreticos : secus si a catholicis factæ sint 553

Propositio IX[a]. Sacræ scripturæ versiones in lingua vulgari, si non fuerint a Sede Apostolica approbatæ, aut habeant adnotationes ex sanctis patribus vel catholicis doctoribus desumptas, ita sunt prohibitæ, ut legi aut retineri nequeant absque obtenta licentia : licentiam autem illam dare nequeunt jure ordinario Episcopi quoad diœcesanos, nec prælati regulares quoad subditos suos : at si versiones vernaculæ ab Apostolica Sede approbatæ fuerint, vel cum dictis adnotationibus editæ, non videtur necessaria ulla licentia, ut legi ac retineri licite possint 554

Propositio X[a]. Prohibita sunt biblia sacra, hæreticorum cura impressa, vel eorumdem adnotationibus, argumentis, summariis, scholiis et indicibus aucta 557

Propositio XI[a]. Certum non videtur prohibitos hodie esse, vi regulæ sextæ indicis, libros vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et hæreticos 558

Propositio XII[a]. « Libri qui res lascivas seu obcœnas ex professo tra-
« ctant, narrant, aut docent, omnino prohibentur. Antiqui vero ab
« ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam et proprietatem,
« permittuntur : nulla tamen ratione pueris prælegendi sunt. » . . 558

Propositio XIII[a]. Libri qui obcœna per transennam continent, sed de iis ex professo non tractant, non sunt jure positivo prohibiti. 558

Propositio XIV[a]. Libri qui vocantur *Romans*, necnon diariorum pagellæ (les feuilletons), si in tractandis, narrandisve aut docendis obcœnis præcipue versentur, sub regulæ septimæ prohibitionem certo cadunt. . 558

Pag.

Propositio XVa. Libri omnes, sortilegia seu divinatoriam artem tradentes, sunt prohibiti. 559

Propositio XVIa. Libri certa lingua initio editi et prohibiti, eodem modo prohibiti censendi sunt, in quamcumque linguam postea vertantur 559

Propositio XVIIa. Prohibiti sunt, « de sanctis Petro et Paulo libri omnes, tam impressi quam manuscripti, in quibus asseritur et defenditur, quod S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes qui unicum efficiunt : vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi ac supremi duces, summa inter se unitate conjuncti : vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt : vel sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides, qui unicum caput efficiunt : atque ita explicantur, ut ponatur omnimoda æqualitas inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema universalis Ecclesiæ 559

Propositio XVIIIa. Prohibita sunt, « missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum Pii V. » 559

Propositio XIXa. Prohibitæ sunt, « rituali Romano additiones omnes factæ aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione Sacræ Congregationis rituum. » 559

Propositio XXa. Prohibitæ sunt, « litaniæ omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in breviariis, missalibus, pontificalibus ac ritualibus continentur, et præter litanias de Beata Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent. » 559

Propositio XXIa. A prædicta prohibitione excipi litanias sanctissimi nominis Jesu, affirmant doctores communiter (testante Lucio Ferraris) : sed in contrarium facere videntur plures Sacræ Rituum Congregationis decisiones. 560

Propositio XXIIa. Libri anonymi non sunt omnes prohibiti. 566

§ IV. A quibusnam dari possit licentia libros prohibitos legendi 569

Propositio Ia. Licentiam hanc dare nequeunt Episcopi nec Archiepiscopi nec Cardinales, nisi hoc eis ex speciali indulto a Sede Apostolica concessum fuerit 569

Propositio IIa. Ipsimet Episcopi indigent licentia, ut vetitos libros legere possint. 570

§ V. Exponuntur leges ecclesiasticæ circa librorum aliorumve scriptorum impressionem 571

Propositio Ia. Sub excommunicatione prohibitum est ne quis imprimat aut imprimi procuret librum ullum ullamve scripturam, absque examine et approbatione auctoritatis ecclesiasticæ 571

Propositio IIa. Dicta lex non videtur obligare hodie quoad diaria (les journaux) in multis locis, ob moralem impossibilitatem eam servandi. . 571

Pag.

Propositio III^a. Dicta lex non videtur hodie obligare in quibusdam regionibus, quoad scripta multa, religionis aut morum interesse non tangentia 572

Propositio IV^a. Viget hodie dicta lex ubique, atque etiam in Gallia, quoad libros aliave scripta, quibus fidei aut morum interesse attingitur. 573

Propositio V^a. Excepto casu quo libri auctor in pontificiis ditionibus degat; requiritur examen et approbatio illius Episcopi, in cujus diœcesi liber imprimitur 574

Propositio VI^a. « Degentes in statu Sedi Apostolicæ mediate vel immediate subjecto, non possunt transmittere libros, a se compositos, « alibi imprimendos, sine expressa approbatione, et in scriptis, Eminentissimi ac Reverendissimi D. Cardinalis, Sanctissimi Domini « nostri vicarii, et Magistri sacri Palatii, si in Urbe ; si vero extra « Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum, « facultate et licentia, operi infigenda. » 574

Propositio VII^a. Quando quis librum subjicit Episcopo illius diœcesis, in qua eum imprimi vult, tenetur Episcopus ille librum, per se vel per alios ad id deputatos, examinare, et approbare, si approbatione dignus sit : imo ad dandam illam approbationem *gratis* et *sine dilatione* tenetur sub excommunicationis pœna 575

Propositio VIII^a. Approbationem recusare nequit Episcopus ex eo quod liber opiniones contineat, ab eis quas ipse tenet, diversas ; sed tantum ex eo quod sanæ doctrinæ vel bonis moribus adversetur ; vel alio ex capite (attentis circumstantiis) detrimentum aliquod rei catholicæ allaturus merito judicetur. 575

Propositio IX^a. Contra Episcopum, qui approbationem injuste recusat, datur appellatio 576

Propositio X^a. Approbatio quam lex ecclesiastica requirit, et quam tenetur Episcopus dare, si liber eam mereatur, est approbatio negativa, non autem positiva 576

Propositio XI^a. Quoad imprimendos regularium libros, non sufficit dicta Ordinarii approbatio, sed requiritur insuper superiorum regularium licentia, recognitis juxta respectivas ordinum constitutiones libris. . . 577

PARS QUARTA. De Legatis a latere, Nuntiis, vicariis Apostolicis, ac protonotariis. 579

SECTIO I. De jure Summi Pontificis suam in universo mundo jurisdictionem exercendi per Legatos, Nuntios et vicarios Apostolicos 580

CAPUT I. Exponuntur errores 580

I. Quid docuerint Marcus Antonius de Dominis, Richerius et Eybel. . . . 581

II. Quid tradiderit Febronius 585

III. Quomodo quatuor Germaniæ Archiepiscopi, schismaticam præfatorum

Pag.

doctrinam amplexati, eam ad praxim reducere tentaverint, et quomodo ejusmodi attentatum Pius VI condemnaverit 584

IV. Erroneum circa Legatos et Nuntios gallicanismi systema. 586

CAPUT II. Jus Romani Pontificis per Legatos ac Nuntios ubique terrarum jurisdictionem exercendi, necessario sequitur ex primatu Romanis Pontificibus divinitus collato. 589

CAPUT III. Dictum jus Romani Pontificis habendi per varias provincias Legatos et Nuntios stabili jurisdictione munitos, evincit constans Ecclesiæ praxis 595

§ I. De apocrisiariis Pontificiis, qui apud imperialem aulam Constantinopoleos permanenter degere solebant 596

Propositio Iª. Apocrisiariorum origo, quinto saltem sæculo recentior non est 596

Propositio IIª. Multo probabilius saltem est ejusmodi apocrisiarios habuisse stabilem aliquam jurisdictionem, etsi forsan id, ob deperditorum monumentorum jacturam, rigorose probari nequeat 596

§ II. De Apostolico vicariatu Illyrici 600

Propositio Iª. Jam a primis Ecclesiæ sæculis Romani Pontifices habebant in Illyrico vicarium, qui eorum nomine jurisdictionem exerceret in omnes Illyrici episcopatus et archiepiscopatus 600

Propositio IIª. Dictum jus vicarium, stabili jurisdictione munitum, in Illyrico habendi, Romani Pontifices exercuerunt, non solum ex vi patriarchatus sui in Occidentem, sed etiam ex vi primatus sui in universalem Ecclesiam 603

Propositio IIIª. Amplissima fuit Apostolicorum Illyrici vicariorum jurisdictio. 606

Conclusio paragraphi 611

§ III. De vicariis Apostolicis a remotissima antiquitate in Gallia constitutis. 612

Propositio Iª. Sicut in Illyrico, ita et in Galliis, a remotissima antiquitate Romani Pontifices vicarium habebant, stabili et ampla munitum jurisdictione in ecclesiasticas hujus regionis provincias : hocque munus Arelatensi Episcopo solebant committere 612

Propositio IIª. Vicarius Apostolicus cum stabili jurisdictione constitutus est sanctus Remigius, quoad regiones Clodovei Regis ditioni subjectas. 614

§ IV. De Apostolico vicariatu Hispalensi 615

§ V. De vicariatu Apostolico Siciliæ 615

§ VI. De vicariatu Apostolico sancti Bonifacii Germaniæ apostoli. 617

§ VII Concluditur argumentum ex constanti Ecclesiæ praxi deductum . . . 617

CAPUT IV. Dictum jus Romani Pontificis probat conciliorum auctoritas. . 619

CAPUT V. Systema gallicanum circa Pontificios Legatos et Nuntios, erroneum

Pag.
est, seditiosum et in schisma inducens 620
Propositio I^a. Mendaciter asseritur ab antiquo vigere in Gallia consuetudinem seu libertatem non agnoscendi Legatorum Pontificiorum jurisdictionem. 621
Propositio II^a. Prætensa libertas seu consuetudo ecclesiæ gallicanæ Pontificiorum Legatorum jurisdictionem non agnoscendi, aperte pugnat cum jure Primatus, Romano Pontifici divinitus collato 623
Propositio III^a. Libertatem seu consuetudinem ecclesiæ gallicanæ Pontificiorum Legatorum jurisdictionem non agnoscendi, legitimam non reddunt nec probant ulla regia decreta, ullave parlamentorum arresta, aut comitiorum cleri gallicani statuta 624
Propositio IV^a. Merito concluditur gallicanum systema circa Pontificios Legatos, erroneum esse, necnon seditiosum et in schisma inducens . . . 626
SECTIO II. De variis Legatorum Pontificiorum speciebus : quando, quibusve de causis inductæ sint 627
CAPUT I. Legationum Pontificiarum forma ab initio usque ad nonum sæculum 627
CAPUT II. Legationum Pontificiarum forma, a nono sæculo usque ad decimum quintum 628
Propositio I^a. In hac secunda epocha perdurarunt vicarii Apostolici : rariores tamen evaserunt ; et eorum loco inducti sunt *Legati nati* 628
Propositio II^a. Sicut vicarii Apostolici, ita et Legati nati vices Romani Pontificis obibant cum jurisdictione stabili : ita ut a priscis vicariis Apostolicis diversi non fuerint nisi nomine, et minori facultatum ipsis concessarum amplitudine 629
Propositio III^a. Zelotypia Metropolitanorum, qui fulgere supra se Legatos natos ac eorum jurisdictioni se subjici ægre ferebant, in causa præcipue fuit cur Sedes Apostolica Legatos extraordinarios sœpe sœpius in hac secunda epocha deputaverit. 629
Propositio IV^a. Dicta zelotypia, qua se Episcopi et Metropolitani magis ac magis a Legatis natis abalienabant, in causa fuit cur Legationes natæ sublatæ sint. 631
Propositio V^a. Sublatis, ut dictum est, Legatis natis, necesse fuit Romam deferri causas permultas, quæ antea in Legatorum natorum curiis finiebantur : de qua necessitate Romam tam frequenter adeundi, tot postmodum querelæ ortæ sunt 632
CAPUT III. Legationum Pontificiarum forma a sæculo decimo quinto ad hodierna usque tempora. 633
Quæstio I^a. Quomodo et qua de causa, in hac tertia epocha, constitutæ sint nunciaturæ ordinariæ? 633
Quæstio II^a. Quænam exstent hodie Legatorum Pontificiorum species ? . 634
Quæstio III^a. Qualiter hodiernæ nunciaturæ a Pontificiis priscorum tempo-

Pag.

rum legationibus differant? 635

SECTIO III. De potestate seu juribus Legatorum a latere, et Nuntiorum. . 637

CAPUT I. De potestate seu jurisdictione communi omnibus Legatis Sedis Apostolicæ. 637

§ I. Quænam jurisdictio omnino requiratur ut quis sit verus Sedis Apostolicæ Legatus 638

Propositio Ia. Non potest quis esse Legatus Sedis Apostolicæ, nisi *ordinaria* ipsi conferatur jurisdictio in provinciam ad quam deputatur. . 638

Propositio IIa. Non potest quis esse Legatus nisi habeat jurisdictionem ad generalitatem causarum, seu moraliter universalem. 639

Propositio IIIa. Potest Summus Pontifex Legati jurisdictionem pro arbitrio extendere ac restringere : si tamen ita eam limitet, ut desinat esse moraliter universalis et ordinaria, Legatus hoc ipso talis esse desinit 639

II. Quænam potestas seu jurisdictio Legatis Apostolicis a jure tribuatur 640

Propositio Ia. Possunt jurisdictionem suam aliis delegare. 640

Propositio IIa. Legatorum Apostolicorum jurisdictio non expirat per mortem Papæ eos deputantis. 640

Propositio IIIa. Legatus Sedis Apostolicæ est judex competens in secunda instantia, quoad causas ecclesiasticas totius provinciæ ipsi commissæ : ante Tridentinam synodum poterat etiam causas in prima instantia judicare : sed hanc eis facultatem ademerunt Tridentini Patres. 640

Propositio IVa. Quando Papa causam alicui specialiter delegavit, nequit Legatus Apostolicus in hanc causam sese intromittere 642

Propositio Va. Legatus Sedis Apostolicæ habet legislativam potestatem in provincia legationis suæ ; ita ut pro morum reformatione condere possit statuta, post ipsius obitum aut revocationem duratura. 642

Propositio Va. Quamvis Legatus Sedis Apostolicæ superior sit et ordinarius judex Episcoporum et Archiepiscoporum in sua provincia existentium, nequit tamen a tempore Tridentini Concilii contra ipsorum delicta procedere. 642

Propositio VIIa. Regula generalis est, posse Legatum in provincia sibi commissa, quidquid potest Episcopus in sua diœcesi, Archiepiscopus in sua provincia, et Primas in regione ad quam primatialis ejus dignitas extenditur. 643

Propositio VIIIa. Regula generalis est, posse Legatum in provincia sibi commissa quidquid potest Papa, exceptis quæ Sedi Apostolicæ reservata sunt. 643

Propositio IXa. — Legati a latere et Nuntii possunt pro piis operibus concedere ultra centum dies indulgentiæ, non tamen integrum annum :

Pag.

pro templo autem aliquo visitando, concedere possunt indulgentiam 7 annorum et 7 quadragenarum 644

Propositio X^a. Legatis et Nuntiis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservatæ prohibitum est, ne pro se aut suis favores procurent a principibus ad quos destinantur : itemque ne iisdem principibus utantur ad consequendas dignitates 644

Propositio XI^a. Legati a latere et Nuntii nequaquam possunt, de jure communi, confessarios approbare, aut ordines conferre in provincia legationis suæ 644

Propositio XII^a. Legatus Apostolicus in sua provincia valide assistit matrimoniis. 644

§ III. Hodie ad dignoscendam jurisdictionem uniuscujusque Legati Pontificii, non juris communis dispositionibus, sed Brevi in quo ipsi concessæ facultates exprimuntur, præcipue attendendum est. 644

§ IV. An Legati a latere et Nuntii teneantur legationis litteras exhibere principibus ad quos mittuntur 645

CAPUT II. De potestate Legatis a latere propria 645

§ I. Quænam sit ex jure communi potestas Legatis a latere propria . . . 646

Propositio I_a. Legato a latere præsente, suspensa remanet aliorum Legatorum jurisdictio. 646

Propositio II_a. Legatus a latere jurisdictionem habet in exemptos, exceptis casibus Romano Pontifici specialiter reservatis. 646

Propositio III^a. Legatus a latere potest quoscumque absolvere ab excommunicatione quæ incurritur ab percussionem clerici : Nuntius vero non quoscumque, sed tantum subditos suæ provinciæ, et intra suam provinciam 646

Propositio IV^a. Legatus a latere habet potestatem concurrentem cum ordinariis collatoribus, conferendi beneficia. 647

CAPUT III. Legatorum a latere prærogativæ quoad præcedentiam et honorifica 650

CAPUT IV. De propria Nuntii potestate. 652

SECTIO IV. De vicariis Apostolicis. 654

CAPUT I. De variis vicariorum Apostolicorum speciebus. 654

CAPUT II. De vicariis Apostolicis earum regionum, quæ missionum more reguntur; ubi et de præfectis Apostolicis. 658

Quæstio I^a. Quomodo constitui soleant ? 658

Quæstio II^a. An omnes vicarii Apostolici consecrentur in Episcopos, et quid sint præfecti Apostolici? 659

Quæstio III^a. Quænam sit vicariorum Apostolicorum potestas ac jurisdictio? 659

Quæstio IV^a. Defuncto vicario Apostolico, ad quem transeat jurisdictio ; et quid a Sede Apostolica hac de re statutum sit ?. 660

Pag.

Quæstio V[a]. In regionibus, quæ more quidem missionum reguntur, sed in quibus reperiuntur Archiepiscopi et Episcopi locorum ordinarii, ad quem transeat, ejusmodi sedibus vacantibus, jurisdictio? 661

Quæstio VI[a]. An et quatenus vicarii Apostolici earum regionum quæ more missionum reguntur, Sacræ Congregationis de propaganda fide auctoritati subjaceant? 663

Quæstio VII[a]. Quomodo a Benedicto XIV determinata ac declarata fuerint respectiva jura vicariorum Apostolicorum, et regularium in vicariatibus Apostolicis degentium 663

Quæstio VIII[a]. Quænam hodie sint respectiva jura vicariorum Apostolicorum, et regularium in vicariatibus Apostolicis degentium. Remissive. . 665

CAPUT III. De vicariis Apostolicis regionum, in quibus exstat ordinaria hierarchia : et de administratoribus Apostolicis. 666

§ I. De vicario Apostolico deputato ad aliquam diœcesim administrandam, sede vacante 666

Quæstio I[a]. Quas ob causas deputari soleat vicarius Apostolicus ad diœcesim administrandam, sive vacante, sive plena sede? 666

Quæstio II[a]. A quo deputetur vicarius Apostolicus ad diœcesim administrandam, sive vacante, sive plena sede? 666

Quæstio III[a]. Quænam sit jurisdictio vicarii Apostolici, ad diœcesim sede vacante administrandam deputati? 667

Quæstio IV[a]. An soleat vicarius Apostolicus, ad diœcesim, sede vacante, vel sede plena, administrandam deputatus, episcopali charactere insigniri? 669

§ II. De vicario Apostolico deputato ad aliquam diœcesim, sede plena, administrandam 669

Quæstio I[a]. Quas ob causas deputari soleat vicarius Apostolicus ad diœcesim administrandam; sede plena ? 666

Quæstio II[a]. Quænam sit jurisdictio vicarii Apostolici ad diœcesim, sede plena, administrandam deputati ? 670

Quæstio III[a]. An Sede Apostolica vacante cesset jurisdictio vicarii Apostolici ? 672

Quæstio IV[a]. Quodnam sit jus vicarii Apostolici, quoad honorifica? . . 672

Quæstio V[a]. Quænam vicario Apostolico incumbat residendi obligatio?. . 673

§ III. De administratoribus Apostolicis 675

SECTIO V. De protonotariis Apostolicis 676

CAPUT I. De eorum institutione ac vicibus synopsis historica?. 676

CAPUT II. De triplici protonotariorum specie seu gradu. 678

CAPUT III. De protonotariis participantibus. 679

Quæstio I[a]. Quænam eis privilegia Sixtus V contulerit?. 679

Quæstio II[a]. Quænam eorum insignia et præcedendi jus? 672

Quæstio III[a]. Quomodo Pius IX feliciter regnans, protonotariorum partici-

Pag.
pantium privilegia moderatus sit? 682
CAPUT IV. De protonotariis ad instar participantium 682
§ I. Hodierna protonotariorum ad instar participantium privilegia . . . 682
§ II. Quo ritu insignia eis tradi, et eorum professio fidei ac juramentum fidelitatis recipi soleant. 684
§ III. Formula juramenti a protonotariis præstandi 686
§ IV. Formula in tradendis insignibus. 688
CAPUT V. De protonotariis titularibus, seu qui nec participantes sunt, nec ad instar participantium 681
Quæstio I^a. Quid circa ipsos statuerit Pius VII. 688
Quæstio II^a. In quo præcipue hodie differant protonotarii ad instar a protonotariis titularibus. 691
CAPUT VI. An beneficia a Protonotariis obtenta, quando vacant, Sedi Apostolicæ sint reservata, etiam hodie in Gallia 691

FINIS INDICIS.

Atrebati, ex Typis Rousseau-Leroy.

5023